[illegible] OMAN
POSTAL [illegible]
ČKOPJA ŁUKA

izločeno v korist

Slovanske knjižnice

EVANGELIOTIS

[illegible]

QUATUOR EVANGELIA

JESU CHRISTI

[illegible]

[illegible] JANSENII

[illegible]

[illegible]

PARS PRIMA.

[illegible]

LABACI,
[illegible] & sumptibus IGNATII MERS.
M. DCC. XCII.

TETRATEUCHUS EVANGELICUS SIVE COMMENTARIUS IN QUATUOR EVANGELIA JESU CHRISTI.

OPUS

CORNELII JANSENII
LEERDAMENSIS,
Sacræ Theol. Doct. & Profess. Lovanienſis,
Epiſcopi Iprenſis.



PARS PRIMA.

Cum Permiſſu Cæſ. Reg. Majeſtatis.

LABACI
Litteris & ſumptibus IGNATII MERK.
M. DCC. XCII.

1792

ZASEBNA KNJIŽNICA
ANTOLIN - OMAN
PUŠTAL - SV. PETER
10761
RAB 246/1
MESTNA KNJIŽNICA LJUBLJANA
D 91013 u 15408

PRÆFATIO
ORIGINALIS EDITIONIS.
AD
LECTOREM.

TETRATEUCHUM Evangelicum Reverendiſſimi Domini CORNELII JANSENII, quem DEUS nuper ineffabili conſilio, ut terris eum tantum oſtenderet, ad Epiſcopatum Iprenſem evexit, & ſubito retraxit, tibi Lector, damus.

Opus, fateor, non in typos ab Auctore deſtinatum, ſed Scholaſticis tantum dictatis concinnatum. Verum diſcipulorum ardor, & incomparabilis Viri eruditio, tot aliis jam ſcriptis probata, & hic ſibi par, expreſſit, ut typis evulgarem. Aliorum Commentarii mole fortaſſis ampliores, ſed fallor, ſi doctrina & veræ pietatis

tis fructu, quem illi cum cortice ſuo, multiſque ad ornatum magis quam ad guſtum foliis, totamque arborem præbent; noſter purumputum nucleum, ſine putaminum ſupervacuis. Inſpice, ipſe etiam mecum dices, & aſtrictam brevitatem tam opulentam, & (quod rariſſimum) luculentam admiraberis.

APPROBATIO CENSORIS.

Commentarius hic Reverendiſſimi & Eximii D. *Cornelii Janſenii* in ſancta *Jeſu Chriſti* Evangelia genuinum Scripturæ Sacræ ſenſum exponit, & ſummam eruditionem, doctrinamque ſolidiſſimam, ex Sanctorum Patrum ſcriptis potiſſimum depromptam complectitur. Quamobrem prælo digniſſimum cenſeo. Dat. Lovanii anno 1639. die 10. Maii.

JACOBUS PONTANUS
Sacræ Theol. Doctor,
Apoſtolicus, ac Regius Librorum Cenſor.

CORNELII JANSENII
IN SANCTA
JESU CHRISTI
EVANGELIA
COMMENTARIUS.

PRÆFATIO.

EVANGELIUM Græca vox eſt, lætum, fauſtumque nuntium ſignificans. Apud Homerum, & alios, etiam pro præmio, quod lætum adferenti nuntium, dari ſolet, uſurpatur: apud Xenophontem pro ſacrificio ob lætum nuntium oblato. Verum ſignificationis iſtius primæ generalitas uſu Eccleſiaſtico ita contracta eſt, ut per excellentiam tantum uſurpetur pro illo nuntio, quo nullum lætius, optabilius, ac jucundius humano generi adferri potuit, de incarnato Dei Filio & nato Salvatore mundi, qui damnatam humanam naturam ab æterna morte liberando, ſalutem æternam ei ſua morte procuravit. Sæpe tamen non pro ipſa re, ſed pro doctrina ſeu hiſtoria, tale nuntium complectente, ſumitur: quæ uſurpatio huic loco pro-

pria eſt. Ut merito Euſebius, l. 1. Præparat. Evangel. cap. 1. dixerit, *Evangelium* vocari, quod fauſtam cæleſtium, maximorumque bonorum, amicitiæ ſcilicet divinæ, omniumque cæterorum inde dependentium præſentiam per Chriſtum allatam humani generis univerſitati annuntiat. Unde ſuaviſſimis epithetis paſſim dicitur *Evangelium Regni*, Matth. 4. v. 23. *Evangelium Gratiæ*, Act. 20. v. 24. *Evangelium pacis*, ad Rom. 10. v. 15. *Evangelium gloriæ beati Dei*, 1. ad Timoth. 1. v. 11.

Evangeliſta vero quamvis dicatur ab *Evangelio*, uſus tamen Eccleſiaſticus obtinuit, ut qui in Scripturis *Evangeliſtæ* dicuntur, ii vulgo numquam, & contra, qui in Scripturis numquam, ii vulgo ſemper *Evangeliſtæ* nominentur. Scriptura quippe *Evangeliſtas* vocat eos, qui Evangelium iſtud ſupradictum prædicando nuntiarunt: unde Act. 21. v. 8. Philippus Evangeliſta dicitur, & Paulus hortatur Timotheum 2. Tim. 4. v. 5. *opus fac Evangeliſtæ*. Vulgo vero eos Evangeliſtas tantum vocamus, qui Evangelicam hiſtoriam, Spiritu ſancto calamum dirigente, ſcripſerunt.

Multi quidem, ut Lucas initio Evangelii ſui teſtis eſt, olim conati ſunt res a Chriſto Domino geſtas, & Evange-

gelium istud scripto hominibus patefacere: hinc est enim Evangelium secundum Apostolos, apud August. lib. 1. contra Adimantum c. 17. Manichæis familiare, & aliud Nazaræorum, secundum Petrum, apud Theodoret l. 2. Hæretic. fabularum; itemque secundum Andræam, secundum Jacobum, secundum Thomam, secundum Matthiam, de quibus Innocentius Epist. 3. & Ambros. Præf. in Lucam: nec non secundum Ægyptios, quo Clemens Alexandrinus usus est, ut ipsemet testatur lib. 3. Stromat. cap. 6. item secundum Hebræos, apud Theodoretum supra: secundum Judam Iscariotem, apud eumdem lib. 1. Hæreticar. fabul. denique secundum Philippum, secundum Bartholomæum, &c. Scripsit & Basilides Evangelium, apud Ambros. supra. Sed ex tanto Evangeliorum numero, Ecclesia non nisi quatuor probavit, quia non nisi quatuor divino spiritu scripta reperit: nam, ut August. ait lib. 1. de consensu Evangelist. cap. 1. Scriptores illi suis temporibus non tales erant, quibus narrantibus credi oporteret. Quædam etiam scriptis suis fallaciter indiderunt, quæ Catholica atque Apostolica regula fidei & sana doctrina condemnat. Ut idcirco merito dixerit Ambr. *Ecclesia, cum quatuor Evangelii libros habeat, per universum mundum Evan-*

geliis redundat: hæreſes, cum multa habeant, unum non habent.

Atque hujus quidem quaternarii numeri ratio tametſi a divina voluntate præcipue pendeat, quia tamen naturas ipſas rerum in myſteriorum diſpenſatione ſolet attendere, hinc eſt, quod appoſite numerum iſtum obſervatum fuiſſe notet Irenæus lib. 3. c. 11. & poſt ipſum Aug. c. 2. lib. citat. Cum enim quatuor ſint partes orbis terræ, per hujus univerſitatem, Evangelii gloriam & Chriſti Eccleſiam dilatandam eſſe ipſo ſui numeri ſacramento quodammodo declararunt. Hinc eſt, quod illuſtris ille currus gloriæ Dei, quo divina Majeſtas apud Ezechielem vehebatur, a quatuor animalibus tractus fuit, & ab iisdem illis quatuor animalibus Dei gloria Apoc. c. 4. celebratur. Quæ ad hoc ipſum a Deo oſtenſa & adhibita fuiſſe, ut quatuor iſtos Evangeliſtas, tamquam quadrigam Dei, Verbi incarnati gloriam per univerſum orbem venturos eſſe ſignificarent, a pleriſque antiquis Patribus unanimi conſenſu animadverſum eſt, ut videre licet apud Irenæum, loco cit. Aug. lib. 1. De conſenſu Evangel. cap. 6. Hieron. Prolog. in Matth. Gregorium Homil. 3. in Ezech. & alios.

Et quamvis fere Græci per aquilam ve-

velint significatum esse Marcum, & per leonem, Joannem, quia hæreticis timorem incutit: verisimilior tamen Gregorii & aliorum sensus est, qui hominem tribuunt Matthæo, quia ab humana Christi generatione cœpit; leonem Marco, quia per clamorem Joannis in deserto rugientis, exorsus est; Lucæ vitulum, quia a sacrificio Zachariæ; aquilam Joanni, quia a diuinitate Verbi. Merito tamen Aug. lib. 1. De consensu Evang. c. 6. notat, in hac animalium & Evangelistarum comparatione non tam initia librorum, sicut hic factum cernimus, quam totam scribentium intentionem ac scopum fuisse ponderandum. Itaque longe rectius sentit, per leonem, tamquam regiæ dignitatis indicem, Matthæum significatum esse, quia regiam Christi personam maxime commendavit. Nam & leonis de tribu Juda statim generationem texit, & Magi eum tamquam Regem quæsierunt, & Herodes tamquam Regem occidere voluit: per vitulum, Lucam; nam & a sacerdote Zacharia incipit, & cognationem Mariæ atque Elisabeth commemorat, & sacerdotii primi sacramenta, circa infantem impleta describit: per hominem, Marcum, quia cum neque stirpem regiam, neque sacerdotalem operationem, cognationem, aut consecrationem enarra-

verit, tamen in humanis Chriſti operibus recenſendis occupatus fuit: per aquilam, Joannem, quia totus pæne in inculcanda Chriſti divinitate verſatur, & ſuper nubila, inquit, humanæ infirmitatis volans, lucem incommutabilis veritatis acutiſſimis ac firmiſſimis oculis intuetur.

Ex his duo tantum ſuerunt Apoſtoli, primus & ultimus, qui ſcripſerunt ea, quæ viderunt; duo Apoſtolorum diſcipuli, & ideo tamquam filii amplectendi, ut velut in medio conſtituti utroque ab iis latere munirentur, ut Auguſt. ibid. c. 2. qui eis propterea ſcribendi Evangelii auctoritatem divina providentia tributam eſſe notat, cum non niſi audita ſcripſerint; ut intelligeremus, ad percipiendum, annuntiandumque Evangelium nihil intereſſe, utrum Dominum in carne apparentem diſcipulatu famulante ſecuti ſint, an ex aliis comperta crediderint.

Cauſas autem ſcribendi alias alii habuerunt. Generales fuerunt omnibus. Una, ut auditoribus eſſet quaſi commonitorium eorum, quæ viva voce perceperant, ne vel a bonis oblivioni traderentur, vel a malis corrumperentur, aut ſecus quam dicta fuerant, exponerentur. Hanc adfert Lucas c. 1. verſ.

verſ. 4. *Ut cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Nam ſicut neceſſe fuit ad confirmationem fidei, Evangelium prædicari, ita contra hæreticos ſcribi, inquit D. Thomas, Præfat. Catenæ. Altera fuit, ut non tantum præſentibus vivi, ſed & abſentibus mortui, maximeque poſteris, ſcripto prædicarent. Singulorum proprias cauſas in ſingulis daturi ſumus, ſicut & annos, quibus ſcripſerunt. Hic noſſe ſatis eſt, eo ſcripſiſſe eos ordine temporis, quo collocati ſunt, primum Matthæum, mox Marcum, inde Lucam, ultimo Joannem.

IN EVANGELIUM JESU CHRISTI SECUNDUM MATTHÆUM.

PRÆFATIO.

MATTHÆUS, *ex Publicano Apoſtolus, Evangelium ſcripſit ſermone Hebraico; ſic enim tradidit Papias, Apoſtolicis temporibus vicinisſimus, apud Euſeb. lib.* 3. *Hiſtoriæ Eccleſ. cap. ult. & mox Irenæus l.* 3. *cap.* 1. *& poſt illos plerique alii, Athanaſ. in Synopſi, Cyrillus Catecheſi* 14. *Aug. lib.* 1. *De conſ. Evang. cap.* 2. *Hier. multis in locis: nam libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, poſt Euſeb. lib.* 5. *c.* 10. *teſtatur Pantænum, Stoicæ ſectæ Philoſophum, in Indiam prædicandi cauſa profectum, reperiſſe Evangelium ſecundum Matthæum, Hebraicis litteris ſcriptum, & Alexandriam ſecum detuliſſe: & ibidem, in Matthæo, aſſerit ipſum Hebraicum haberi usque ad ſuam ætatem in Cæſarienſi bibliotheca, quam Pamphilus martyr ſtudioſiſſime confecerat, & ſibi ipſi a Nazaræis, qui in Beræa urbe Syriæ hoc volumine utuntur, deſcribendi facultatem fuiſſe conceſſam. De quibus Nazareis & Epiphanius in fine Hæ-*

re-

resis 29. Est', *inquit*, penes Nazaræos Evangelium secundum Matthæum Hebraice scriptum, & quidem absolutissimum: hoc enim certissime prout Hebraicis litteris initio scriptum est, in hodiernum tempus usque conservant. *Hæc Epiphanius. Ex qua constanti veterum sententia constat, quam immerito hoc nonnulli recentiores in dubium revocent, eo potissimum argumento nixi, quod ipsa nomina Hebraica hic exponantur, ut* Emanuel, *id est*, nobiscum Deus: Eli, Eli, lama sabachtani, *id est*, Deus meus, &c. *Idem enim videmus factum in veteri Testamento, ut Geneseos* 35. *v.* 18. *&* *Exodi* 16. *v.* 15. *nec tamen propterea negandum est illa esse scripta Hebraice: nam non auctoris scribentis, sed interpretis, huiusmodi interpretationes esse solent: nec ullum absurdum est, unum verbum obscurum aliis clarioribus etiam in eadem lingua explicari. Prodiit præcedenti sæculo idem Evangelium Hebraice a Sebastiano Munstero, tamquam a Judæis acceptum, itemque aliud a Joan. Tilio, Episc. Briocensi, sed apud peritos merito suspecta sunt. Tertium edidit Elias Hutterus in suo novo Testamento dodecaglotto, sed ab ipsomet ex Græco versum fuit, sicut &* Evangelium secundum Marcum. *Quis autem Evangelium Matthæi in Græcam linguam verterit, non constat. Athanasius in Synopsi putat Apostolum Iacobum versionis illius auctorem. Theophylactus Præfat. in Matth.*

authorem facit Joannem; ſed Auguſt. lib. 1. De conſenſu c. 2. rectius iſtud incertum eſſe tradit.

Scripſit illud Matthæus ante omnes alios Evangeliſtas, ut apud omnes in confeſſo eſt, ſuis potiſſimum popularibus, Julæis videlicet, non ſolum expoſcentibus, ut Chryſoſtom. in Matthæum tradit, ſed etiam injungentibus eidem id ipſum Apoſtolis, ut Epiphan. Hæreſi 51. cum ſcilicet jam brevi profecturus eſſet ad gentes Evangelio imbuendas: quod anno 8. poſt Chriſti Aſcenſionem contigiſſe volunt.

CAPUT PRIMUM.

EVANGELIUM JESU CHRISTI SECUND. MATTH. Id eſt Hiſtoria Evangelica, ſeu de Evangelio per Chriſtum annuntiato, prout a Matthæo ſcripta eſt. Non enim per hujusmodi verba ſignificatur, aliud eſſe Evangelium quod a Matthæo; aliud, quod a Marco ſcriptum eſt: ſed alium ſcriptionis ſeu contextus hiſtorici auctorem ejusdem Evangelii. Deus enim a pluribus rem tanti momenti ſcribi voluit, ut hoc ipſum, quod plures diverſis temporibus atque locis, non congregati, neque mutuo colloquentes, uno quaſi ore cuncta pronuntiant; ſit maxima veritatis demonſtratio, ut ait Chryſoſt. Homil. 1. in Matth. Neque eam impedit nonnulla in parvis quaſi diſſonantia, ſed maxime juvat. Nam ſi ex toto & in omnibus conſonarent, & cum nimia diligentia atque cura, usque ad tempus & locum, & ſingula æqualiter verba concurrerent, nemo inimicus credidiſſet umquam, quin communi ad decipiendum conſilio congregati, Evangelium quaſi ex humana quadam conſpiratione condidiſſent. Porro titulos iſtos non ab auctoribus, ſed ab Eccleſia appoſitos eſſe, indicat tum ſimilitudo titulorum in omnibus quatuor,

tuor, tum dissimilitudo in lingua Græca ac Latina, tum quod sacri Scriptores non soleant extra textum titulos apponere, sed textui subinde per modum præfationis aliquid simile affigere, ut videmus factum in Isaia, Marco, & Apocalypsi; præter quæ tamen alii tituli adjecti sunt. Nec vero hoc auctoritatem Evangeliis detrahit: nam neque scribentibus se hoc divinitus scripsisse crederemus, nisi nos Ecclesiæ attestantis moveret auctoritas, de quo videte August. adversus Manichæos lib. contra Epistolam fundamenti cap. 3. & 4. & De utilitate credendi cap. 14.

℣. 1. *Liber Generationis*, id est catalogus, seu enarratio genealogiæ aut seriei majorum Christi. *Liber* enim Hebræis generaliter significat scripturam, qua quid enarratur. Unde tribuitur epistolis, 3. Reg. 21. v. 8. libello repudii Deuter. 24. v. 1. & instrumento emptionis, Jerem. 32. v. 10. quorum nullus est liber. Est itaque hæc brevis epigraphe seu inscriptio non totius Evangelii, quasi ab initio historiæ totum librum ita nominasset, sed ejus tantum, quod proxime dicturus est, præfatiuncula, cui similis est Gen. 5. v. 1.

JEsu est proprium nomen Verbi Incarnati: *Christi*, cognomen est, non di-

dignitatis, Græce idem plane ſignificans quod Hebraice *Meſſias*, & Latine *Unctus*; quo cognomine vocatus eſt, tum ut diſtingueretur ab aliis, eodem nomine *Jeſu* olim vocatis; tum ut ſignificaretur eſſe ille antonomaſtice *Chriſtus* dictus, ſeu *Unctus*, quem & Reges, & Sacerdotes, & nonnulli Prophetæ ſua unctione, veluti quadam dedicatione, ad ſua officia, tamquam ſummum Regem, Sacerdotem atque Prophetam præfigurarunt. Unde factum eſt, ut illud cognomen *Chriſti* noſtro *Jeſu*, qui oleo juſtitiæ & Spiritu ſancto præ omnibus participibus ſuis ſingulariter unctus eſt, ita ſoli competat, ut nemo niſi ille intelligatur, quando nude exprimitur.

Filii David, Filii Abraham. Id eſt nepotis, Hebraiſmo uſitatiſſimo. Maluit tamen *filium* quam *nepotem* dicere, quia propter David & Abraham Chriſtus ex aliis natus eſt, non contra. Unde etiam illorum duorum dumtaxat meminit, quod his potiſſimum duobus promiſſio eſſet facta de Chriſto ex ipſis naſcituro. Davidem præpoſuit, quod recentior, & honorificentior, celebrior, Judæisque gratior eſſet Davidicæ promiſſionis memoria, ut Chryſoſt. & ejus diſcipuli. Regni enim perpetuitas Chriſto, tamquam ſucceſſori Davidis erat addicta.

Un-

Unde paſſim, & cœcorum, & vulgi & puerorum acclamantium more, filius David vocabatur, ut patet Matthæi 1. & 21. & alibi. Illud autem *filii* ſecundo loco referri poteſt, vel ad Chriſtum, ut ſignificetur utriusque eſſe filius; vel ad Davidem, ut ſignificetur David, & conſequenter etiam Chriſtus, eſſe filius Abrahæ. Quod poſterius Hebræorum conſuetudini congruit, qui in texendis genealogiis ſolent nomen *filii* ad proximum referre. Vide 1. Reg. v. 1. & paſſim.

2. *Abraham genuit Iſaac.* Ab Abraham incepit, prætermiſſis anterioribus, quia Abrahæ primo promiſſiones de poſteritate gentis Iſraeliticæ, & de Chriſto datæ ſunt. Unde prætermittit Iſmaël, cæterosque filios Abrahæ, ſicut & Eſau, filium Iſaac: & tamen dicit Jacob genuiſſe *Judam & fratres ejus*, quia fratres erant ſimul parentes totius populi Iſraëlitici, & capita populi Dei, & columnæ regni Chriſti.

3. *Judas genuit Phares & Zaram.* Meminit utriusque, eo quod illuſtriorem duorum populorum figuram gererent, Judaici & gentilis, ex quibus regnum Chriſti coaleſceret, de quo vide dicta ad c. 38. Gen. quod in Eſau locum non habuit; nam ille venditis primo-

ge-

genitis ſe ultro a populo Dei ſegregavit, & potius carnalium, ac reproborum figuram geſſit.

4. *De Thamar.* Excepta Maria Virgine, quæ prætermitti non poterat, quatuor tantum fœminas intexuit huic genealogiæ, quæ vel meretrices, vel adulteræ, vel inceſtæ vel alienigenæ erant: idque tum ne populus gentilis & peccatores cuiquam contemnendi & a Chriſti populo alieni viderentur, ex quibus ipſe naſci voluiſſet; tum quia illas tantum tangendas judicavit, quæ novo accidente, ideoque figura ad aſſumptionem populi gentilis & peccatoris pertinente, viris ſuis fuiſſent conjunctæ, omiſſis matrimoniis ordinariis: quas figuras breviter explicatas vide apud Theophylactum.

5. *Salmon autem genuit Booz de Rhaab.* Illa ipſa ſcilicet, quæ ante meretrix fuerat, etſi tum deſiiſſet. Nam quod quidam Rabbini, quos etiam aliqui novatores ſtudio contradictionis imitati ſunt, pro meretrice vertunt hoſpitam ſeu cauponariam, contra proprietatem linguæ Hebraicæ faciunt, ubi *Zonach* ſemper meretricem ſignificat: & ita verterunt Septuag. & Apoſtolus ad Hebr. 11. v. 31.

Obed

Obed genuit Jeſſe: alias *Iſai*, ut alibi vocatur; eſt enim idem nomen. Ita abjectæ conditionis fuit, ut David filius ejus ex contemptu vocaretur a Saule filius Iſai, 1. Reg. 28.

Jeſſe genuit David Regem. Emphatice bis conſequenter Regem vocat, & quidem inter omnes ſolum, quia ſcopus ejus erat oſtendere Chriſtum, juxta promiſſa Prophetarum & Gabrielis Archangeli, eſſe heredem Regni illius perpetui, quod primo omnium Davidi promiſſum fuerat. Porro inter Salmonem & David non intercedunt niſi tres perſonæ, Booz, Obed, Ieſſe: ſic enim numerantur quoque libro Ruth cap. ult. & 1. Paralip. 2. ac denique Lucæ 3. Ut merito reprehendendus videatur Liranus qui hic interſerit tres Booz ejusdem nominis, eo motus argumento, quod a capta Iericho usque ad nativitatem Davidis fluxerint anni 366. ut liquet ex 3. Regum 3. verſ. 1. ubi dicuntur fluxiſſe quadringenti octoginta anni ab egreſſu ex Ægypto usque ad quartum annum Salamonis. Detrahe enim ab initio quadraginta annos vagationis in deſerto, & quatuor annos Regni Salomonis, & ſeptuaginta vitæ David; reſtabunt 366. anni, quos putat Liranus nimis multos eſſe, quam ut a quatuor illis viris confice-

ficerentur. Sed in ista longævitate quoniam Moises, Aaron, Maria vivebant usque 120. annos, Caleb anno 80. vitæ ita vegetus erat, ut in juventute; nihil mirum, eos sero generare potuisse.

6. David autem Rex genuit Salomonem, ex ea, quæ fuit Uriæ. Fuerat ante Uriæ uxor, tunc autem sua. Quod quidem ita duabus de causis expressit: una, ne Salomon ex adulterio natus crederetur: altera, ne propter adulterium Davidis, & homicidium Uriæ suspicaretur quis resciissam esse promissionem Davidi factam.

Joram genuit Oziam: Qui *Ozias* & *Azarias* dictus est. Verum istud quidem est, sed eo sensu, quo Christus dicitur Filius David, multis scilicet interjectis. Nam iste Joram genuit immediate Ochoziam, Ochozias Joam, Joas Amaziam, Amazias denique genuit hunc Oziam, seu Azariam, ut ex diversis locis libri 4. Regum patet, & breviter 1. Paralip. 3. v. 11. & seqq. Tres itaque prætermissi sunt, non quod cæteros hic expressos impietate superaverint: pejores enim fuerunt Salomon & Manasse, imo Joas & Amazias inter bonos numerantur: sed partim quod Evangelistæ certi mysterii causa propositum fuerit tres generationum tesseradecades texere, ut Hieron. & Auctor operis imperfecti a-

pud Chryſoſt. tetigerunt; partim quod Joram vxorem duxiſſet, filiam Achab, cui Deus per Eliam prædixerat omnem ejus poſteritatem eſſe delendam. Unde filii ejus, ex ſemine Achab nati, usque ad quartam generationem, non quidem morte naturali, ſed civili condemnati, ex ſerie parentum Chriſti ejiciuntur. Purgata vero labe familiæ gentilis & maledictæ ad interitum, inquit Hilarius, in quarta generatione conſequenter origo numeratur.

11. *Joſias genuit Jechoniam.* Confuſio aliqua eſt in nominibus hujus *Jechoniæ* & fratrum ejus. Sciendum igitur, *Jechoniam* iſtum vocatum fuiſſe vero nomine a parentibus *Eliacim*; ſed cum Pharao Nechao Joſiam, patrem ejus in Mageddo occidiſſet, & reperiſſet Joachaz, fratrem juniorem hujus Eliacim, eſſe a populo conſtitutum Regem loco Joſiæ, depoſuit eum, & loco illius conſtituit Regem hunc Eliacim, tanquam ſeniorem, & vocavit nomen ejus *Joakim* (per K. & M) ut hæc patent 4. Reg. 23. in fine, & 2. Paral. 36. in principio. Habuit itaque varia nomina, *Eliacim*, *Joakim*, & *Jechonias*, quod tamen non poteſt inveniri niſi hoc loco. Hic igitur Eliacim, Joakim ſeu Jechonias (rectius Jekonias) habuit filium nomine Joachim (per CH. & N) qui patri poſt undecim annos ſucceſſit

in

in regnum. Quod cum ipſe tenuiſſet per tres menſes ac decem dies, abductus eſt a Nabuchodonoſor in Babylonem. Hic vocatur etiam Jekonias, 1. Paralip. 3. verſ. 16, & aliquoties in Jeremia.

Et fratres ejus. Fratres iſtius primi Jechoniæ ſeu Eliacim fuerunt *Joachaz*, qui alio nomine dictus eſt *Sellum*, ut Hieronym. in Trad. Hebraicis ſuper Paralip. ac ductus eſt a Pharaone captivus in Ægyptum; regnavitque ut diximus pro Joſia, patre ſuo. Alter fuit *Mathanias* qui 4. Regum 24. v. 17. vocatus eſt *Sedecias*, ac regnavit poſt Eliacim ſeu Joakim, & filium ejus Joachin. Tertius denique omnium primo genitus *Johanam*, qui videtur eſſe mortuus ante Joſiam, patrem omnium, & non regnaſſe, de quo 1. Par. 3. v. 15.

In transmigratione, id eſt ſub, ſeu circiter transmigrationem *Babylonis*. Nam omnes ante transmigrationem nati ſunt & adulti, ſive primam intelligas, poſt occiſum Joakim; ſive ſecundam ſub filio ejus Joachin, tribus menſibus poſt; ſive tertiam, ſub Sedecia poſt undecim annos: quæ tres transmigrationes indicantur 2. Paralip. 36. v. 6. 10. & 18.

12. *Et poſt transmigrationem Babylonis*, id eſt poſtquam transmigraſſent, *Jechonias genuit Salathiel.* Salathiel enim in ipſa captivitate, non poſt illam ſolu-

tam, genitus est. Porro Jechonias qui hic secundo loco nominatur, non est idem ille, qui primo loco, sed filius prioris, ut sentit Ambros. in Lucam & Hieron. Vocatusque fuit, ut diximus, Joachin, ac per tres menses tantum ante transmigrationem regnavit: sed abductus in Babylonem post annos triginta septem ex carcere eductus & honorifice habitus est, teste Jeremia cap. ult. v. 31. quo tempore Salathielem gignere potuit. Ex his constat suppressam hic esse unam generationem: debuisset enim interseri Jechonias, vel rectius Jekonias (id est Eliacim seu Joakim) genuit Jechoniam (id est Joachim) quod Epiph. hær. 3. quæ est Epicureorum, n. 8. putat esse factum scriptorum vitio, Aug. vero libro 2. De cons. Evang. cap. 4. certi mysterii causa.

Salathiel autem genuit Zorobabel. Idem asseritur Esdræ 3. v. 2. & 8. itemque Aggæi 1. v. 1. & 12. Unde quod 1. Paralip. 3. v. 19. Zorobabel dicitur esse natus ex Phadaia fratre Salathielis, de alio Zorobabel intelligi debet, qui ibidem habet alios & patrem, & filios, quam ille, de quo hic agitur. Quod sane verius est quam id, quod Hieronymus in traditione super Paralip. dicit Phadaia & Salathiel ibi esse idem nomen: nam Phadaia expresse numeratur, tamquam persona distincta a Salathie-

thiele. Unde non eſt mirum, quod uterque habuerit filium nomine Zorobabel.

16. *Jacob genuit Joſeph, Virum Mariæ*: id eſt maritum, non concubitu, ſed nexu matrimonii, ſeu affectu, ut Auguſt. 23. contra Fauſtum cap. octavo. *De qua*, ſeu ex qua, *natus eſt Jeſus, qui vocatur*, ſeu cognominatur, *Chriſtus*, ſeu Meſſias: nempe non quilibet, ſed qui antonomaſtice & ſimpliciter Meſſias ſeu Chriſtus dicitur, tamquam proprio cognomine.

Sed hinc emergit gravis difficultas, quomodo recte exſecutus ſit Evangeliſta id, quod ſibi propoſuerat, librum ſeu catalogum generationis Chriſti, cum genealogia Joſeph ad ipſum non pertineat, ſed *Mariæ*. Reſpondet Hieronym. hic & Ambroſ. initio libri 3. in Lucam, & fere omnes veteres, eo ipſo, quo Joſephi genealogia texitur, etiam *B. Mariæ* Virginis ſtirpem, & conſequenter Chriſti, ſufficienter indicari: cogebatur enim ex lege viro de eadem tribu nubere. Quod intelligendum eſt non de lege generali conjugii in populo Judaico; manifeſtum eſt enim viros etiam juſtos ſæpius duxiſſe uxores alterius tribus, quo modo David duxit Michol, filiam Saul, de tribu Benjamin, & Joiada Pontifex duxit Joſabeth filiam Regis de tribu Juda, 2. Paralip. 22. &

omnes tribus Iſrael jurarunt, Judic. 21. ſe non daturos filias ſuas Benjamitis, quaſi ante fuiſſet hoc uſitatum: ſed intelligendum eſt de ſpeciali lege, quæ ſtatuit Num. ultimo, ut fœminæ hæredes, hoc eſt, quæ carent fratribus, de eadem tribu maritos accipiant, ut ſic hæreditates tribuum non permiſcerentur. Jam vero B. Virginem caruiſſe fratribus, & hæredem patris fuiſſe, etſi ex nulla canonica Scriptura conſtet, tunc tamen notum vulgatumque eſſe potuit. Cui quidem reſponſioni multi acquieſcunt, ſed revera non plene ſolvit nodum. Eſto enim, non potuerit extra ſuam tribum virgo nubere, hinc non concluditur, eam, vel prolem ejus Chriſtum, eſſe filium David, quod ſibi Matthæus initio propoſuerat: nam potuit nubere in eadem quidem tribu, ſed in alia familia, quam David. Itaque dicendum eſt, B. Virginem vi legis, Num. ult. nubere coactam fuiſſe viro non tantum ejusdem tribus, ſed & familiæ, hoc eſt cognato ejusdem tribus: ſic enim lex iſta expreſſa eſt, in textu Hebraico, Num. ult. v. 7. *Omnis filia hæreditans hæreditatem*, id eſt hæres patris, propter defectum fratrum, *uni de familia tribus patris ſui erit in uxorem.* Ratio quoque legis adjuncta, v. 8. *ut hæreditas permaneat in familiis*, idem aperte conficit. Nam in prima terræ promiſ-

ſæ

ſæ diſtributione, quam Joſue fecit, hæreditates non ſolum ſecundum tribus, ſed etiam ſecundum familias diſtributæ fuerunt. Hinc enim toties repetitur in libro Joſue, quod hæc ſit promiſſio cujusque tribus per cognationes & familias ſuas, ut videre licet c. 15. v. 1. & 2. & ſeqq. capitib. paſſim. Unde & filiæ Salphaad nupſerunt filiis patrui ſui, id eſt, propinquiſſimis cognatis, *& manſit*, inquit Scriptura, *poſſeſſio, quæ erat illis attributa, in tribu & familia patris earum.* Cum ergo Matthæus profitetur ſe catalogum generationis *Jeſu* texere, & perducit eam usque ad Joſeph, eumque nominat virum Mariæ, de qua natus ſit *Jeſus*, & non tamen ex Joſeph: ſatis inſinuat Joſephum jure propinquitatis fuiſſe maritum Virginis, adeoque cognatum ex eadem tribu atque familia David, prout aperte aſſerit Theophilus; imo ſe non amplius recedere a majoribus *Jeſu*, quam neceſſe ſit ad hoc, ut ex juſtis cauſis loco Mariæ recenſeat Joſeph, hoc eſt ſolum patrem Joſeph, ſcilicet Jacob, eſſe diverſum. Neque enim poterant Joſeph & Maria eſſe frater & ſoror, lege vetante tale matrimonium: avum autem Mathan eundem eſſe utriusque, hoc eſt eſſe cognatos proximos ſeu patrueles, nepotem & neptem.

Cur ergo, inquies, non recenſuit a-

perte majores matris ejus, cum propter ipsam solam Christus dicendus sit ex semine David? Causæ justæ fuerunt: una, quia, ut Hieronym. ait, non est consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur; unde, ut Aug. 23. contra Faustum, c. 8. propter virilem sexum erat mariti honoranda persona. Sed quia extant exempla, etsi rara in contrarium, ut patet 1. Par. 2. v. 15. & 16. de genealogia Joab & fratrum ejus, hinc alia ratio fuit, ne justa daretur causa rejiciendi Christum, dum putarent eum, quem publica opinione patrem ejus credebant, non esse de familia David, ex qua Christus erat nasciturus. Denique ut constaret Jesum non solum Dei promissione aut donatione, sed jure successionis esse legitimum Regni Davidici hæredem. Christus enim erat proles Joseph, non quidem ex eo genita, vel adoptata, vel sola vulgi opinione, sed revera, ut pote ex propria uxore, tanquam carne sua & proprio fundo, virtute Spiritus sancti nata.

17. *Omnes itaque generationes*, id est, omnes personæ generantes ac genitæ, ab Abraham, *Usque ad David*, inclusive, *quatuordecim*. Nam generationes seu actus generandi non sunt nisi tredecim, ut ex repetitione verbi *genuit* patet. *Et a David*, exclusive (jam enim se-

ſemel numeratus fuerat.) *Usque ad transmigrationem Babylonis*, id eſt, Jechoniam patrem, ſeu Joakim, incluſive, *generationes* ſeu perſonæ *quatuordecim*: & *a transmigratione Babylonis*, id eſt a Jechonia filio, ſeu Joachin, patre Salathielis (nam pater ejus jam numeratus fuerat in 2. teſſaradecade) *Usque ad Chriſtum*, incluſive, *generationes* ſeu perſonæ *quatuordecim*. Subduxit tam accurate ſummam generationum, ut ſignificet ſe non oblivione, ſed deſtinato conſilio aliquos excluſiſſe ex iſta ſerie, neque quidquam a quoquam eſſe addendum vel detrahendum, ſimulque, juxta Chryſ. Hom. 4. initio, & Theophylactum, ut triplicem populi Judaici ſtatum indicaret, ſub Judicibus, ſub Regibus, & ſub Ducibus ſeu Sacerdotibus: ſub quibus omnibus cum nihil profecerit in virtute, opportune poſt omnes filium Dei veniſſe, ad alium populi ſtatum inchoandum; idque congruenter ad ipſas naturas rerum decima quarta generatione, quia decimus quartus dies eſt Medicis maxime criticus, ad magnas mutationes indicandas.

18. *Chriſti autem Generatio*, ſeu conceptio, *ſic erat*. Non eſt epilogus præcedentium, ut quidam, ſed præfatio ſequentium, ne quis ratione Joſeph putaret Chriſtum eſſe filium David.

Cum eſſet deſponſata Mater ejus: id eſt

promiſſa tanquam ſponſa, inquiunt quidam, quibus favet proprietas verbi Græci, & acceptio conjugis, de qua verſ. 20. Sed rectius *deſponſata* dicitur tanquam ſponſa tradita & recenter nupta: nam & Lucæ 2. verſ. 5. dicitur Joſeph iviſſe *cum Maria deſponſata ſibi uxore* in Bethleem, & hic verſ. 20. vocatur *conjux*, prout hoc urget Auguſt. lib. 1. De nuptiis cap. 11. Et ſane niſi eo tempore, quo jam gravida noſci poterat, fuiſſet vera conjux, atque ita tradita viro, ut ſine infamiæ nota cognoſci potuiſſet, non ſatis fuiſſet conſultum honori & famæ Virginis, ne ſtupri, in domo patris perpetrati rea putaretur, & juxta legem Deuter. 22. v. 22. lapidaretur; nec authoritati Chriſti, ne tanquam ſpurius a Judæis rejiceretur; nec Joſeph idoneus fuiſſet cuſtos, ac teſtis integritatis Virginis, cui tanquam marito, adeoque zelotypo in cauſis iſtis, pro uxore maxime creditur. Nam præter adjutorium in educanda prole, iſtæ præcipuæ erant illius conjugii cauſæ, ab Hieron. & Ambroſ. initio lib. 2. in Lucam, & aliis paſſim, notatæ. Unde pulchre Ambroſ. Maluit Chriſtus, inquit, aliquos de ſuo ortu, quam de matris pudore, dubitare; ſciebat enim teneram eſſe Virginis & lubricam famam, nec putavit ortus ſui fidem matris injuriis adſtru-

ſrüendam. Satius quippe erat Joſephi filium, quam inhoneſtæ mulieris, videri. Alia ab iisdem cauſa & pene ab omnibus tangitur: Orig. Homil. 1. in diverſos, Baſil. Hom. De humana Chriſti generat. ut myſterium conceptus & partus diabolum lateret: quæ deſumpta eſt ex Ignatio, epiſtola ad Epheſios, quomodo autem vera ſit, non ſatis liquet.

Antequam convenirent: non in domum propter cauſas jam dictas, ſed conventione maritali, quæ ſic honeſte & verecunde denotata eſt. Datur enim ratio, cur dimmittere voluerit. Ergo, inquit Helvidius apud Hieronym. poſtea convenerunt, & hinc illi, qui dicuntur fratres Chriſti; ſed imperite. Nihil aliud ſignificat Evangeliſta, quam gravidam fuiſſe ante conventionem ſeu concubitum, qui more naturali præcedere ſolet: ut ſic indicaret novitatem myſterii, intactum interim relinquens, quid poſtea conſecutum ſit. Ita recte dicitur virga Aaronis ante plantationem floruiſſe, cum tamen poſtea plantata non fuerit. Nam ut Ambroſ. libro De inſtitut. virginis cap. 5. Conſuetudo Scripturæ eſt, ut cauſam quæ ſuſcepta eſt, adſtruat, incidentem differat.

Inventa eſt, id eſt, inopinate reperta eſt a Joſepho, qui maritali cura omnia obſervabat.

In-

In utero habens, id est esse gravida, Græca phrasi: quod cum observari non possit, nisi aliquot mensibus post conceptum, omnino manifestum est, post reditum ex domo Elisabeth hoc contigisse.

De Spiritu sancto, id est non viri, sed Spiritus sancti opera. Quod referendum est ad solum verbum *habens*, non ad, *inventa est*: nondum enim Joseph hoc invenerat. Tribuitur autem Spiritui sancto ille conceptus, non Patri aut Filio, etsi non minus cooperati fuerint, quia fuit ingens bonitatis, beneficentiæ, & fœcunditatis, seu vivificationis opus, cujusmodi Spiritui sancto appropriari solent.

19. *Joseph autem vir ejus, cum esset justus*: id est quia erat justus, non illa justitia vulgari, quæ quarta virtus est cardinalis, nam illa salva traducere potuisset: sed illa justitia, quæ virtutes omnes maximeque charitatem, benignitatem, & mansuetudinem comprehendit.

Et nollet eam traducere, non e parentum domo in suam, ut quidam; hoc enim supra rejecimus, sed *traducere*, id est Græce, in exemplum statuere, publicæ scilicet infamiæ per accusationem, vel criminis divulgationem.

Voluit occulte dimittere eam, id est a suo consortio ac domo ablegare. Causam

ſam reddunt Orig. homil. 1. in diverſos, Baſil. & alii nonnulli poſt illos, quod ſe ejus conſortio cenſeret indignum, quam de Spiritu ſancto concepiſſe invenerat. Rectius dicerent, dimittere voluiſſe, quod hinc propter ſanctiſſimos Virginis mores, inde propter indubitata prægnantis indicia hæſitaret de re, cujus myſterium neſciebat, ut inſinuat Hieron. & aperte docet Auctor operis imperfecti. Sed longe verius eſt dimittere voluiſſe, quod nihil aliud quam adulteram crederet, vel certe oppreſſam, cui ſe noverat non eſſe commixtum, ut loquitur Auguſt. epiſt. 45. & repetit Serm. 10. de verbis Domini: quod idem aperte ſentit Chryſoſt. Dimittere ergo talem voluit, ne forte adulteram fovendo, vel criminis particeps, vel certe nimis ſtulte patiens videretur: occulte tamen, ut ejus famæ conſuleret: quamvis enim accuſare licuiſſet, non tamen tenebatur. Nam ut Ambroſ. Ser. 7. in Pſalm. 118. etiam ab accuſationis ſeveritate juſti perſona aliena eſt: & ideo commendatur ejus juſtitia, quod nihil penitus ex furioſa illa paſſione zelotypiæ tentaverit, ut pulchre expendit Chryſoſtomus.

20. *Hæc autem eo cogitante*, id eſt, cum hæc animo ſolum volveret curarum pleno: quo ipſo indicatur magnitu-

tudo virtutis ejus, quod ne quidem cuiquam mœroris causam indicaverit, nec adversus uxorem in verba querelasque vel facta proruperit. Nec vero virgo ipsa suspicionem dissipat, quia quis maritus de tali innocentia uxoris, nisi Deo monente, credidisset? Itaque ecce rem, scilicet novam, quod fere illa voce in Scripturis indicari solet. *Ecce Angelus Domini apparuit*: significari videtur per species imaginationi impressas, quasi modo corporeo colloquentem, apparuisse. *In somnis*: tunc enim mens ab externarum rerum tumultu ac distractione libera magis idonea est ad cælestes revelationes accipiendas. Hoc autem Deus ita facit, ut simul homo intelligat, esse non satagentis animi cogitationem, sed divinam illuminationem, quod sapore quodam, qui verbis explicari non potest, discerni testatur S. Monica libro 6. Confess. cap. 13.

Dicens, colloquendo scilicet cum eo more hominum, inquit Aug. in Enchiridio c. 59. hoc est non vocibus in aure, sed vocum similitudinibus in imaginatione formatis.

Joseph Fili David. Blandientis est & consolantis, quia suspicio justa fuerat: & simul Davidis meminit, ut attentior fieret ad id quod de Messia ex familia David nascituro diceretur. *Noli time-*

re,

re. Timuerat enim, ne adulteram retinendo, Deum vel ſapientum judicia offenderet.

Accipere Mariam conjugem. Græce, aſſumere, ſcilicet conſtanter, ac retinere in vitæ ſocietate: jam enim, ut Chryſoſt. ait, eam mente repudiaverat.

Quod enim in ea natum eſt, id eſt quod conceptum atque formatum eſt. Per id tamen, quod *natum* dicit, Baſilius inſinuatum putat, quod Chriſti caro non, ut cæterorum paulatim fingendo formata, ſed ſtatim abſoluta fuerat.

De Spiritu ſancto eſt. Græce, *ex Spiritu ſancto eſt*, id eſt non de ſubſtantia Spiritus ſancti, ſed ex operatione poteſtatis ejus: qui proinde non ejus pater, ſed creator eſt, ut latius Auguſt. in Enchiridio cap. 38. & 39. Et propterea cum *natum in ea* dicit, virginem id egiſſe in ordine naturæ ſignificat, quod matris eſt: cum *de*, vel, *ex Spiritu ſancto*, miraculo ſuppletum eſſet, quod patris eſt, atque adeo non timendum ſibi eſſe, ſed gratulandum. Et hæc de præteritis: mox autem prædicit futura, ut ex eorum eventu præterita vera eſſe credat.

21. *Pariet autem Filium.* Vera mater non ut canalis, per quem tranſeat, ſicuti aliqui hæretici noſtri, & olim Valentinus apud Tertul. libro de carne Chriſti, c. 20. ex eo colligebant, quod di-

diceretur in ea natus. Sed naſci in aliqua ſignificat veram conceptionem; ex aliqua, verum partum.

Et vocabis nomen ejus JEſum: cælitus impoſitum, ut etiam cælitus conceptum & mirabilem futurum intelligas, inquit Chryſoſt. Nam quibus a Deo nomen ante nativitatem impoſitum fuit, ſemper admirabiles inventi ſunt, ut Iſaac, Salomon, Cyrus, Baptiſta.

Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum: nempe omnes prædeſtinatos in vitam æternam, ſeu omnes filios promiſſionis, qui ipſum fide & charitate tamquam Regem ac Dominum complexuri ſunt. Salvabit autem non ab imperio gentium, & ab hoſtibus viſibilibus, ſed *a peccatis eorum*, tam quæ fecerant, quam quæ facturi eſſent, ne faciant, & conſequenter ab omnibus cauſis peccatorum, diabolo & concupiſcentia eis dominante, & effectis eorum morte, mortalitate, omnique miſeria. Per hæc ergo verba ſignificat filium iſtum non tantum hominem, ſed & Deum futurum, qui ſolus talem ſalutem a peccatis adferre poteſt. Ex qua nominis iſtius *Jeſus* etymologia, quam ipſe Angelus tradit, manifeſtum eſt, nomen illud ſignificare *ſalutem* vel *ſalvationem*, ac proinde falſum eſſe commentum Oſiandri, qui voluit nomen *Jeſus* eſſe idem cum nomine Dei tetra-

tragrammato, inſerta littera Schin, & ſcribendum eſſe *Jeheſchou*: nomen enim iſtud fictitium eſt, neque prorſus quidquam ſignificat. Nomen ergo *Jeſus* idem eſt cum nomine *Jehoſchuagh*, quod Græci LXX. Philo, Joſephus per *Jeſus* tradiderunt, Latini *Joſue*; & Salvatorem ſignificat. Sed poſt Babylonicam captivitatem, quando lingua Hebraica in uſu vulgari eſſe deſiit, & Syriaca inolevit, prothuntiatio ejus mutata fuit, & loco *Jehoſchuagh* Hebraice, dici vulgo cæpit *Jeſchuagh*. Quod ex eo apertiſſimum eſt, quod Jeſus ille, filius Joſedech, typus veri noſtri Jeſu, cum ab Aggæo c. 1. v. 1. & Zacharia ſemper vocetur *Jehoſchuagh*, tamen in libro Esdræ & Nehemiæ, qui in eodem vixerunt ſæculo, ſemper vocatur *Jeſchuagh*; ut patet Eſdræ 2. v. 2. & c. 3. v. 2. 8. & 9. item Nehemiæ 7. v. 1. & in eodem libro ſæpius. Imo & Joſue, filius Nun, alter clariſſimus typus Salvatoris, qui ſexcenties vocatur in Scriptura *Jehoſchuagh*, tamen Nehemiæ 8. v. 17. dicitur *Jeſchuagh*. Nimirum hi libri poſt captivitatem Babylonicam ſcripti ſunt. Ex quo uſu Syriaco factum eſt, ut Salvator noſter etiam vulgo non *Jehoſchuagh* ſed *Jeſchuagh* vocaretur: ſic enim etiam in titulo Crucis, qui Romæ adſervatur, etiamnum ſcriptum eſt, ut oculatus

teſtis Pagninus tradit. Quod ergo Judæi Salvatorem noſtrum nominant *Jeſchu* ſine L. *Ajn*, in fine, duabus ex cauſis fit partim ex contemptu, ne Salvatorem ipſo nomine fateantur, ut declarat Elias in Thiſbi: partim ex uſu linguæ Thalmudicæ, in qua, *Ajn*, pronuntiatu difficillima ſæpe facilitatis cauſa abſorbetur: partim denique fit a recentioribus Judæis ad blaſphæmandum Salvatorem. Nam iſti tres characteres (*Jod*, *Schin*, *Vau*,) per abbreviationem apud ipſos ſignificant, *jimmach ſchemo vezichro*: *Deleatur nomen ejus & memoria ejus.*

22. *Hoc autem totum factum eſt.* Verba ſunt non Angeli, ut vult ſchola Græcorum, ſed Evangeliſtæ. *Ut adimpleretur, quod* &c. non quaſi res iſtæ contigerint propter prophetias, cum prophetiæ potius præmiſſæ fuerint, quia Deus res iſtas facere conſtituerat, ſed quia, poſtquam Deus easdem res per Prophetas prædixerat, ſimul fidem ſuam ipſo rerum eventu volebat liberare.

23. *Ecce Virgo in utero habebit*, id eſt uterum geret ſeu concipiet. Virgo autem hic in Hebræo vocatur emphatice duplici titulo, tum quod *Almah* (prim. lit. per *Ajn*) ſignificet non ſolam virginitatem, ſed ſimul ætatem, quæ ſcilicet & virgo ſit, & viris abſcondita, & non modo corpore, ſed & aſpectu caſta

ſta ſit, ut latius oſtendit Hieron. in Tradit. Hebr. ſuper Geneſ. & in c. 7. Iſaiæ, tum quod *He* demonſtrativum præfixum gerat, quo ſignificetur illa ſingularis virgo, quam univerſæ generationes reſpiciunt. Conantur quidem hunc locum eludere Judæi, quod ſcilicet virgo ex viri congreſſu concepturа dicatur, quod loquatur de filio Achaz naſcituro, Ezechia ſcilicet; ſed abſurde. Cum enim Propheta ſignum liberationis Achaz ſe daturum promittat, adeoque novum & inauditum, hinc tamquam ridiculum hoc exploſerunt antiqui patres Hieron. & Chryſoſt. tum hic, tum in Iſaiam. Ezechias autem filius Achaz jam tum natus erat, cum Iſaias hoc prædiceret, ut ex ætate, qua regnare cœpit, & annis, quibus regnavit pater, facile colligitur, 4. Reg. 16. v. 2. & ibid. c. 18. v. 2. Prædicit ergo, promittitque Iſaias non tam ſoli Achaz, quam domui David, quæ hoc expertura erat ſuo tempore, & tunc tamquam a Deo veraciſſimo & immutabili promiſſum, certum tenere & credere debebat, non minus ac ſi ſignum fuiſſet oculis præſens, virginem ſcilicet manendo virginem, eſſe concepturam filium.

Et vocabunt. Hebraice *& vocabis*, tu ſcilicet virgo, vel domus David, quæ quia univerſam Chriſti Eccleſiam com-

prehendit, merito mutavit Matthæus numerum: nam, ut ibidem Hieron. non tam verborum ordinem, quam ſenſum Scriptores ſacri in citando ſequi ſolent.

Nomen ejus Emanuel, id eſt *nobiscum Deus*: quo ſignificatur, filium iſtum non ſolum benevolum nobis, & propitium futurum peccatis noſtris, neque etiam in umbris tantum arcæ ac tabernaculi aut templi adfuturum, ut olim; ſed per incarnationis myſterium Deum in humana carne appariturum, & cum hominibus converſaturum, ut notat Chryſoſt. *Vocari* ergo uſitata Scripturæ phraſi uſurpatur pro, eſſe: quomodo Iſaiæ 9. v. 6. dicitur: *Vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus*, &c. ut ſignificet, quod re vera erit talis. Et de Eccleſia dicitur Iſaiæ 62. v. 4. *Non vocaberis derelicta, ſed vocaberis voluntas mea in ea.*

24. *Exurgens autem Joſeph &c.* id eſt mox paruit Angelo. Significatur ergo directe prompta Joſephi obedientia, ad ſolam monitionem in ſomnis factam; indirecte magnitudo virtutis Virginis, de qua tam cito crederet rem tam incredibilem, quod concepiſſet ex Deo.

25. *Et non cognoſcebat eam.* Hebraica eſt, & honeſta phraſis, carnalem commixtionem ab eis removens, cujus-

mo-

modi eſt Geneſ. 4. v. 1. 17. 25. & alibi paſſim. Ut alienior ſit expoſitio Epiphanii Hœreſi 78. rejecta a D. Hieron. qui putavit, quod non cognoſcebat ſanctitatem Virginis.

Donec peperit filium ſuum. Ergo, inquit Helvidius, cognovit eam, poſtquam peperit: ſed bene & ex profeſſo oſtendit Hieron. lib. adverſus eum condito, & Chryſoſt. hic, hujusmodi adverbia, *donec*, *uſque*, & ſimilia, id, quod dubium eſt, exprimere; id, quod certum, relinquere, quia ad propoſitum non pertinent. Dubium enim eſſe poterat, utrum cognoviſſet ſtatim a deſponſatione, quando conjugum fervet amor. Hoc negat, per illud inſinuans, multo minus poſtea virum juſtum attigiſſe templum Dei, Spiritus ſancti ſedem, Domini ſui matrem. Sic Iſaiæ 46. v. 4. *Usque ad canos ego portabo*: &c. 22. v. 14. *Si*, hoc eſt non, *dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini.* Vide ad Corinth. 25. & 2. Reg. 6. v. ult. *Primogenitum*, id eſt, qui primo ei natus fuit, ſeu ante quem nullus alius, etſi ſimul ſit unigenitus, id eſt etſi nulli alii ſubnaſcantur: nam ex primo genito non ſequitur, alios eſſe ſecundo vel tertio genitos, ut volebat idem Helvidius, & manifeſtum eſt ex lege de primogenitis Deo offerendis: nec enim usque ad ſecundo genitos

expectatur: de quo latius ibidem Hieron. Primogenitum autem dicere maluit, quam unigenitum, ut ex hoc ipso consecratus esse Deo intelligeretur.

CAPUT II.

CUM ergo natus esset Jesus in Bethleem Juda; Græce *Judææ*, Judææ. Utrumque accipiendum proprie & stricte, sicut v. 22. est enim & alia Bethleem in tribu Zabulon, Josue 19. v 15.

In diebus Herodis: illius, qui dictus est Herodes primus, magnus Ascalonita, Antipatri scilicet filius, natione Idumæus, religione proselytus.

Regis; fuit enim & alius Herodes, non Rex, sed Tetrarcha Galilææ, hujus filius, Antipas dictus, occisor Baptistæ, & irrisor Christi in Passione, de quo & infra c. 13. v. 1. & Lucæ 3. v. 1. Vocat autem absolute Regem, scilicet non solum Judææ, sed & omnium regionum ei adjacentium; quia fuit & tertius Herodes, Agrippa dictus, nepos hujus, Rex tantum Traconitidis, Galilææ & Itureæ, qui Jacobum Apostolum occidit, Act. 13. Accurate igitur loci nativitatis Christi ac temporis meminit, ut indicet impletas esse Prophetias Micheæ de loco, de quo

quo v. 6. & Patriarchæ Jacob de tempore; cum ſcilicet ablatum eſſet ſceptrum de Juda, & translatum ad Herodem alienigenam, de quo diximus Geneſ. 49.

Ecce Magi venerunt: qua connexione & voce, *ecce*, indicat ſtatim ab ortu Salvatoris Magos adveniſſe: unde etiam adhuc in Bethleem eum invenerunt. Ut mirum ſit, Epiphanium Hæreſi 30. num 29. ſtatuere adventum eorum poſt biennium a natali. Porro *Magus* ex propria vocabuli ſignificatione diſtinguitur a *Maleſico*. *Magi* enim ſunt, ut Hieron. in c. 2. Danielis, qui de ſingulis philoſophantur. *Maleſici*, qui ſanguine utuntur, & victimis, & ſæpe contingunt corpora mortuorum. Qui igitur naturalis Philoſophiæ apicem aſſecuti erant, *Magi* dicebantur. Sed paulatim gliſcente curioſitate, & ad vanitates ſuperſtitionesque delabente, nomen *Magi* in malam partem accipi cœpit: ſicut etiam contigit in nomine Sophiſtæ, Aſtrologi, Tyranni. Fuit autem ſapientibus Perſis peculiare, ut *Magi* dicerentur; ſicut apud Græcos dicebantur *Philoſophi*; apud Indos *Brachmanes*; aut *Gimnoſophiſtæ*; apud Babylonios *Chaldæi*; apud Ægyptios *Hierophantæ*; apud Gallos *Druïdæ*. Hinc, teſte Cicerone lib. 1. De divinat. apud Perſas Rex eſſe nemo poterat, niſi

qui Magorum disciplinam, scientiamque ante percepisset. Quia igitur stella duce usi sunt, & honoris causa videntur Magi vocari, hinc verius est, non fuisse ex infami illo maleficorum genere, ut videntur voluisse quidam: sed, ut Hieron. sup. suæ gentis philosophiæ maximeque astrologiæ dediti.

Unde autem venerint magna disceptatio est. Evangelium dicit venisse *ex Oriente*. Hinc tota Græcorum schola, Clemens Alexand. lib. 1. Stromat. Basilius Hom. De humana Christi generat. Chrysost. & Theophylactus hic, Cyrillus lib. 4. in Isaiam, & alii, sentiunt ex Perside venisse; quibus favet nomen Magi, quod Persis proprium, & modus adorandi cum muneribus: valde autem repugnat regionis distantia ad trecenta circiter milliaria, & temporis brevitas. Hinc alii verisimilius tradunt ex Arabia venisse, Justin. contra Triphonem, Tertull. contra Judæos. c. 9. & Epiph. in doctrina compendiaria: quidquid rideat hic Calvinus, qui dicit eos ex occidente & meridie feciſſe orientem. Nam Tacitus & Chorographi passim statuerunt Judæam ab Oriente respicere Arabiam: & Scriptura testis est Genes. 25. Abraham separasse filios concubinarum ad plagam orientalem, qui tamen in Arabia habitarunt. Nec multum abierunt ab hac sen-

ſententia, qui ex Chaldæa veniſſe volunt. Moti ſunt partim loci propinquitate, & muneribus illis thure, myrrha & auro, quibus abundat Arabia, partim loco Pſalmi: *Reges Arabum & Saba dona adducent.* Ubi Reges Arabum videntur indicare orientem, Inſulæ occidentem, Æthiopes meridiem, Tharſis ſeptentrionem. Ex quo eodem loco videtur manaſſe communis multorum Patrum ſententia, quod Reges, hoc eſt Reguli ſeu principes, & Primores gentis ſuæ fuerint. Ita enim ſentiunt Theophil. Baſil. locis cit. & alii poſteriores multi. Quò faciunt theſauri & adoratio novi Regis, quaſi legatio ad ipſum; hæc enim Principum tantum eſſe ſolent.

2. *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?* id eſt qui non factitius ex hominum electione, ſed nativitate ipſa Rex eſt. Ita multi. Simplicius videtur: ubi eſt ille celeberrimus & ex vaticiniis exſpectatus Meſſias Rex (ut patet ex v. 4.) qui jam natus eſt? Non enim ut dubii, ſed de re certa loquuntur; neque ignarum hoc nuntium fore ſuſpicabantur.

Cauſam autem ſuæ ſcientiæ indicant: *Vidimus enim ſtellam ejus*, hoc eſt certum indicem nativitatis ejus. Cum ergo ea jam natum eſſe colligant, certe non apparuit, niſi ipſo natali ejus die. Cum-

que non dicant, *Vidimus ſtellam quamdam novam*, &c. ſed, *Vidimus ſtellam eius*, colligitur eos loqui de aſtro aliquo noto, quod ex antiqua traditione Judaici Regis naſcituri vel nati, eſſet inſigne. Unde Græce ſignificantiſſime eſt, *iſtud aſtrum eius*: quod videtur ſupponere, non eſſe Judæis ignotum, quod ſibi innotuerat. Itaque merito plerique veteres ſenſerunt, eos fuiſſe inſtructos ex prophetia Balaam, quæ non ſolum in Judæa, ſed in Oriente, unde ipſe oriundus erat, traditione percrebuerat, imo, ut Orig. etiam ſcripto ab ipſo tradita perſeverat. Prædixerat enim Num. 24. v. 17. *Orietur ſtella ex Jacob.* &c. Ita docet Orig. Hom. 13. & 15. in Num. Ambr. lib. 2. in Luc. Euſeb. lib. 9. De demonſtrat. Evangel. c. 1. Baſil. ſup. & alii non pauci. Cum ergo aſtrorum contemplationi, tamquam Philoſophi eſſent dediti, ſtellaque, ut ait Leo Sermone 1. de Epiphania, illuſtrior cæteris, pulchriorque ſideribus, intuentium in ſe oculos animosque converteret, & quemadmodum ſupra Bethleem, ita tunc juxta Euſebium, perpendiculariter Judææ immineret, Deo intellectum juvante intellexerunt hanc eſſe ſtellam illam celebrem, quam prædicari audiverant.

In Oriente: non quod ſtella fuiſſet fixa in oriente, ſed nos in Oriente con-

conſtituti vidimus eam, & propterea de nativitate certiſſimi, *Venimus adorare eum*, id eſt ut honoremus eum cum gratulatione, ſubmiſſione, muneribus, ſicut erga tantum Regem decet, qui juxta prophetiam de iſta ſtella, ſalvabit omnes filios Seth, id eſt univerſum orbem.

3. *Audiens autem Herodes*, talem adventus cauſam, *turbatus eſt*, ſuſpicatus regnum a ſe invaſum periclitari. Fuit enim zeloſiſſimus pro regno ſuæ familiæ ſervando; ut quem Joſephus teſtatur, omnes de ſtirpe regia, id eſt Machabæorum ſuſtuliſſe. *Et omnis Hieroſolyma*, maxima ſcilicet pars, *cum illo*. Quo indicari videtur, eam non lætitia, ut par erat, aut rei tantum novitate turbatam; ſed ſimili turbatione atque Herodes, ut ſcilicet carnali adulatione ei complacerent, quia recenter eum in legitimum Regem acceptaverant.

4. *Et congregans omnes Principes Sacerdotum.* Ita vocantur etiam 2. Paralip. 36. v. 14. qui tamen 1. Paralip. 24. vocantur *Principes ſanctuarii & Principes familiarum ſacerdotalium*, ſcilicet viginti quatuor, ſecundum numerum familiarum: & Num. 3. v. 32. Eleazar ſimplex Sacerdos vocatur *Princeps Principum Levitarum.* Quod ſignum eſt, non ideo hic vocari Principes Sacerdotum, quod

quod tempore Herodis pene annui essent Pontifices, & ita essent plures functi summo Pontificatu.

5. *Et Scribas.* Istos subinde vocare solent legis peritos: nam quem Marcus c. 12. v. 28. *Scribam* nominat, Matthæus c. 22. v. 35. vocat *Legis doctorem*, seu legis peritum, Græce *nomikon.* Et Esdras, qui sæpissime dicitur Scriba, idem lib. 1. c. 7. v. 6. vocatur *Scriba velox*, id est exercitatus & promptus in lege Dei: & v. 11. *Scriba eruditus in sermonibus & præceptis Domini, & cæremoniis ejus in Israel*; adeoque *Scriba legis Dei cœli doctissimus.* Ex quo patet, *Scribas* istos dictos esse non a scribendo, quod essent Scriptores, seu Notarii publici, sed potius a Scripturis sacris, quod eorum esset professio Scripturas, aliaque scripta Ecclesiastica adservare, scrutari, populo lectitare, exponere, dubia solvere. Unde Esdræ Scribæ officium ibidem explicatur v. 10. quod paratet cor suum, ut faceret, & doceret in Israel præceptum & judicium: & Matth. 17. v. 20. ac Marci 12. v. 35. attribuitur Scribis, quod docerent Eliam venturum, & Christum esse filium David; Christusque ipse ad eorum officium alludens, vocat Matth. 13. v. 52. *Scribam doctum in regno cælorum.* Ex quo liquet, cur dicat hic *Scribas populi*; quia populum docebant legem

gem Dei. Unde eadem de causa Herodes *sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur*, id est nasci deberet juxta Scripturarum oracula: & ipsi respondent, *in Bethleem Judæ*, eo quod Michæas propheta diceret:

6. *Et tu Bethleem*, &c. Magna est dissensio Prophetæ & Evangelistæ in hoc testimonio recitando. Quam enim Propheta vocat *Bethleem Ephrata & parvulam*, Matthæus nominat *terram Judæ & nequaquam minimam* inter duces, quos ille nominat. Hieron. in Michæam accusat ignorantiam & negligentiam Scribarum, et Evangelistam vult posuisse, ut illi recitant. Alii volunt memoria lapsos esse subinde Evangelistas in testimoniis allegandis. Sed Evangelistæ accusatio impia est, Scribarum supervacanea. Itaque rectius dixerimus, quod Evangelista Scribarum verba recitet, qui Regi imperito non verba Prophetæ obscuriuscula protulerint, sed sensum. Propheta enim dixit, *Et tu Bethleem Ephrata*, quia alio nomine *Ephrata* vocabatur, ut clare dicitur Genes. 48. v. 7. Scribæ vero explicationis causa, *Et tu Bethleem terra Juda*, quia erat & alia Bethleem in tribu Zabulon, ut supra. Propheta dixit, *Parvula seu minima es*, quod Scribæ intelligentes vel per interrogationem esse dictum, vel per ironiam, clarissimo

sen-

ſenſu expreſſerunt, *Nequaquam minima es.* Pro, *in millibus*, hoc eſt chiliadibus, in quas diviſa erat quæque tribus jam a temporibns Moyſis, juxta conſilium Jethro, Exod. 18. Scribæ poſuerunt, *in principibus*, quia vox Hebraica utrumque ſignificat, inquit Janſenius et Maldonatus. Sed uterque fallitur: numquam enim *Eleph*, id eſt *Mille*, ſignificat Principem, ſed *Alluph*. Alii Principes civitatis intelligunt, ſed genus maſculinum in Græco repugnat. Itaque Scribæ reddiderunt Principes, ſeu Chiliarchas pro chiliadibus, ſeu millibus, quibus præſunt, claritatis ſcilicet cauſa per metonymiam, ut ita tangerent radicem, cur non ſit minima, nempe natalibus Principum, ſeu Chiliarcharum, qui jam ex ipſa prodierant multi, Abeſan, Booz, Iſaï, David, ſed maxime ipſe Meſſias. Unde hoc explicantes Propheta & Scribæ addunt, *Ex te enim exiet Dux*, ille videlicet exſpectatus, quem Meſſiam expreſſit Chaldæus, *qui regat*, Græce *pimani*; nempe uti Paſtor gregem, non modo cum benignitate, ſed et poteſtate: quod Propheta dixerat *Moſchel*, dominator, ſeu qui dominetur *Populum meum Iſrael*, ſcilicet univerſum, non tantum carnalem Iſrael, ſed maxime ſpiritualem, ſeu omnes electos.

7. *Tunc Herodes clam vocatis Magis*: clam,

clam, ne quisquam conſcius eſſet, quid ex eis quæreret, et ſic inſidiæ pateſcerent, ac puer abſconderetur.

Diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit, id eſt perquiſivit, quo tempore apparere cœpiſſet, ut Syrus explicat, ut ſcilicet ita ex notitia tam loci, quam temporis puerum deprehenderet, ſi forte a Magis falleretur.

8. *Et mittens ipſos in Bethleem.* Comites e ſuis nullos addidit, tum quod perfecte Magorum ſinceritati ſimplicitatique fideret, tum ne qua fraudis ſuſpicio oriretur parentibus pueri (paſſim enim tamquam tyrannus timebatur) et fidentius eum peregrinis proderent.

9. *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente*, id eſt quam ipſi in oriente conſtituti viderant. Ex quo colligitur, in reliquo itinere non apparuiſſe, multo minus itineris fuiſſe ducem; hoc enim in primis fuiſſet vel ſupra Herodi, vel hic lectori inſinuatum. Chryſoſt. tamen & Baſilius, locis ſupra citatis, & plures veteres, ſtellam toto itinere præceſſiſſe volunt, et Hieroſolymis diſparuiſſe, ut Judæos conſulere cogerentur, et conſulendo res publice innoteſceret.

Antecedebat eos: tamquam viæ dux, a Septentrione in Auſtrum progrediendo.

Usque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat Puer:

Puer : loco nativitatis imminens, et immobili ſuo ſtatu eum indicans, ne in ipſo loco operoſe inquirere, et rem omnibus propalare cogerentur. Ex quibus aperte ſequitur, non fuiſſe aſtrum iſtud unum ex cæteris aſtris, in cœlo conſtitutis, contra Nyſſen. Hom. 1. De Chriſti incarnat. non fuiſſe cometam communem : fuiſſe terræ valde vicinum, habuiſſe motum valde irregularem. Unde Theophylactus ſtellam vocat virtutem divinam : alii Angelum fuiſſe putant. Credibile eſt habuiſſe formam ſtellæ, et ab Angelo motum, et ſtatum ei inditum.

10. *Itaque gaviſi ſunt gaudio magno valde*, id eſt maximo, quod re pene deſperata itineris labor non eſſet irritus.

11. *Et intrantes domum* : nempe ſpeluncam ſeu ſtabulum. Nam in eodem illo terræ foramine, ut Hier. Epiſt. 17. cælorum conditor natus eſt, viſus a paſtoribus, demonſtratus a ſtella, adoratus a Magis : et hæc communior eſt antiquorum doctrina, etſi Theoph. diſſentiat.

Invenerunt puerum cum Maria matre eius. Quo indicari videtur nullos præterea adfuiſſe, neque Joſeph quidem, ne forte eum Chriſti patrem putarent, Chriſtum omni ſatellitio fuiſſe deſtitutum, Virginemque, tamquam quæ ſine infirmitate pepererat, nutricis aut alte-

terius ope domi non indiguisse. Itaque non obstante tanta omnium rerum abiectione et solitudine, *procidentes*, id est, humi prostrati, ut mos est Orientalibus, *Adoraverunt eum*. Neque hoc honore contenti, *apertis thesauris suis*, seu thesaurorum thecis, quos de industria hanc ob causam secum tulerant, *Obtulerunt ei munera*, quia Orientales sine muneribus accedere aut adorare Reges non solent, sicut etiamnum apud nonnullas gentes in usu est: *Aurum thus & myrrham*; singuli omnia, et quidem dona, quibus patria eorum affluebat: nam ut Poeta Georgic. c. 2. *Solis est thurea virga Sabæis*.

Idem testatur Plinius, libro 12. Natur. histor. qui tantam in Arabia aromatum ubertatem tradit, ut vix alia ibi ligni genera in usu sint, quam odorata, quibus et ignem vulgo foveant. De auri argentique copia res notissima est: quæ confirmatur ab Ezechiele cap. 27. versu 22. Non sine mysterio tamen ista munera fuisse oblata, quidquid rideat solita impudentia, hoc loco Calvinus, unanimi consensu a veteribus omnibus animadversum est, sive Magi hoc divinitus illustrati intellexerint, ut verisimile est, sive non. Breviter id expressit Juvencus a S. Hieron. commendatus.

Thus, aurum, myrrham Regique, homi-
nique, Deoque — Dona ferunt.

Aurum enim, quod Regibus tributum penditur, Regiæ dignitati convenit: *thus* apud omnes gentes (exceptis hæreticis noſtris) adoletur Deo: *myrrha* condiuntur corpora mortuorum, ne putreſcant: unde humanitatem mortis participem, corruptionis expertem indicabat. Tropologice, *Aurum* offerimus, opes omnes pro Chriſto calcando; *Myrrham*, membra paſſionesque mortificando; *Thus*, ea quæ ſurſum ſunt, ſapiendo, ut Bernardus Sermone 3. de Epiphania. Gregorius vero Hom. 10. in Evang. *auro* ſapientiam, *thure* orationem, *myrrha* mortificationem ſignificari tradit.

12. *Et reſponſo accepto*; nempe divino oraculo, ut ex Græco patet. Neque enim ex reſponſo ſequi putes, quod Magi ante dubitantes ſimile quid petierint. Unde pulchro ordine paulatim ad altiora provecti ſunt. Nam dum ſpectandis ſideribus vacabant, ſidere ad cognitionem Chriſti manu ducti ſunt: mox Prophetarum inſtructi vaticiniis per homines; denique, poſt oblata munera, eruditi ſunt ab ipſo Deo. *Ne redirent ad Herodem*; ut & ſe ipſos & puerum periculo eximerent. *Per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.* Non enim propter itineris commoditatem,

ſed

ſed ex promiſſo rediiſſent Jeroſolymam. Ubi plerique veteres ſignificatum notant, per aliam diſciplinam, quam qua venimus, redeundum eſſe ad patriam cæleſtem: de quo Gregor. hom. citata. Late vero & appoſite ad mores diſſerit de tota hac hiſtoria Adamus Sasboldus in quadam Homilia, ſeu Concione de hac re.

13. *Qui cum receſſiſſent, ecce Angelus Domini, &c.* Non ſtatim a diſceſſu apparuit, ſed interjecta tota hiſtoria purificationis, imo reverſionis in Nazareth, ut videtur indicare Lucas c. 2. v. 39. Unde recte notat D. Aug. l. 2. De conſ. Evang. c. 5. ſic unumquemque Evangeliſtam contexere narrationem ſuam, ut tamquam nihil prætermittentis ſeries digeſta videatur. Tacitis enim iis, quæ non vult dicere, ſic ea quæ vult dicere, illis, quæ dicebat, adjungit, ut continuo ſequi videantur. Non tamen negat alia interceſſiſſe.

Surge & fuge in Ægyptum: ut ibi eſſet extra Herodis imperium, & ut per Chriſti præſentiam Ægyptus, diis falſis deditiſſima, & in ea tota gentilitas, jam tum ad veram pietatem præpararetur. Et ſic intelligendum videtur, quod ait Cyrillus Catecheſi 10. & Athanaſ. Serm. contra omnes hæreſes, Chriſtum in Ægypto idola manu-facta diſſolviſſe, & demolitum idololatriam;

non autem quod idola caſu corruerint, ut multi fabulantur: de quo Hieron. initio cap. 19. in Iſaiam. Significatur autem hac fuga, regnum Dei a Judæis ad gentes transferendum, & in fine mundi a gentibus ad Judæos reverſurum. *Futurum eſt enim &c.* Fuga igitur periculum declinare vult, non omnipotentia diſſipare, ut ſic oſtenderetur aſſumptæ naturæ veritas, ut ſervaretur decretæ diſpenſationis ordo, quo venerat cedere, non reſiſtere malo: ut exemplum & auctoritatem fugæ præberet juſtis. Fugit itaque, inquit Fulgentius Serm. 5. non fortitudine humana, ſed diſpenſatione divina: non neceſſitate, ſed poteſtate, ut cedat tempori, non Herodi.

14. *Qui ſurgens accepit puerum nocte*: eadem ſcilicet, qua oraculum acceperat. Ut ex eo doceretur, quanta promptitudo et obedientia ac ſimplicitas divinis mandatis, cum de illis conſtat, præſtanda ſit: & quanta paupertas eorum fuerit, quibus nec ſarcinæ multæ componendæ, nec repetenda debita, nec opes aut res familiaris committenda, utpote qui omnibus iſtis oneribus erant liberi.

15. *Et erat ibi*: habitans, ut traditur intra Heliopolim, & Babylonem Ægyptiam, hoc eſt Cairum: ubi locus etiamnum apud Saracenos celebris eſt.

De

De cujus fonte et arbuſculis balſami, et cæteris, vide Brocardum in fine Deſcrip. Terræ ſanctæ et Adrichomium fol. 47. in deſcriptione Engaddi.

Usque ad obitum Herodis. Quot annos valde incertum; aliis quinque, aliis ſex, aliis novem, aut pene decem tribuentibus: ſed hæc pendent ab anno nativitatis ejus, de quo alibi.

Ut adimpleretur. Ut, eventum, non cauſam ſignificat; nec enim in Ægyptum fugit, ut prophetia impleretur, ſed ex fuga evenit, ut impleretur prophetia Oſeæ 11.

Ex Ægypto vocavi filium meum. Tribus modis Prophetia impleri dicitur: Primo, cum fit id, quod ad litteram ſignificatur, qui modus non habet hic locum: certum eſt enim Prophetam litteraliter loqui de populo Iſraël, quem Deus eduxit ex Ægypto. Secundo, quando fit id, quod ſenſu myſtico per litteram ſeu hiſtoriam figuratur: ſicut ea quæ litteraliter dicuntur de Salomone 2. Reg. 7. v. 14. et de agno Exodi 12. *Os non comminuetis*, &c. implentur vere in Chriſto allegorice per illa ſignificato. Tertio, quando fit aliquid plane ſimile, de quo non minus apte Prophetia dicitur, quam de quo revera dicta fuit: ſicut diceremus in patre filium diligente, impleri illud Maronis:

Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis.

Hunc ultimum modum putant aliqui hic maxime locum habere; ſed revera ſecundus non minus proprie locum habet, ut Hieron. late in illum locum Oſeæ. Fuit enim populus Iſraël, tamquam filius primogenitus dilectus a Deo, verus typus filii naturalis Chriſti Domini, non ſolum filiatione, patrisque dilectione; ſed et nativitate in terra Chanaan, fuga in Ægyptum, peregrinatione & educatione in Ægypto, reditu in Judæam: ut immerito Julianus Auguſtus fraudis arguerit Evangeliſtam, quaſi Chriſto tribuentem, quod de Iſrael dictum fuerat.

16. *Tunc Herodes*, poſt purificationem & fugam in Ægyptum, *Videns, quoniam illuſus eſſet a Magis*: per novos ſcilicet rumores de nato Meſſia, & iis, quæ in die purificationis Hyeroſolymis contigerant, forſan excitatus. Ante enim non advertit ſibi impoſitum, ſive quod aliis implicaretur negotiis, ſive quod huc uſque credidiſſet, ipſos ſpe fruſtratos, præ pudore non fuiſſe auſos regredi. Itaque fraude deprehenſa, ſimulata pietas in apertam erupit crudelitatem. *Occiditque omnes pueros*, nempe maſculos: neque omnes omnino, ſed *a Bimatu*, id eſt, a pueris duorum annorum, ut Syrus transfert, incipiendo, *et infra*, qui ſcilicet minoris eſſent ætatis, quam duorum annorum; eos-

eosque non omnes iterum, ſed *ſecundum tempus quod exquiſierat a Magis*; hoc eſt natos uſque ad diem apparitionis ſtellæ, quam Magi expreſſerant. Quo indicat, non eſſe occiſos illos, qui recenter a triginta vel a quadraginta diebus eſſent nati. Stella enim indicium erat Meſſiæ jam nati, ut etiam Magi dixerant, non naſcituri. Itaque per hanc expoſitionem evaneſcit difficultas quæ multos torſit. Putaverunt enim illud, (*ſecundum tempus*) referendum eſſe ad bimatum, & inde compulſi ſunt dicere, ſtellam ante biennium circiter apparuiſſe Magis, vel Magos poſt biennium a Chriſto nato veniſſe, quod videtur placuiſſe Epiphanio. Sed utrumque eſt inconveniens: referendum eſt enim ad verba, & *infra*.

Cur ergo, inquies, occidit bimulos, ſi ſtella a quinque aut ſex ſeptimanis tantum apparuerat? Reſponſ: majoris cautionis & ſeveritatis cauſa tempus extendi, ne forte ante exortum ſtellæ eſſet natus Meſſias, vel grandior eſſet cæteris. Nam eadem de cauſa etiam locum extendit, occidendo omnes, qui erant *in omnibus finibus Bethleem*.

17. *Tunc adimpletum eſt, quod dictum eſt*, &c. Multi hoc impletum volunt juxta tertium modum ſupra poſitum, ſcilicet quia tunc hoc apte dici potuit de iſtis pueris, quod ad litteram di-

ctum erat de decem tribubus, vel certe de duabus Judæ & Benjamin, in captivitatem abducendis. Sed rectius dixerimus secundum adimpletionis modum hic indicari, quia calamitas illa figura fuerit illius calamitatis, quæ pueris istis, imo quæ omnibus Christi Martyribus evenit, quos Rachel, id est, Ecclesia mater, deplorat. Itaque

18. *Vox*, scilicet ploratus & ululatus magni, *Audita est in Rama.* Interpres Græcus & Latinus juxta Septuaginta accepit, ut nomen proprium: est enim civitas in tribu Benjamin, juxta Gabaa, in confinio tribus Judæ et Benjamin, Judic. 19. versu 13. ut significetur luctum utrique tribui, quæ postea confusæ fuerunt, fuisse communem, & eo usque auditum ululatum. Hieron. accepit ut appellativum, significans, *in excelso*, id est, vox alta audita est, sicut clamor ire in cœlum dicitur.

Rachel plorans filios suos. Rachel mater fuit Benjamin, & in Bethleem sepulta. Termini autem tribus Judæ & Benjamin circa Bethleem concurrunt, & utraque illa tribus post captivitatem mixtim habitavit, ut patet 2. Esdræ cap. 11. Itaque metonymice per Rachel, prolium suarum amantissimam, significatur tota regio Bethleem, seu matres Bethlemiticæ & Benjamiticæ. Quod autem mortua mater plorans inducitur,

pro-

prosopopœja est, Prophetis & Poetis familiaris, & ad affectus movendos efficaciſſima, qui in Tragœdiis ſuis mortuorum, aut diverſarum urbium manes lamentantes inducunt.

· *Et noluit conſolari*, id eſt conſolationem accipere ſuper filiis ſuis, propter doloris magnitudinem: *quia non ſunt*, id eſt, quia non inveniuntur, hinc ſcilicet ſive captivitate in exteras Regiones, ſive morte translati, in ſinum Abrahæ. Nam Veteres omnes, qui de iſtis infantibus tractant, ſummo conſenſu eos Martyres Chriſti faciunt, Iren. lib. 3. cap. 18. Greg. Homil. 4. in Pſal. 36, circa med. & Homil. 3. in diverſos, Hilar. Theoph. & alii, in Commentariis: & ita ſentit Eccleſia, quæ eos *flores Martyrum* nuncupat. Fuiſſe numero quatuordecim millia legunt Æthiopes in Miſſa, quam ſibi relictam a S. Matthæo dicunt, et Græci notant in Calendario.

19. *Defuncto autem Herode*, interna febri, voracitate, inteſtinorum exulceratione, prurigine corporis intolerabili, colica, podagra, ventriculi inflammatione, verendorum putredine, vermibus, fœdiſſima lentigine, nervorum contractione, aſthmate, fœtore denique intolerando, ut teſtis eſt Joſephus libro 1. de bello Jud. cap. 21. et maxime 17. Antiquit. cap. 18. *Appa-*

ruit Angelus: aliquot menſibus tamen a morte Herodis. Nam Archelaus, qui hic dicitur regnaſſe in Judæa, non obtinuit Judææ præfecturam, niſi poſtquam Cæſar de teſtamento Herodis conſtituiſſet, et ipſe Roma eſſet reverſus.

20. *Defuncti ſunt enim.* Pluralis pro ſingulari; nam de ſolo Herode loquitur, ut patet ex v. 19. *Qui quærebant animam pueri*, id eſt, vitam ejus auferre. Itaque Joſeph, accepto puero & matre ejus,

21. *Venit in terram Iſrael*: in ejus ſcilicet limites, ſeu in fines tribus Simeonis ac Dan, qui Ægypto proximi ſunt.

22. *Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa*, id eſt, in ſorte tribus Juda & Benjamin, in qua eſt Bethleem: diſtinguitur enim a Galilæa et a terra Iſrael. Regnaſſe porro dicitur, id eſt, præfuiſſe regia poteſtate, non tamen regio nomine, & quia ſtatim a morte Herodis a militibus ſaltem Rex ſalutatus fuit. Nam Herodes teſtamento quidem reliquerat Archelao regnum, ſed Cæſar Auguſtus, cujus beneplacito teſtamentum ſubjecerat, conſtituit eum Ethnarcham, (id eſt gentis Principem) dimidiæ partis Regni Herodis, hoc eſt Judææ, Idumææ, & Samariæ, Regnum etiam pollicitus, quam primum tali honore ſe dignum redderet. Alterum

di-

dimidium regni in reliquos duos filios Herodis partitus eſt, Antipam ſcilicet, qui & poſtea Herodes cognominatus eſt, creaus Tetrarcham Galilææ et Petrææ: Philippum vero Batameæ, Traconitidis, et Auranitidis, cum parte domus Zenodori; ut vocabatur, quemadmodum horum teſtis eſt Joſephus 17. Antiquit. cap. 3. Itaque Joſeph

Timuit eo ire: in Judæam ſcilicet ac Bethleem, territus, ut videtur regio nomine, quod Archelaus affectabat, & crudelitate ejus, propter quam Viennam Galliæ a Cæſare relegatus fuit, ut Joſeph. ibid. c. ultimo: denique ne ex habitatione Bethleem refricaretur Archelao facti memoria. Itaque *ſeceſſit in partes Galilææ*, inferioris, in qua eſt Nazareth, quia Antipas, cui illa ceſſerat, mitioris erat ingenii.

23. *Et veniens habitavit.* Pleonaſmi ſunt, Hebræis familiares, ut cum dicunt, *ſurgens abiit, reſpondit dicens*, & ſimilia. *In Nazareth.* Oppidum in monte ſitum, Lucæ 4. v. 29. in tribu Zabulon, prope montem Thabor, ad occidentem, ubi Chriſtus conceptus, et educatus eſt. *Ut adimpleretur*, id eſt, ex quo factum eſt, ut adimpleretur. *Quod dictum eſt per Prophetas.* Pluraliter loquitur, ut Hieron. obſervat, quia apud nullum Prophetam reperitur hoc teſtimonium, *Quoniam Nazaræus vocabi-*

bitur; ſed tantum res illo teſtimonio ſignificata, hoc eſt ſicut idem Hieron. hoc nomen exponit, quia ſanctus Dominus futurus, & ab omni pollutione ſeparatus, prædictus eſt, quod ſignificatur nomine *Nazaræi* ſeu *Nazir*, ut expoſuimus Num. 6. Sed difficultatem adfert, quod Chriſtus *Nazaræus* vulgo dictus eſt, prout in medio ſcribitur, per *Tzade*, non per *Saim*, hoc eſt *Notzeri*, ut teſtatum facit titulus Crucis, teſte Pagnino; et ita nomen *Nazareth* debere ſcribi ex veterum Hebræorum Commentariis probat: unde & Græce ſcribitur *Nazóræos*, non *Naſaræos*. Itaque rectius dixerimus *Nazaræum* vocandum Chriſtum, quia prædictus eſt ab Iſaia futurus flos ſeu germen, c. 11. v. 1. Hebraice *Netzer*, unde civitas vocatur *Netzàreth*; Syriace *Natzeràth*. Ex quo loco Iſaiæ, teſte Hieron. ibidem, eruditi Hebræorum teſtimonium illud deſumptum putant: vel etiam quia Chriſtus paſſim humani generis cuſtos, & ſervator prædictus eſt, a *Natzar cuſtodire*. Unde et illud *Netzer*, de quo ſupra, id eſt, flos ſeu germen aut planta tenera, quæ ita vocatur, quod accurate ab injuriis cuſtodiatur. Itaque Evangeliſta voluit odium iſtius nominis, propter quod Chriſtus, Joan. 1. v. 46. & Joan. 7. v. 41. & Chriſtiani poſtea contempti ſunt, in honorem

rem convertere; nec impedire debere, quo minus Meſſias crederetur, etiamſi a Galilæa & Nazareth, tamquam habitationis loco venerit, eo quòd hoc ipſum ſit Propheriis maxime conſonum.

CAPUT III.

1. IN *diebus autem illis*, quibus habitabat adhuc Chriſtus in Nazareth. Contigit autem hoc facile viginti, & amplius annis poſt hiſtoriam proxime narratam, reditum ſcilicet ex Egypto. *Venit Joannes Baptiſta*: ita dictus ab officio divinitus delegato baptizandi pœnitentes, & præparandi ad Chriſtum Dominum, ut eſſet ejus præcurſor, ne, ſi ſubito Chriſtus et inexſpectatus populo imparato ſe objeciſſet, facile repudiaretur. *Prædicans*, pœnitentiam ſcilicet et baptiſmum: *in deſerto Judææ*, id eſt in regione ſaltuoſa, in qua habitabat Zacharias, inquit Beza in hunc locum, ut ita odio Eremitarum deſertum Joannis in locum habitatum convertat. Sed errat: tum quia deſertum hoc erat circa Jordanem, ut Evangeliſtæ indicant: habitatio autem Zachariæ erat in montanis, in civitate Judæ,

dæ, Lucæ 1. quæ montana a Jordane remotiſſima ſunt. Unde Jerem. 33. verſ. 13. opponuntur montana Judææ campeſtribus, ſcilicet circa Jordanem, ut occidens orienti, tum quia tota antiquitas tradidit, Joannem in vera eremo ſolitariam duxiſſe vitam, et prædicaſſe, ideoque Eremitaram eſſe Principem, de quo Chryſoſt. Hom. de Joanne Baptiſta, et Hom. 1. in Marcum, & Hieron. Epiſt. ad Euſtoch. & ex ſolo victu ac veſtitu ejus ſatis manifeſtum eſt.

2. *Et dicens*, id eſt, componens prædicationem ſuam in hanc ſummam totius Evangelii ſecuturi: unde & Chriſtus idem prædicavit. *Pœnitentiam agite.* Græce *metanoite*, quod Beza vertit *reſipiſcite*, ut ſignificet dolorem tantum, quo corrigatur, quod perperam factum eſt, & excludatur omnis pœnalis actio pro delendis omnibus peccatis. Sed contrarium indicat paſſim Scriptura, ut infra cap. 11. verſ. 21. in cinere & cilicio *pœnitentiam egiſſet.* Vide 1. ad Corinth. 9. v. 10. & 11. Jonæ 3. Unde & hic præter dolorem & vitæ mutationem, etiam confitentur peccata, & baptizantur.

Appropinquavit enim Regnum Cœlorum, id eſt, in proximo jam eſt non regnum terrenum, quod hactenus affectatis et exſpectatis, ſed fæliciſſimum regnum

num cœlorum, ſeu cœleſte, cujus nemo ſine pœnitentia particeps ſit. Hoc regnum eſt idem, quod regnum Dei, ſeu Chriſti vel Meſſiæ in homines: nec eſt aliud, quam quo Deus, ſeu Meſſias per doctrinam Evangelii, & Spiritum ſanctum cordibus infuſum, hoc eſt per cognitionem & amorem deſtructo diaboli dominio, perfecte regnat in animis omnium electorum. Itaque unum et idem eſt hujus vitæ et futuræ, ſed ibi per felicitatem æternam completur, quod hic inchoatum eſt. Nova igitur atque hactenus inaudita fuit hæc prædicatio, & prædicationi veteris Teſtamenti prorſus oppoſita. Ibi enim veſtimentorum mutatione & lotione jubentur ſe præparare, Exodi 19. hic animi mutatione, & pœnitentia: ibi omnia terrorem, mortiſque comminationem ſpirant, hic amorem & rei feliciſſimæ promiſſionem: ibi bona carnalia, regnumque terrenum, hic ſpiritualia & regnum cæleſte. Nam quamvis et vetus Scriptura præceptis morum ſanctiſſimis plena ſit, finis tamen, quo referantur, occultus eſt, inquit Aug. 19. contra Fauſtum c. ult. hoc eſt, ut ibidem explicat, quamvis, et ibi non ſolum ſanctitatis, ſed et præmii ejus, reſurrectionis ſcilicet mortuorum, et æternæ vitæ fiat mentio, hoc tamen non ſolum non fuit præ-

mium veteris Teſtamenti, ſed potius novi. Quod etiam non fuit aperte revelatum, & prædicatum, niſi in novo: nam ori illius, & præcurſoris ejus, nominandum ſervabatur, quem Regem ad regendos, et Sacerdotem ad ſanctificandos fideles ſuos univerſus ille apparatus veteris Teſtamenti parturiebat eſſe venturum, ut ibidem Auguſt. Idem aperte docet Hieron. Epiſt. 129. ad Dardanum, & Chryſoſt. hic.

3. *Hic eſt enim*, qui non ſuopte impetu, et præſumptione ad prædicationem illam proſiliit, ſed *qui dictus eſt*, ſeu prædictus, *per Iſaiam dicentem: Vox clamantis*, ſcilicet, Dei, auditur *in deſerto*: ita ſcilicet, ut Joannes ſit ipſa vox clamantis Dei. Nam ipſe Joan. 1. v. 23. dicit: *Ego vox clamantis*, &c. Et ita communiter obſervant antiqui, Joannem eſſe vocem Dei, verbi ſcilicet prænuntiam, ſicut ipſe Chriſtus eſt Verbum Dei, ut Epiphan. Hæreſi 69. & Ambroſ. in Lucam. Poſſet tamen intelligi *Vox clamantis*, ſcilicet præconis, auditur, vel etiam juxta Hebræa, *Vox clamans*, palam ſcilicet & liberrime auditur. Adfert hoc Iſaias, velut probationem, ac ſignum, quod tempus conſolationis Jeruſalem jam adveniſſet, quia ſcilicet jam auditur vox præconis, qui Regem conſolatorem præcedit. *Parate viam Domini*, id eſt

ex-

expeditam reddite, omnia tollendo impedimenta, ne quid adventum ejus impediat. *Rectas facite semitas eius*, viarum scilicet obliquitates, & asperitates ad rectitudinem, æqualitatemque redigendo, ut Regibus adventantibus fieri solet. Est enim continua metaphora, ab humano more sumpta, quo sicut paratur Regibus via, auferendo saltus, & impedimenta, & sordes, & ornando tapetibus, ita Christo paranda dicitur, tollendo veteris vitæ peccata, ac vitia, & novæ vitæ virtutibus absque hypocrisi animum imbuendo. Eo enim tendit tota prædicatio Joannis: Pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiæ, tamquam quibus paretur via Christo venienti. Quod ut non solum voce, sed & factis, totaque vitæ compositione prædicaret, ut verum Christi præconem decet.

4. *Habet vestimentum*, non pellem cameli, sed vestem *de pilis camelorum* contextam, adeoque vilem, asperam & rudem, pœnitentiæ congruam: quam Anselmus hic vocat *cilicium camelinum*. A quo, sicut ab omnis austerioris vitæ institutò, cum hæretici, tamquam a colubro abhorreant, nolunt hic aliquid particulare Joanni adscribi: sed Magdeburgenses volunt fuisse usitatum vestimenti genus hominis montani; David Chrytræus fuisse undulatam ve-

ſtem, ſimilem ei, quam dicimus a camelis *Camelot*. Sed eos refutat Chriſtus ipſe, minime delicatum & mollem veſtitum ejus commendans, Matt. 11. verſ. 8. et 9. *& zonam pelliceam*, id eſt, non pretioſam, ſed coriaceam, ut ſpiritu ita & habitu Eliam referens. *Circa lumbos ſuos.* Quo ſignificatur partim libidinis refrænatio: partim accinctio, ſeu præparatio ad opus, juxta illud, *Sint lumbi veſtri præcincti.* Unde & apud Ethnicos diſcinctum eſſe, mollis, ignavi ſolutique hominis indicium erat.

Eſcá autem ejus locuſtæ. Græce *akrides*, quas aliqui olim apud Theophylactum nuces, aut poma ſilveſtria eſſe voluerunt: probabilius alii eſſe ſummitates herbarum, Græcis etiam *akrides* dictas, quod acriter tuetur Iſidorus Peluſiota libro 1. Epiſt. 132. Sed longe eſt verius id, quod veteres tradunt, fuiſſe veras locuſtas, ſcilicet inſecta illa nota, quæ niſi fuiſſent in cibos uſurpata, non ponerentur inter animalia munda, Levit. cap. 11. Unde Hieron. Lib. 2. contra Jovinianum, *Orientales*, inquit, *& Libyæ populos, quia per deſertum & calidam eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur, locuſtis veſci moris eſt.* Et Plinius lib. 6. cap. 30. addit Æthiopes quosdam locuſtis tantum vivere, fumo & ſale duratis in annua alimenta. Ut abſurda merito videri debeat qu rumdam

dam hæreticorum audacia, qui ex locustis cancros marinos fabricant, quibus, licet contra legem, Evangelica libertate uteretur.

Et mel silvestre, id est, quod in silvis, in arborum truncis, & rupibus ab apibus agrestibus fieri solet, & satis magnam fuisse copiam Samsonis & Jonathæ exempla, Judic. 14. v. 8, & 1. Reg. 14. vers. 26. probant. Amarissimum fuisse tradit Isidorus loco cit. sed qui probaverunt, verisimilius hoc negant: est enim insipidius quidem, dulce tamen ut mel. Vestitus ergo asperrimus, et victus erat vilissimus, pœnitentiæ, cælestisque regni prædicatori congruus.

5. *Tunc exibat ad eum Jerosolyma*; mira ista vitæ sanctitate, pœnitentiæ exemplo, promissionis novitate, & miraculis in nativitate ejus in memoriam revocatis, excitata: plus enim, ut Chrysost. resonabat ejus conversatio, quam vox. *Et omnis*, id est tota, *Judea*, magna scilicet ejus pars. *Et baptizabantur ab eo*, tamquam profitentes hoc signo se similiter intus a peccatis ablui velle per pœnitentiam, quam prædicabat. Unde disponebantur hoc signo quodam præcursorio ad baptismum Christi facile recipiendum. *Confitentes peccata sua*, id est, non tantum confitentes se esse peccatores, ut fere hæretici volunt, sed exponentes sigillatim

peccata ſua: hoc eſt enim confiteri peccata, ſicut & Act. 19. verſ. 18. feciſſe leguntur, nempe in ſignum veræ pœnitentiæ, quæ ſigillatim damnat crimen, & damnando quaſi expuit, & animum revelat. Unde ritus ille particularis hujusmodi confeſſionis fuit etiam in veteri Lege uſitatus, ut clare colligitur ex Numer. 5. verſ. 7. & Levit. 5. v. 5. & 18. ut illis locis notavimus.

7. *Videns autem multos Phariſæorum & Sadducæorum.* Tres erant præcipuæ ſectæ apud Judæos, ut Joſephus libr. 2. de bello Judaico c. 7. *Eſſeni*, omnium probiſſimi, *Phariſæi* & *Sadducæi*. *Phariſæos* dictos quidam volunt quaſi *Poreſcim*, id eſt Interpretes legis. Sed illi potius dicuntur Scribæ, qui non omnes erant Phariſæi. Dicuntur ergo *Phariſæi*, quaſi diviſi a cæteris, propter vitæ ſanctimoniam aſcititiam & ſuperſtitionem, ſive hoc deducas a *Parátz*, ut Hieronymus in Quæſt. Hebraicis in cap. 38. Geneſ. ſive potius a *Paraſch*, ut Epiphan. initio Panarii: dicuntur enim Hebraice *Peruſcim*. Hieronym. in cap. 8. ver. 11. Iſaiæ auctorem *Phariſæorum* facit Hillel, ſicut Scribarum Sammai, qui, inquit non multo prius quam Chriſtus Dominus naſceretur, orti ſunt in Judæa. Sed de Scribis res certa eſt, longe fuiſſe antiquiores, imo jam

ab

ab Eſdræ temporibus viguiſſe, ut ſupra dictum eſt. *Phariſæos* autem & *Sadducæos* conſtat jam inde a tempore Machabæorum fuiſſe ſectas formatas, ex Joſepho 13. Antiquit. cap. 9. & 18. Dicti ſunt autem, ſive a Tſadoc, ſectæ principe, ſive quaſi *Tzaddikim*, id eſt, *juſti*, quod de juſtitiæ perfectione gloriarentur. Inter eos hæc erat differentia, teſte Joſepho, locis cit. & 18. Antiq cap. 2. quod *Phariſæi* certiorem legalium rituum notitiam profiterentur, traditionibus viverent, fatum admitterent, ita tamen, ut libertatem in plerisque non deſtruerent: animam ſentirent eſſe immortalem: bonas in alia migrare corpora, malas perpetuis plecti pœnis. *Sadducæi* contra nihil fato tribuebant, omnia hominis libertati: animarum præmia & pœnas, corporum reſurrectionem, ac ſpiritus omnes, itemque traditiones negabant. Sadducæi pauci erant, ſed fere ditiores. Unde & divites Sadducæis adhærebant, populus Phariſæis, apud quem tanta erat eorum authoritas, ut quamvis obloquerentur Pontifici, aut Regi, fidem tamen iis haberet. Nam quidquid ad ſolemnes precationes & cultum divinum pertinebat, juxta eorum præſcriptum fieri ſolebat: usque adeo, ut cum Sadducæi magiſtratum, licet inviti ſuſciperent, mox Phariſæorum de-

cretis assentirentur; nisi facerent, non ferendi a populo. Istæ igitur sectæ confluebant ad baptismum Joannis; magis fortasse, ut populo suum sanctitatis studium probarent, quam Deo. Ita enim solent hypocritæ se sanctis adjungere; quibus proinde Joannes dicebat:

Progenies viperarum. Vipera serpentum nocentissima est, ut ex Act. 28. liquet, de cujus natura multi multa philosophantur. Plinius lib. 10. cap. 62. Arist. lib. 5. c. ult. Hist. animal. miscent & fabulosa quædam. Ambros. lib. 5. in Hexaem. cap. 7. ex Basil. Hom. 17. in Hexaem. Unde alii respici putant ad invidiam, & calliditatem, ut Augustin. & Gregor. alii ad animum homicidam, eo quod viperæ fœtus matres suas, uterum perrumpendo, occidant, ut faciunt mali Doctores, maxime hæretici. Generaliter itaque *progeniem viperarum* vocat Hieron. in cap. 30. Isaiæ pessimorum parentum pessimos filios, homicidarum scilicet homicidas, invidorum invidos. Non enim est hæc laus a pœnitendi prudentia petita, ut putavit Ambros. lib. 2. in Lucam, sed gravissima est increpatio. *Quis demonstravit vobis, &c.* id est, quomodo fieri potest, cum viperæ potius quam homines sitis, justorumque persecutores, & justitiæ simulatores, ut aliquis vobis monstraverit, seu persua-

se-

ſerit, ad remedium a pœnis æternis, quas vel non creditis, vel juſtitiæ præſumptione non timetis, huc eſſe vobis recurrendum? Admirantis enim verba ſunt rei novitatem, ac difficultatem. Sed ſi tamen vero pœnitentiæ dolore tacti ſitis,

8. *Facite fructum dignum pœnitentiæ*, ſeu *pœnitentia*, hoc eſt qui decet veram pœnitentiam, ſeu animi reſipiſcentiam. Fructus illi ſunt peccatorum deteſtatio, lachrymæ ex corde expreſſæ, affectuum malorum, morumque correctio, & in primis virtutum ſtudia peccatis contraria, ut Greg. Hom. 20. in Evang.

9. *Et ne velitis dicere intra vos*, id eſt, Nolite cogitare & ſtulta iſta cogitatione, ac fiducia vos ſeducere: *Patrem habemus Abraham*, id eſt, ut Joan. 8. dicunt, verſ. 32. *Semen Abrahæ ſumus*: & verſ. 39. *Pater noſter Abraham eſt*; cui ſcilicet a Deo promiſſio facta eſt, & hæreditas ſalutis filiis danda: hoc enim adfertur velut cauſa ſecuritatis contra venturam iram, cum Deus non frangat fidem ſuam. Errabant, eo quod de carnalibus filiis hoc intelligerent, cum filii Abrahæ fiant imitatione fidei, contra cujusmodi cogitationes etiam agit Apoſt. ad Rom. 9. verſ. 6. & ſequentibus.

Dico enim vobis, quoniam Deus eſt potens de lapidibus iſtis, quos coram cer-

ni-

nitis, *ſuſcitare filios*: ſicut olim Adamum ex terra, Evam ex eius latere, Iſaac ex emortuis corporibus Abrahæ & Saræ, qui ratione ſterilitatis, Iſaiæ 51. verſ. 1. comparantur Petræ, unde Judæi exciſi ſint. *Abrahæ*: Dativus eſt, id eſt, quos Abrahæ promiſit, ut iis conferendo promiſſam benedictionem, liberet fidem ſuam vobis pereuntibus. Veriſimile tamen eſt alludi ſimul ad vocationem gentium, quæ duræ erant inſtar lapidum, & colendo lapides lapidibus factæ erant ſimiles: ſic enim intellexerunt magno conſenſu veteres, Hieron. Ambr. Theoph. in hunc locum, poſt Iren. lib. 4. cap. 16. Clem. Alexand. ſerm. ad Gentes, Orig. Homil. 6. in Exod. & 4. in Jerem.

10. *Jam enim ſecuris*. Securim intelligit Hieron. Prædicationem Evangelicam, Gregor. Chriſtum, qui conſtet ex humanitate, velut manubrio; divinitate, ut ferro. Sed cum tota oratio ſit tropica, totus potius contextus intuendus eſt, quam ſingulæ partes. Itaque excludit alterum emendationis impedimentum, ſpem ſcilicet differendi ſupplicii. Jam enim ſecuris poſita eſt, non ad ramos, ut ſuperflua decidendo levius caſtigentur, ſed *ad* ipſam *radicem* arborum, ut funditus excidantur & pereant. Significat enim jam imminere cervicibus extremum & ire-

reparabile excidium, non ſolum Judæis inferendum per Titum et Veſpaſianum, vel per translationem Evangelii ad Gentes, ut quidam intelligunt, ſed etiam ſingulis hominibus infligendum per æternam damnationem. Hoc enim eſt, quod ſequitur:

Omnis ergo arbor, ſeu homo, etiamſi nepos, aut filius carnalis fuerit Abrahæ, ſi ſterilis bonorum operum, *excidetur*, jamjam (Græce eſt, *excidítur*,) ex hac vita ſcilicet per mortem. *Et in ignem mittetur* inextinguibilem, v. 12. ſeu ſupplicii æterni. Dicitur hoc jam poſt adventum Chriſti fieri magis, quam ante; quia nunc palam cœpit in toto mundo prædicari. Scripturæ autem phraſi res tunc fieri dicitur, cum palam innoteſcit. Hinc antea ignorantia & infirmitas magis veniam, ſupplicii-que diminutionem, ac dilationem merebantur.

11. *Ego quidem baptizo &c.* Non cohærent hæc immediate præcedentibus, ſed dicta ſunt a Joanne, ut reſponderet populo cogitanti eum eſſe Chriſtum, ut patet Lucæ 3. verſ. 15. & 16. negat enim hîc ſe eſſe Chriſtum, aſſerendo ſe tantum eſſe præcurſorem ejus, qui ei paret viam.

Ego enim baptizo vos in aqua: id eſt. nudo elemento tango corpus, nec ad animum penetro, ut remiſſionem pec-

catorum conferam: non tamen profana lotione, ſed, *in pœnitentiam*, id eſt, in profeſſionem pœnitentiæ, quod ſcilicet pœnitemini de peccatis veſtris, & ablutionem eorum deſideratis.

Qui autem poſt me venturus eſt. Græce, *venit*, tempore præſenti, ut etiam eſt Latine apud Marcum: id eſt, Ille, cui ut Lucifer orienti ſoli viam paro, et qui jam jam poſt me in proximo adeſt, *fortior me eſt*; id eſt, virtute et efficacia me longe præſtantior, utpote qui ipſa corda penetrabit, et auferendo peccata ſalutem dabit. Diſtantiæ vero magnitudinem indicans, addit: *cujus non ſum dignus*, ſi ſcilicet naturæ conditionem ſpectes, *calceamenta portare*. Sanctiorem enim locum ingreſſuri ſolebant Judæi calceamenta deponere. Exodi 3. verſ. 5. & Joſue 3. verſ. 15. ſicut & hodie Turcæ; Græce eſt, *hypodemata*, quod multi *ſandalia*, ſeu *ſoleas* interpretantur plantis ſubligari ſolitas. Alii Evang. dixerunt *corrigiam calceamentorum ſolvere*. Sed idem exprimunt diverſa comparatione; nempe indignum eſſe, cui vel extremum & viliſſimum miniſterium ejus committatur. Nam, ut ſæpiſſime inculcat Auguſt. in libris de Conſenſu Evangeliſt. apicibus verborum non eſt liganda veritas, quaſi iisdem omnino verbis, quo res dicta fuerit, narrari debeat; cum in omnibus ſignis ver-

bo-

borum non ſit niſi ipſe animus inquirendus. Nam ex hac ipſa Evangeliſtarum diverſitate ſalubriter diſcimus, nihil aliud eſſe quærendum, quam quid velit ille, qui loquitur, ut ait libr. 2. cap. 12.

Ipſe vos baptizabit: id eſt, tinget largiter, non ſolum corpus, ſed animam; nec ſola aqua, ſed *ipſo Spiritu ſancto*, cordibus infuſo. Cum autem ſit bonorum omnium fons Spiritus ſanctus, hoc nomine, ut Chryſoſt. hic notat, inſinuantur omnes illi magnifici effectus ejus, peccatorum remiſſio, regeneratio, renovatio, juſtificatio, adoptio, jus cœleſtis hæreditatis: ut ita intelligamus, quanta eſt differentia inter corpus & animam, aquam et Spiritum ſanctum, apparatum rei & rem ipſam, tantum eſſe diſcrimen inter baptiſmum Joannis et Chriſti.

Et igni. Illud (&) videtur eſſe exegeticum, ſeu explicativum, non copulativum, q. d. hoc eſt igni, ſive Spiritu ſancto, qui igni ſimilis eſt vi et efficacia, conſumens peccata, illuminans tenebras, accendens amore charitatis, & ſurſum rapiens. Unde Chriſtus: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur?* Simul tamen alludit ad viſibilem ejus apparitionem, in Pentecoſte futuram, ut Cyril. Catech. 17. Hieronym. hic, et alii com-

communiter: imo ut ſatis indicat ipſe Chriſtus, Actor. 1. verſ. 5. Proinde qui per *ignem* intelligunt ignem judicii, ſeu examinis divini, ut Hilarius, vel gehennæ futuræ, ut Theoph. Antioch. lib. 1. et Baſil. libr. 5. contra Eunom. vel purgatorium, ut Hieronym. hic et Gregor. vel tribulationem, minus videntur textui congruere.

12. *Cujus ventilabrum in manu ſua.* Promiſerat Chriſtum fore Salvatorem, nunc prædicit et Judicem. *Ventilabrum* eſt vannus. Auguſtin. in Pſalm. 92. vocat *Palam*, inſtrumentum ſcilicet, quo, vi agitationis et venti, paleæ a frumentis ſecernuntur. Hinc Iren. libr. 3. cap. 28. et Tertull. libr. de fuga in perſecut. cap. 1. volunt ſignificari perſecutionem, quæ *aream* Dominicam, id eſt, Eccleſiam, ſeu confuſum acervum fidelium eventilat & purgat, non facieus, ſed indicans *paleas*, id eſt eos, qui inſtar palearum leves ſunt, et ex Eccleſia vi hujusmodi tempeſtatis evolant. Sed rectius per *ventilabrum* intelligas diſcretionem illam extremi judicii, ut Auguſt. in Pſal. citat. et alibi ſæpius, qua ſeparabuntur etiam corporali loco boni et mali. *Et congregabit triticum*, id eſt eos, qui fuerint humilitate depreſſi, ſinceritate candidi, virtutibus fœcundi, pietate et conſtantia contra ventos tentationum et perſecutio-

bonum graves, *in horreum*, ſive regnum cœlorum. *Paleas autem*, id eſt, malos Eccleſiæ, ex eodem ſcilicet ſemine verbi et baptiſmo natos, eadem pluvia doctrinæ alitos, iisdem Sacramentis colligatos, ſed virtutis inanes, operibus bonis ſteriles, quique, ut apte Baſil. in Regulis brevioribus reſp. 257. inſtar palearum non ſibi, ſed frumento Domini utiles ſunt, *comburet igni inextinguibili*, hoc eſt æterno: quo indicat ſimul & pœnarum, et punitorum æternitatem.

13. *Tunc*, cum ſcilicet ita Joannes homines ſua prædicatione et baptiſmo ad pœnitentiam et ad ipſum Chriſtum, jam jam propinquum, præparaſſet, *venit Jeſus a Galilæa*, nimirum Nazareth, natali loco, ubi hactenus privatus vixerat, *in Jordanem*, id eſt, eam regionem Jordanis ac Judææ, ubi baptizabat Joannes: *Ut baptizaretur* ab eo, et hac occaſione ipſe Chriſtus manifeſtaretur in Iſrael, in tanta hominum affluentia (quam cauſam dat ipſe Joannes ſui baptiſmi, Joan. 1. v. 31.) et ut magiſterium ejus erga genus humanum coram tanta turba cæleſti voce declararetur.

14. *Joannes autem prohibebat eum*: id eſt arcebat, vel baptizare renuebat, idque tum propter perſonæ excellentiam, tum ne putaretur indigere pœ-

ni-

nitentia, ſicut cæteri. *Dicens, Ego a te debeo baptizari*: non debito præcepti, ſed indigentiæ. Græce eſt enim *chrian echi*, id eſt indigeo, opus eſt mihi baptizari, non baptiſmo aquæ, quem nec-dum temporis ratio poſtulabat, ſed Spiritus ſancti et ignis, quem ſupra prædicaverat, idque quia illo baptiſmo ab originali labe ablui indiguerat, & a quotidianis ablui indigebat. *Et tu venis ad me.* Emphatice legendum, *tu ad me?* nempe Dominus ad præcurſorem? Agnus ſine macula ad peccatorem?

15. *Jeſus autem dixit, &c. Sine modo*: id eſt, permitte me baptizari: quo verbo, *ſine*, non tam improbat, quam approbat recuſationem Joannis: ſed addens, *modo*, ſignificat hoc fieri debere temporaria quadam diſpenſatione, ut obſervat Nazianzen. Orat. 39. Cauſam autem ſubjecit: *ſic enim*, cedendo ſcilicet delatis honoribus, inferioribus nos ſubmittendo, & in ſimilitudine ſignorum ſimilitudinem carnis peccati magis magisque adimplendo, *decet nos*, Græce, *decorum eſt*, ſeu convenit nobis juſtitiæ ſcilicet magiſtris, (ſe enim & Joannem videtur comprehendere, niſi malis de ſe ſolo pluraliter loqui) *adimpleer*, non ſolum docendo, ſed in primis faciendo *omnem juſtitiam*, id eſt, quidquid juſtum, virtuti conſentaneum, Deoque gratum, etiamſi non debeat,

id

id est, non necesse sit fieri. Fuit autem hoc justum, seu justitiæ virtutique consentaneum, multis ex capitibus. Primo, ut sic exemplo suo humilitatem quam efficacissime commendaret, quod passim a Patribus notatum est: ut aquas purificatione sua purificaret, inquit Nazianzen. Oration. 34. & eis vim regenerandi daret, ad baptismum scilicet eas destinando: ut medicus ægris similis factus, ægrotis eo esset gratior, quo familiarior: ut homines ad suum baptismum invitaret: ut Joannis baptisma tamquam a Deo institutum comprobaret: ut testimonium de cœlo in baptismo ei redderetur: denique ut per descensum columbæ Spiritus sancti adventum in baptismo fidelium significaret, inquit Hieronymus.

16. *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua.* Illud, *confestim*, referendum est magis ad illud, *& ecce aperti*, &c. quam ad, *ascendit*: ut sit sensus, statim, cum a baptismo ascendit, vidit cœlos apertos. Indicat id Marcus, cum dicit, *Statim ascendens de aqua vidit.*

Et ecce, rem scilicet admiratione dignam, *aperti sunt ei cœli. Ei*, scilicet Christo, tum quia propter ipsum aperti, tum quia ipse Christus est, qui vidit cælos apertos, ut aperte dicit Marcus. Ipse quoque est, qui vidit Spiritum descendentem, ut hic Matth. juxta Inter-

terpretem noſtrum, qui vertit, *ſuper ſe*: nimirum ut ipſe Chriſtus redderetur certus ſigno externo de ſua ad munus Evangelicum vocatione. Cæli ergo ei aperti ſunt, id eſt, ſciſſi, *chizameni*, ut eſt Græce apud Marcum, non revera, quia fuiſſet ſuperfluum, nec ſola intellectuali viſione, ut late Origen. lib. contra Celſum, nec ſola imaginaria, ſicut, juxta Hieron. hic, Ezechiel cœlos apertos vidit, ſed ſenſibili viſione, ſicut columba, & vox fuerunt ſenſibiles, quia ſcilicet in ſupremo aëre, vel æthere ſimilitudo profundi hiatus viſa eſt, idque ut e cœlo omnia proficiſci viderentur.

Et vidit, Chriſtus ſcilicet, ut ex Marco diximus. Non tamen negatur etiam vidiſſe alios. Nam & Joannes vidit, quia hoc ei ſignum datum fuerat, Joan. 1. verſu 33. & cæteri etiam adſtantes, ut illo ſigno auctoritas Chriſti & magiſterii ejus propalaretur. *Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam*: id eſt, corporali ſpecie columbæ, ut ait Lucas. Quo potius videtur ſignificari corporalis ſimilitudo columbæ, quantum ad figuram ac deſcenſum, ut communiter auctores ſentiunt, quam veram columbam, ut videtur putaſſe Auguſt. libr. De agone Chriſti cap. 22. tametſi aliis locis docere videatur fuiſſe columbæ ſpeciem. Nam adhibita tantum-

mo-

modo fuit ad significandum, (ad quod sufficit columbæ species) sicut & linguæ igneæ in Pentecoste. Unde simili phrasi dicuntur apparuisse non veræ linguæ igneæ, sed linguæ tamquam ignis. Descendit ergo Spiritus, sicut columba, non quod loco motus fuerit, qui est ubique, vel Christum tunc tantum inhabitare cœperit, qui eo semper plenus fuit: sed ut eo symbolo præsentia Spiritus sancti in Christo & in baptismo fidelium significaretur. Per columbam autem ad exprimendas columbinas proprietates ipsius Spiritus sancti, quas in Christo & baptisatis operatur. Exprimit eas Cyrillus late Catech. 17. breviter Tertull. lib. de Baptismo cap. 8. quia animal est simplicitatis & innocentiæ, quod etiam corporali, inquit, felle caret. Latius hæc deducit. Cyprian. lib. De unitate Ecclesiæ. Adde quia mundum, benignum, mansuetum, fœcundum, summo affectu pullos prosequens. Denique sicut in figura olim in aquis diluvii per columbam reconciliatio humano generi annunciata est, ita & nunc in aquis baptismi eamdem ob causam apparuit, ut observavit ibidem Tertullian. & Ambr. hic

17. *Et ecce vox de cælis.* Unde & columba: ut utrumque symbolum alterius significationem juvaret: vox quidem

indicando, quid ſibi vellet columba; columba vero, ad quem ſpectaret vox: unum oculis, alterum auribus, ut filius Dei auditu conſpectuque monſtraretur (inquit Hilarius can. 2.) quia fide digniſſimus, qui audivit & vidit. Adde ut ſic Trinitatis myſterium inciperet in baptiſmo aperiri: Pater in voce, tamquam Verbi genitor, Filius in carne, Spiritus ſanctus in columba, ut annotarunt Ambroſ. & alii, qui contra Arianos ſcripſerunt.

Dicens, Hic eſt filius meus dilectus: Græce per articulos emphaticos, ille filius meus, ille dilectus. Nam primo ſignificat ſe loqui de filio, non quovis, ſed naturali, unico, æterno, coæquali, ut expendit S. Leo Serm. de transfigurat. Secundo vero eſſe dilectum, tamquam unigenitum, hoc eſt chariſſimum, ut vertitur Marci 9. verſ. 6. *In quo mihi complacui*. Græce, *in quo complacui*. Phraſis eſt Scripturæ propria & frequens, ex Hebræo, *ratzáh*, orta. Nec aliud ſignificat quam affectum benignum ac propenſum erga alium: quaſi dicat clarius, qui mihi ſingulariter placet et acceptus eſt, in quo nihil diſplicet; ita ſcilicet, ut amor meus ab ipſo, & propter ipſum, etiam in alios diffundatur, utpote per quem mihi alii placere poterunt, et ego aliis placari.

C A-

CAPUT IV.

TUNC *Jesus ductus est.* Marcus *expulsum*, Lucas *actum* dicit, quo indicatur impetus & efficacia Spiritus agentis filios Dei. *A Spiritu*, sancto scilicet, ut addit Syrus, quia ille præcesserat, & quia cum articulo & absolute Spiritus dicitur. *In desertum*, tamquam locum tentationi commodissimum ac destitutum humano subsidio, quo machinæ tentationum dissipentur. Fuit autem desertum Judææ, quod postea hinc *Quarentana* dictum est a Christianis. *Ut tentaretur a diabolo. Tentare* proprie est experiendi causa explorare, ut sciat vel ipse, qui tentat, vel qui tentatur, vel alii. Ita tentare solet Deus, ut aliquoties ex Aug. diximus. Diabolus ulterius habet scopum inducendi ad peccatum: unde ipsius tentatio est sollicitatio ad peccandum. Utroque modo Christus tentari voluit, qui sciebat se superari non posse. Causæ non ipsum, sed nos spectabant. Primo, ut nobis diabolum vinceret, & discipulis conculcandum traderet, inquit Hieronym. Epist. 8. ad Demetriadem. Unde August. in Psalm. 90. p. 2. Ideo tentatus est Christus, ne vincatur a tentatore Christianus: & Christus ipse hac de causa dicit; *Confidite, ego vici mundum.*

dum. Secundo, ut modum vincendi traderet jejunio, oratione, Scripturarum meditatione. Tertio, ut oſtenderet, inquit. Ambroſ. 4. in Lucam, diabolum ad meliora tendentibus invidere; & tunc magis eſt cavendum, ne myſterii gratiam deſerat mentis infirmitas. Quarto, ut doceret, eos, qui alios debent inſtituere, ſibi a tumultu converſationis carnalis eſſe recedendum, & precibus vitæque puritati inſiſtendum.

2. *Et cum jejunaſſet quadraginta diebus & XL. noctibus*: hoc eſt quadraginta dies integros & naturales. *Noctium* fit mentio, ut a Judæorum jejunio diſtingueret, qui illud noctu ſolvebant: *quadraginta* autem, ne novi Teſtamenti legislator Moyſe, & reipublicæ collapſæ renovatore Elia eſſet inferior, quorum uterque quadraginta dies jejunaverat. Non exceſſit quadragenarium numerum, eo quod numerus ille ſerviat pœnitentiæ & afflictioni præſentis vitæ, ut declarat Auguſt. libr. 2. de conſenſu Evang. cap. 4. & myſticum aliquid continere tradit Ambroſ. libr. 4. in Luc. Unde & quadraginta dies pluit ſub Noë, quadraginta annos Iſraëlitæ pœnas luerunt in deſerto, quadraginta dies exploratur terra promiſſionis, Numer. 13. quadraginta dies a reſurrectione Chriſtus in terra manet. Plura vide apud Am-

Ambroſium. Hinc eſt, quod ex Apoſtolica traditione Eccleſia etiam hunc numerum jejunio conſecravit, non quidem, ut totos quadraginta dies omni cibo abſtineamus, ſed juxta Nazianz. Or. in ſanctum lavacrum, ad virtutum noſtrarum modulum jejunium attemperando.

Et poſtea eſuriit. Non igitur antea, divinitate naturæ humanæ infirmitatem ſuſtentante. Poſtea vero eſuriit, non neceſſitate, ſed voluntate eadem, qua & paſſus eſt: idque ut hominem verum & infirmum intelligamus, inquit Iren. lib. 5. cap. 21. Deinde, inquit, eſuriit, ut haberet diabolus, ubi congrederetur objecta infirmitate naturæ. Sic enim et nos non ſolum per concupiſcentias, ſed & per naturales neceſſitates tentare ſolet. Fames itaque Domini pia fraus fuit, ut in quo diabolus majora metuens jam cavebat, famis ſpecie lactatus tentaret ut hominem, inquit Ambroſ. libro 4. in Lucam.

3. *Et accedens tentator.* Ille ſcilicet, cujus officium eſt tentare. Acceſſiſſe autem corporea forma, eaque humana, ſuadent tum verbum *accedendi*; tum illa cum Chriſto colloquia. Indicatur conſequenter, foris non intus illas fuiſſe Chriſti tentationes, ſicut & primi hominis.

Dixit: Si Filius Dei es. Notant communiter antiqui, dubitasse diabolum, utrum iste esset Christus filius Dei. Chrysostomus cum suis putat allusisse ad vocem, quam audisset supra in baptismo, *Hic est filius meus, &c.* Alii aliunde suspicatum hoc esse, ut ex vitæ sanctitate, ex prodigioso jejunio, Joannis testimonio, vocibus Prophetarum: sed quia superbissimus erat, quidquid de ejus divinitate opinatus fuerat ipso fastu superbiæ, in dubium venit ex tanta naturæ infirmitate. Itaque quasi consulens ejus necessitati, & simul adulando pungens, *Si filius Dei es*, cur sic tamen affligeris, cum sit remedium ad manum? *Dic*, id est, jube solo imperio tuo omnipotenti, non precibus, *Ut lapides isti panes fiant*; convertendo eos scilicet non in cibum delicatum, sed in panes, ut necessitati succuras. Quod si fecisset, certum putabat indicium, eum esse Deum: si in tanta necessitate non fecisset, sive nolendo, sive quia non posset, non esse Deum. Ubi pulchre Ambros. Artificem diaboli disce astutiam: sic tentat, ut exploret; sic explorat, ut tentet. E contra Dominus sic fallit, ut vincat; sic vincit, ut fallat. Nam si convertisset creaturam, proderet creatorem, & simul in varia peccata laberetur. Nam propter famem diffidere divinæ providentiæ, & ita morem gerere diabolo,

ut

ut potentiam ſuam intempeſtive oſtentet, nulla Dei gloria vel proximi utilitate id poſtulante, gulæ ſimul & vanitatis vitium eſt. Nihil enim, inquit Ambroſ. pro diaboli arbitrio, nec contemplatione panis faciendum eſt. Quod Chriſtus ſignificare volens reſpondit:

4. *Scriptum eſt*: nempe in Scriptura illa divinitus inſpirata, quæ per excellentiam intelligitur in ſimilibus locutionibus. *Non in ſolo pane vivit homo*: id eſt, non ſolo pane vitam ſuſtinere poteſt homo quilibet, multoque magis filius Dei. *Sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*; id eſt, ſed quacumque tandem re Deus voluerit ac juſſerit ſuſtentari, utpote cujus voluntate & juſſu etiam ipſe panis alit. Alii enim ſine pane, ut Moyſes & Elias; alii novo cibo, ut manna; alii aliter a Deo ſuſtentati ſunt. Itaque his verbis Chriſtus eludit dæmonem, neque afferens, neque negans ſe filium Dei, vincitque eum non potentia ſed prudentia; non ut filius Dei, ſibi ſuccurrendo, ſed ut homo infirmus, fiduciam in Deo collocando; tentationi non cedens, ſed ei velut clypeum Scripturas objiciens: Simulque docet ita domitam eſſe oportere cupiditatem voluptatis, ut nec fami cedendum ſit, inquit Auguſtin. lib. De vera religione, cap. 38.

5. *Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem*: id eſt Jeruſalem, ut Lucas, quæ propter templum, & olim arcam, &

verum Dei cultum ibi vigentem, *sancta* dicitur.

Et ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi: id eſt, ſuper faſtigium, quod erat peribolus quidam, ſeu lorica circumdans tectum ſuperius planum, ne quis decideret, quemadmodum de omnibus tectis præſcribitur Deuteron. 22. v. 8. Græce dicitur *pterigion*, id eſt, pinna, ſeu ala, quia ab ædificiis extabat inſtar alæ.

6. *Et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorſum*: ut ſcilicet non ſolum ſic pateat te eſſe Filium Dei, ſed etiam in populoſa civitate homines te videntes ſine caſu volare, credant eſſe Filium Dei ſibi promiſſum. Ubi obſervant Hieronym. & Ambroſ. ſemper diaboli voces eo tandem tendere, ut ſicut ipſe ſuperbia cecidit, etiam homo deorſum præcipitetur. *Scriptum enim eſt.* Quia Scripturis & fiducia in Deum ſe Chriſtus defenderat, ex utroque capite laqueum ei ſtruit: qu. d. Quia ita pendes a Dei providentia ex Scripturis concepta, ut ne fame quidem urgente te adjuvandum dubites ſine pane, ecce præcipita te hinc, ut oſtendas te Dei providentiæ & verbis fidere. Ipſe enim dixit: *quia Angelis ſuis mandavit de te*, id eſt, præcepit cuſtodiam tui. *Et in manibus tollent te*: quaſi geſtando manibus, quemadmodum res caras ſolemus; ne forte impingas in aliquem lapidem & cadas. Abutitur Scriptura: promittit enim Spi-

ri-

ritus ſanctus ſecuritatem & cuſtodiam a malo juſtis, hoc eſt in juſtitia ambulantibus, non autem tentantibus Deum, & ipſa mala ſibi accerſentibus. Itaque rurſum Chriſtus, diſſimulans ſe eſſe Filium Dei, perverſamque Scripturæ interpretationem (quam, ut Ambroſ. lib. 4. in Lucam, Auguſt. & alii Patres paſſim notant, Hæretici a diabolo didicerunt) vera redarguens, ait:

7. *Non tentabis Dominum Deum tuum*: Experimentum volendo capere potentiæ, bonitatis, fidelitatis, ſapientiæ, aut alterius attributi divini, non ut in neceſſitate, profis alicui, ſed inde ut ſcias. Contingit hoc, cum quis ſine neceſſitate, præſumendo de Dei auxilio, ſe periculo exponit, vel ex periculo per miraculum educi cupit, quando aliter poteſt. Oritur hoc peccatum ex radice curioſitatis: tentare enim eſt, velle experiri ſeu cognoſcere; quamvis ſimul poſſit adeſſe affectus vanæ gloriæ vel alius malus finis. Unde hæc ſecunda tentatio Chriſti non fuit propriæ vanitatis, aut oſtentationis, aut ambitionis, tametſi multi recentiores hoc velint, ſed curioſitatis, ut Auguſt. libr. De vera Relig. c. 38. Non enim inquit, ut ſe de faſtigio templi præcipitaret, urgebat, niſi cauſa tantum aliquid experiendi, ſcilicet an Deus eſſet habiturus curam ejus.

8. *Iteram aſſumpſit eum diabolus in mon-*

tem excelſum valde. Montem Quarentanæ, non multum a Jeroſolymis diſſitum, nonnulli fuiſſe aſſerunt, qui inde *Mons diaboli* dictus ſit. Porro Auctor Sermon. de tentationibus Chriſti & jejunio apud Cypr. putat hanc aſſumptionem, ſicut & ſecundam, contigiſſe in ſpiritu, ſicut Ezechiel fuit in Jeruſalem: ſed verius alii communiter volunt corporaliter contigiſſe, non quaſi pedibus Chriſtus iverit, ut nonnulli ſentiunt, ſed quod vere corporaliter translatus fuerit, ad eum modum, quo Habacuc in Chaldæam, Philippus in Azotum. Qui enim ſe crucifigi voluit a membris diaboli, non eſt mirum, ſi ſe ab ipſo diabolo permiſit transferri, ut Greg. Hom. 16. in Evang. Et hoc poſtulat verbum *aſſumendi & ſtatuendi.*

Et oſtendit ei omnia regna mundi: non imaginaria viſione; indignum enim videtur, quod diabolus ſenſus internos Chriſti commoverit: ſed viſione corporali; ad hoc enim delectus fuit mons excelſus valde, ut latiſſime pateret proſpectus. Oſtendit ergo digito demonſtrando pleraque regna & ſingulas mundi plagas, ut Auctor operis imperfecti. Et quia Lucas addit, *In momento temporis*, videtur indicari ſimul fuiſſe modum oſtendendi diabolo proprium, ut ſcilicet arte quadam ſpecies diſtantiſſimarum rerum apparere fecerit, quod & homines inſtrumentis quibusdam faciunt, vel præſtigio oculis re-

repræsentaverit. Nam simul etiam ostendit *Gloriam eorum*: id est, qua re unumquodque regnum excelleret, objiciendo scilicet, quasi in theatro opes & magnificentiam uniuscujusque, vires, populorum frequentiam, Regum pompas et fastum, adorantium obsequia, et similia.

9. *Et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo.* Addit Lucas, *quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa.* Qui enim extorquere non poterat, an esset Filius Dei, seipsum fingit Filium Dei, ideoque tamquam hominem jam utcumque deprehensum impudentius tentat. Unde nec addit aperte, *si Filius Dei es*, tametsi occulte eodem tendat, nempe ut, si forte Filius Dei sit, rei absurditate perculsus se prodat; sin autem non sit, gravissima omnium tentatione superbiæ ad peccatum gravissimum idolatriæ perducatur. *Si cadens*, in faciem scilicet, adorantis ritu, *adoraveris me*, veluti tantorum regnorum et gloriæ largitorem.

10. *Tunc*, cum aperte divinitatem cum Dei Patris injuria affectaret, *dicit ei: vade Satana*; id est apage hinc adversarie omnis justitiæ: simul enim imperat & increpat, declarando aperte, quis sit. Est autem Hebraice, *Satan*, Syriace *Satana*, Græce *Sataná*, idem quod adversarius: quo nomine antonomastice vocatur spiritus malignus, quando palam oppugnat; quando autem fraude ac dolis, fere vocatur *diabolus*. *Scrip-*

Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis: nempe curvatione, vel caſu corporis, ſicuti petis. Hoc enim ſibi proprie vult hæc adoratio verbo Hebraico: ſed quando Deo tribuitur, involvit ſimul interiorem adorationem Deo dignam. In Deuter. c. 6. verſ. 3. eſt, *tira*, *timebis*: unde ſenſum, non verba citat, quia poſtulabat Satanæ petitio. Adde, quod timoris & reverentiæ pars magna ſit adoratio: & in Scripturis ſub timore Dei omnis ejus cultus comprehenditur. *Et illi ſoli ſervies*: Græce, *latreuſis*, ſervitute ſcilicet, qua Deus ſolus colitur, & quam tu flagitas: hoc enim ſignificat Græca vox, ſi non ſignificatione ſaltem uſu Scripturæ, ut notavit Auguſt. 15. contra Fauſtum c. 9. et lib. 10. de Civitate c. 1.

11. *Tunc reliquit eum diabolus*: repulſus illo imperio, et detectis inſidiis cognitus tamquam Satan. Reliquit autem, magis ambiguus ex illa reſponſionum moderatione, quam ante.

Et ecce Angeli acceſſerunt, viſibili ſpecie, *& miniſtrabant ei*: cibum ſuppeditando, aliaque exhibendo miniſteria, quæ a ſervis domino, in magna rerum neceſſitate, et locis inviis conſtituto adferri poterant. *Angeli* autem dicit, non *Angelus*, qui miniſterio ſuffeciſſet, ad excellentiam Chriſti indicandam, cui Angeli ſerviunt.

Porro in hiſce Chriſti tentationibus no-

tan-

tanda ſunt. Primo, illas eo ordine contigiſſe, quo Matthæus recenſet, non quo Lucas, qui tentationem præcipitii ponit tertiam. Nam Matth. utitur particulis ordinem indicantibus; *Iterum*, &c. *Tunc reliquit eum*: et ipſe ordo tentationum diaboli talis eſſe ſolet, ut levioribus graviores ſuccedant; iisque verbis, *Vade Satana*, veriſimile eſt diabolum diſceſſiſſe, quæ tamen non niſi in monte dicta ſunt. Secundo, tribus iſtis tentationibus omnium criminum fontes; hoc eſt, omne tentationum genus comprehendi. Unde Lucas ait, conſummatam fuiſſe omnem tentationem, ut notavit Ambroſius: fines enim tentationum ſunt fines cupiditatum, quia cauſæ tentationum, inquit, cauſæ cupiditatum ſunt. Sed non omnes eodem modo hoc explicant. Ambroſ. libr. 4. in Lucam putat his tribus tentationibus indicari concupiſcentiam carnis, jactantiam & ambitionem; alii communius concupiſcentiam carnis, ambitionem, & avaritiam. Sed rectius Auguſt. lib. de vera Relig. cap. 38. & alibi ſæpius, vult indicari tres vitiorum omnium fontes, concupiſcentiam carnis, id eſt, quæ in carne, ſeu quinque ſenſibus carnis perficitur, curioſitatem, quæ in intelligentia, et ſuperbiam, quæ in voluntate: quibus iisdem et primi parentes tentati et dejecti ſunt; & indicantur breviter ab Apoſtolo Joanne, dum illam generalita-

tatem exprimens dicit: *Omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum* (qui principatum habent in cognoscendo) *aut superbia vitæ.* Tertio, datur hic in capite typus tentationum & modi resistendi membris: nam, juxta Apostolum, Jacobi 4. si resistunt diabolo, fugiet ab eis, ut mox asperis læta succedant. Ne autem torpescant securitate, recte addit Lucas, *recessit usque ad tempus*, quia diabolus semel victus, instaurata pugna redire solet.

12. *Cum autem audisset Jesus, quod Joannes traditus esset*: non ab Herode in carcerem, sed ipsi Herodi a Pharisæis. Signum hujus est, quod Christus hac causa *recessit*, scilicet ex Judæa, ubi Pharisæi magna præstabant auctoritate *in Galilæam*; quæ erat ditionis Herodis, tam superior scilicet Galilæa, quam inferior, ut ex Josepho constat. Non ergo fugit Herodem, cum potius ad ipsum magis accesserit, sed Pharisæos. Illi enim invidia stimulati gloriæ ejus, videntur suggessisse Herodi, jam contra Joannem exacerbato, ut eum extra ditionem suam caperet, prætextu perturbationis Reipublicæ, ut Josephus 18. Antiquit. cap. 7. Nam Pharisæos cooperatos esse neci Joannis indicat clare Christus infra c. 17. v. 12.

13. *Et habitavit in Capharnaum*: sæpius ibi conversando. Fuit autem *Capharnaum* emporium celeberrimum, ab Oriente

ciu-

cinctum Jordane; a Meridie mari, seu lacu Genesaret; unde vocatur *Maritima*: hominibus affluentissimum, luxu diffluens; *in finibus Zabulon & Nephtalim.* Non quod pertineret ad utramque Tribum, sed quia apud Mare illud Galilææ concurrebat terminus meridionalis tribus Nephtalim, in qua sita erat Capharnaum, & orientalis tribus Zabulon.

14. *Ut adimpleretur*, per prædicationem ejus, *prophetia Isaiæ.*

15. *Terra Zabulon, & terra Nephtalim via Maris:* id est, quæ est via, seu in qua est via, juxta Mare Galilææ, & versus Mare Mediterraneum. Refertur enim hoc ad tribum Zabulon, quæ tota terminabatur, ab Oriente Mari Galilææ, & ab Occidente Mediterraneo. *Trans Jordanem*: respectu scilicet Orientalium Populorum Arabum & Chaldæorum, adeoque respectu tribus Ruben & Gad: nam respectu Palæstinæ potius erat cis Jordanem *Galilæa gentium.* Refertur hoc ad tribum Nephtalim, quæ Galilæa Superior, itemque Gentium dicta fuit, quia in ea Hiram Regi Tyri Salomon viginti Civitates dederat: sive, ut indicat Josephus lib. 3. De bello Judaico cap. 2. quod multis alienigenis gentibus esset cincta, tamquam extrema terræ promissæ.

16. *Populus*, scilicet ille jam dictus utriusque Galilææ, superioris & inferioris; omnia enim ista per appositionem tam-

quam

quam unus nominativus ſunt: *Qui ſedebat in tenebris*, ignorantiæ rerum divinarum & peccatorum: *Vidit lucem magnam*, ipſum Deum in carne verſantem, & prædicationem Evangelii, inde radios incipientem ſpargere per totam Judæam, ut Judæi conqueruntur, Luc. 23. v. 5. Idem autem Hebraico more repetit ſequenti hemiſtichio, in quo *umbra mortis*, Hebraice uno verbo, *ghalmaveth*, ſigni ficat triſtiſſimam rerum, & quaſi impendentis mortis imaginem.

17. *Exinde*, a tempore ſcilicet Joannis traditi, cum præcurſor jam ſuo eſſet functus officio, *cœpit Jeſus prædicare*, palam ſcilicet, aſſidue, ubique: nam et ante per intervalla nonnihil prædicaverat. *Pœnitentiam agite*, &c. de quo ſupra. Utitur autem eadem formula, ut confirmaret prædicationem Joannis, utpote qui tanquam legatus non ſuo, ſed alieno nomine prædicaverat.

18. *Ambulans autem Jeſus*, &c. *vidit duos Fratres*. Ter vocatos eſſe Petrum & Andream nonnulli volunt: primo quidem Joan. 1. verſ. 39. & 42. Ubi non ad inhærendum Chriſto, ſed tantum ad videndum ubi habitaret, vocati ſunt, ut Auguſt. Tract. 7. in Joannem. Deinde vocati ſunt, Lucæ 5. verſ. 10. & 11. ubi tamen nolunt aliqui eſſe vocatos proprie, ſed tantum eos, *relictis omnibus*, id eſt non abdicatis, ſed deſertis,

tis, quemadmodum mulier Samaritana reliquit hydriam, poſtea reditura, ſecutos fuiſſe Chriſtum reverentiæ cauſa ad certum ſpatium. Sed hoc durius videtur: unde rectius dixerimus, hanc tertiam vocationem Matthæi eſſe eamdem cum ea, quam deſcribit Lucas: ſic tamen, ut Matthæus, itemque Marcus omittant miraculum captorum piſcium, Petrumque & Andream attonitos vocaverit Chriſtus poſt diſceſſum filiorum Zebedæi. Itaque Jeſus *Vidit eos mittentes rete in mare.* Non vidit inter ambulandum, ſed poſtquam in navi Petri docuiſſet, ut narrat Lucas. Pro *Reti* autem Græce eſt *amphibleſtron*, quod eſt rete jaculum, ſeu jaculatorium, quod ſcilicet ſe in jactu circumquaque in rotundum ſpargit.

19. *Et ait illis*, attonitis de captura piſcium: *venite poſt me*, id eſt, ſequimini me; ita ſcilicet, ut relicto piſcationis officio, ad quod ſubinde reverti ſoletis, ad ſuſtentationem vitæ, indivulſe diſciplinatui meo inhæreatis. Jam enim antè crediderant, Joan. 1. ſed in Apoſtolos formandi erant.

Et faciam vos fieri piſcatores hominum: id eſt, formabo vos quantumvis rudes & impolitos, ut idonei ſitis piſcandis hominibus, ut ſcilicet e mundo procelloſo veluti mari, qui per affectus immerſi ſunt, doctrina velut reti, in Eccleſiam velut navem, & inde in Cœlum cuſtodi-

endi transferantur, ut latius explicat hanc allegoriam Chriſtus Matth. 13, verſ. 43. Solet enim Salvator, occaſione captata a corporalibus rebus ad ſpirituales, a terrenis ad cœleſtia ſermonem, & mentes hominum attollere, ut in Samaritana quoque contigit.

20. *At illi continuo*: ad auditam vocantis vocem. Nam ante miracula quidem viderant, docentem audiverant, ſed non vocantem, *relictis retibus*, ſub quibus comprehenduntur omnia, quæ officii ſunt piſcatorii, utpote ad quæ & quorum uſum reliqua omnia inſtrumenta referuntur, *ſecuti ſunt eum*, individuſe ei adhærendo, ut ex ejus præſcripto viverent.

21. *Et procedens inde*: puſillum ſcilicet ut Marcus: nam paululum Jacobus & Joannes diſceſſerant a Petro & Andrea, a quibus vocati fuerant ad adjuvandum, ut narrat Lucas: *vidit alios duos Fratres reficientes retia ſua*, vel uſu trita, vel ex illa quoque captura piſcium rupta: quamquam illa potius videantur fuiſſe retia Petri. Quia autem allegorica fuit iſta piſcatio, ſic & hæc refectio retium: ſignificatur enim, primum quidem fuiſſe miſſum rete Evangelicum in Mare a Petro, ut totus Orbis fide Chriſti caperetur: ſed quia ex piſcium copia hæreſes & ſciſſuræ erant ſecuturæ, alios fuiſſe neceſſarios, qui retia reficerent, & contra hæreſes Eccleſiam defenderent. Unde & Joannes

nes ad ſarciendam Eccleſiæ integritatem Evangelium ſuum ſcripſit.

22. *Et circuibat Jeſus totam Galilæam:* quia hominibus frequentiſſima erat, ut Joſephus lib. 3. de bello Jud. c. 2. dicit: Civitates in Galilæa crebræ ſunt, & ubique multitudo vicorum propter opulentiam populoſa, ut, qui ſit minimus, ſupra quindecim millia colonorum habeat. *Docens in Synagogis eorum*, id eſt, locis ad circumciſionem, legis explanationem, concionem, precesque deſtinatis. Unde diſtinguuntur a *Templo*, quod Sacrificiis dedicatum, et unicum tantum erat Jeroſolymis; *Synagogæ* vero in ſingulis Civitatibus, ut eſt Act. 15. v. 21. Imo in una erant plures, ita ut quidam dicant Jeroſolymis, propter populi affluentiam, fuiſſe quadringentas octoginta. Hinc Judæi, deſtructo Templo, & conſequenter ablatis Sacrificiis, nunc non habent niſi Synagogas, ſicut et Hæretici.

23. *Prædicans Evangelium Regni*, tanquam fauſtum appropinquantis Regni nuntium, ut dictum eſt c. 3. v. 2. *& ſanans omnem languorem, et omnem infirmitatem*: Græce eſt, *paſan noſon kæ paſan malakian* hoc eſt, *omnem morbum & languorem*; *malakia* enim, quam noſter vertit *infirmitatem*, ſignificat ægritudinem, qua aliquis ſubinfirmus eſt, languendo potius quam decumbendo. Sanavit igitur omnia Chriſtus, ut ita ſimul corporibus & animis mederetur, &

maxime ut, quemadmodum Chryſoſt. ait, Evangelium & Legem novam adferens, auctoritatem ſibi legationique ſuæ conciliaret claritate ſignorum. Hinc igitur

24. *Abiit opinio ejus.* Græce, *akoé*, auditio ſeu fama ejus, vulgata eſt: *In totam Syriam*, quæ comprehendit multas vaſtas Regiones, Idumæam, Palæſtinam, Cæleſyriam, Phœniciam, Syriam Damaſci, Syriam Antiochiæ, Meſopotamiam, & alias, ut latius Plinius. Nam termini ejus ſunt ab Oriente Babylonia, ab Occidente Mare Mediterraneum, ab Aquilone Cilicia, a Meridie Ægyptus. Unde *Obtulerunt ei*, undique ſcilicet ex tota Syria, exciti fama, *Tormentis comprehenſos*, id eſt, torminibus ſeu maximis cruciatibus obnoxios: unde indicant ſæviſſimos illos morbos, qui maximis affligunt doloribus: *et Lunaticos*, id eſt, qui certis Lunæ mutationibus male habent, quales fere epileptici, cui morbo ſubinde ſe dæmones miſcent: & *Paralyticos*, id eſt, qui membrorum paralyſi, ſeu diſſolutione laborant. Tangit Evangelium non omnes morbos ſigillatim, ſed aliquos eorum, qui fere incurabiles ſunt. Itaque

25. *Sequebantur eum Turbæ de Galilæa, & Decapoli.* Regio eſt decem comprehendens Civitates, quarum maximam vocat Joſeph. lib. 3. de bello Judaïco c. 10.

Scy-

Scythopolim, seu Bethsan. Partim autem ultra, et maxime cis Jordanem sita erat, quia præcipuæ ejus Urbes erant in Galilæa. *Et de Judæa*, stricte accepta, prout comprehendit terram tribus Judæ et Benjamin: *Et de trans Jordanem*, Regionibus scilicet tribus Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manassis trans Jordanem sitis. Itaque enumeratione designat universam terram, quæ Filiis Israël a Josue tradita fuit.

CAPUT V.

Videns autem Jesus Turbas, ascendit in Montem. Multi putant diversum esse sermonem istum ab eo, quem cap. 6. describit Lucas, propter apparentem multarum circumstantiarum differentiam: sed rectius Ambr. in Lucam, Chrysost. Theophylactus, & alii, eumdem fuisse putant, a quo non abhorret August. lib. 2. De consensu Evangelist. cap. 19. in fine. Itaque hic videtur ordo fuisse rei gestæ, ut scilicet juxta Matthæum Christus videns Turbas, ut eas declinaret, in montem ascenderit, & ibi noctem orando transegerit; mane vero facto multos discipulos ad se vocaverit, et ex eis duodecim Apostolos constituerit, prout narrat hæc Lucas dict. cap. 6. v. 12. & sequenti-

tibus. Deinde descendens cum illis e vertice montis, stetit in loco ejusdem montis *campestri*, ut Lucas, hoc est aliquanto inferiori & magis æquabili, turbarum capaci, ubi post edita rursus signa curationum quidem sedit, ut Matth. & partim ad discipulos, ut hic initio dicitur, partim ad turbas concionem istam habuit: ut ex cap. 7. v. 28. patet. Itaque *ascendit in montem*, turbas vitandi, orandi, Apostolos creandi causa, ac denique ut altissimam perfectionem vitæ Christianæ traderet. *Et cum sedisset*, pro dignitate magistri, *accesserunt ad eum discipuli*, id est, propius cinxerunt, quam cæteri.

2. *Et aperiens os suum*, quasi reclusis sapientiæ cælestis fontibus, tamquam magna & seria, & divina mysteria, quæ hactenus tacuerat, prolixe traditurus. *Docebat eos*, quidquid scilicet ad perfectum Christianæ vitæ modum pertinet, ut August. lib. 1. De sermone Domini in monte. Est enim hic sermo summa perfectionis Evangelicæ seu novæ Legis.

3. *Beati*. Aptissimum exordium Doctori sapientiæ, tradere, in quo sita sit beatitudo. Hanc enim velut finem omnium omnes omnino appetunt, sed in quo sit sita, & quibus mediis obtineatur, miserrime hallucinantur. Porro beati hic infra pronuntiantur, non qui re ipsa, sed spe beati sunt, quia rectissima via ad beatitudinem tendunt. Qua de causa ratio singu-

gulis ſubjecta futuram vitam ſpectat: quamvis verum ſit, quod præmia ſingularum beatitudinum etiam in hac vita inchoentur.

Pauperes ſpiritu. Duæ interpretationes hic celebres ſunt. Una per *Pauperes ſpiritu* intelligit humiles, qui non habent inflatum ſpiritum, quaſi vacui & inopes præſumptione atque inflatione: ſuperbi enim dicuntur inflati, quaſi vento ſeu ſpiritu diſtenti. Ita Auguſt. libro 1. De ſermone Domini in monte cap. 2. & alibi ſæpius, & ante ipſum Tertullian. lib. de patientia, cap. 11. Hilar. can. 2. Chryſ. Theophil. in Matth. & alii non pauci. Secunda exponit *Pauperes*, ut ſonant, inopes ſcilicet divitiarum, non tamen quoslibet; non enim pauperes ſola neceſſitate, vel etiam qualibet voluntate, qua et Crates Philoſophus abjecit divitias: ſed *ſpiritu*, id eſt, voluntate a ſancto Spiritu afflata, ſeu voluntate ſpirituali, non carnali. Ita S. Bernardus Serm. De Feſto omnium Sanctorum. Unde Baſil. in Reg. breviorib. reſp. 205. *Pauperes ſpiritu* dicit eſſe, qui pauperes facti ſunt propter doctrinam Domini, dicentis: *Vade, vende omnia*, &c. vel qui paupertatem quomodocumque oblatam ex voluntate Dei moderantur. Quibus addi poteſt & tertium genus pauperum, qui, etſi affluant divitiæ, cor iis non apponunt: ſed affectu pauperes divitias non amant, ſed adminiſtrant,

parati omnibus exui propter Dominum. Hæc interpretatio magis textui congruit, tum quia vox Græca *ptochi*, proprie *Mendicos* significat; tum quia Lucas eis opponit *divites habentes consolationem suam*. Utraque tamen sibi valde vicina est: nam ut August. proprius vermis divitiarum est superbia, quæ ex iis fere oriri solet. Ex quo fit, ut merito tales pauperes spiritu, etiam simul humiles esse intelligantur. Et hinc est, quod Hieronym. & Hilar. utramque expositionem conjunxerunt. Qui enim ex animo & profunde imbibit se pauperem esse, hoc est, ut Hilarius, nihil penitus, non solum externas divitias, sed nec corpus, nec animum esse suum, sed Dei, ille profecto sin ul spiritu pauper seu humilis est. *Quoniam ipsorum est*: scilicet etiam nunc in præsenti, eo quod certa spe jure quodammodo ac debito mox persolvendo possident. *Regnum Cælorum*: quod præter divitias quandam eminentiam gloriosam omnium & abundantiam complectitur: & ideo recte opponitur depressioni & paupertati. Nam quamquis Regnum Cœlorum comprehendat præmia omnium beatitudinum, diversis tamen nominibus exprimitur pro exigentia cujusque beatitudinis.

4. *Beati mites*: id est mansueti, seu alieni a vindicta, rixis, et contentionibus, quæ ex jactura bonorum hujus mundi concitari solent. Beati ergo pronuntian-

tiantur mites, ita scilicet, ut in judiciis divinis sustinendis non obmurmurent Deo, & placita morum suavitate hominum improbitatibus cedant, ut Augustinus. *Quoniam ipsi possidebunt terram.* Chrysostom. terram hujus vitæ intelligit, quæ contentionibus amitti solet: sed quia futuram vitam spectant hæc omnia, rectius intelligas cum August. stabilitatem hæreditatis perpetuæ, seu terram novam futuræ vitæ: quæ quidem eadem est cum regno Cœlorum, sed hic *terra* vocatur varietatis causa, & quia congruit mitibus, qui hac terra excludi solent. Terra vero cœlestis non est bellatorum spolium, sed longanimiter & mansuete omnia tolerantium sperata hæreditas, ut Basil. in Psal. 33.

5. *Beati qui lugent*: Posset et hic addi *spiritu*, id est luctu sancto, non carnali, deflendo sua et aliena peccata, contemptum Dei, fratrum periculum, ut Basil. in Regulis brevioribus resp. 194. vel etiam et maxime *qui lugent*, id est qui non in prosperis, vel voluptatibus, sed in calamitatibus hujus mundi patienter vivunt, egentes, angustiati, afflicti, quemadmodum Paulus se vixisse dicit *in labore & ærumna, in vigiliis multis, in frigore, & nuditate*, &c. *Quoniam ipsi consolabuntur*: nempe in futuro, quando abstergetDeus omnem lacrymam ab oculis eorum, et fugiet dolor, ac gemitus. Luctuosus enim ille rerum præsentium status non

tam eſt beatitudo, quam via ad beatitudinem, quia proſperis plures quam adverſis franguntur.

6. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam.* Lucas dicit ſimpliciter: *Beati qui nunc eſuritis*; et mox: *Væ vobis, qui ſaturati eſtis.* Quæ omnino intelligenda videntur de eſurie et ſatietate corporali. Et tamen Matth. addendo *juſtitiam*, intelligit eſuriem metaphoricam, id eſt, ardens deſiderium omnis juſtitiæ et virtutis. Et ita intelligunt Matthæum omnes veteres interpretes hujus loci, Hilar. Ambr. Hieron. Auguſt. Unde vero ſenſu videtur utrumque poſſe conjungi, ut Lucas eſuriem, Matth. cauſam ejus expreſſerit; quaſi Chriſtus dixiſſet: Beati, qui propter juſtitiam veram famem & ſitim tolerant, ſive voluntariis ſe jejuniis macerando, ſive ab aliis illatam amore juſtitiæ tolerando. Unde Paulus 2. ad Cor. 11. v. 12. de fame & ſiti, & jejuniis multis ſe commendat, ſicut & 1. ad Cor. cap. 4. verſ. 11. *Quoniam ipſi*, in futuro, *ſaturabuntur*; expleta fame ac ſiti corporali, quam paſſi ſunt, & expleta illa eſurie, ac ſiti juſtitiæ, propter quam paſſi ſunt, quia in cœlo plena ex omni parte juſtitia donabuntur. Hanc ſaturitatem pulchre deſcribit Iſaias c. 65. v. 17.

7. *Beati Miſericordes*: id eſt, qui ex animo miſeriis alienis, ſive corporalibus, ſive ſpiritalibus, condolent & ſubve-

veniunt: quasi diceret: Contra mundi opinionem, beatius est magis dare, quàm accipere. *Quoniam ipsi Misericordiam consequentur*: gratuita scilicet Dei bonitate, ab omnibus vicissim miseriis, ac malis in cœlo liberati.

8. *Beati mundo corde*: Græci Chrysost. ac Theophil. & alii ferè intelligunt commendari puritatem á venereis, quæ cor maxime hebetant & inquinant: Hilarius & August. aptiús omnem ab omnibus vitiis puritatem, atque simplicitatem, utpote quibus purgatur oculus cordis, seu mentis, ut purissimum illud lumen æternæ veritatis contemplari possit. Hoc enim tamquam præmium promittitur: *Quia ipsi Deum videbunt.* Unde August. tam in hanc quàm sequentem beatitudinem putat esse effectum virtutum præcedentium, quia & mundant cor ad videndum Deum, & tumultus concupiscentiarum sedando reddunt pacificum.

9. *Beati pacifici*: Græcè, *irenopoi*, id est, *pacem facientes*, non solúm in se ipsis, qui scilicet omnes animi motus rationi subjectos habent, & edomitas carnales concupiscentias, ut exponit Aug. sed etiam, & in primis in aliis, hoc est, qui eos, qui á se vel inter se, vel á Deo diffident, sibi, aliis, Deo conciliare studeat: q. d. qui paci conciliandæ operam dant. *Quoniam filii Dei vocabuntur.* Non est enim Deus dissensionis sed pacis, utpotè qui

per

per Chriſtum pacificavit ſibi omnia. Unde peculiariter Deus dicitur ab Apoſtolo *Deus pacis*, Chriſtus ab Iſaia *Princeps pacis*. Duplex autem Hebraiſmus eſt, *filii*, pro *ſimiles*, ut patet infrá v. 5. & *vocabuntur*, pro, *erunt*: non tamen ſimpliciter erunt, ſed ita manifeſté, ut hoc etiam ab omnibus cognoſcatur, & prædicetur, quod propriè eſt futuri ſæculi. Sumus enim nunc quidem filii Dei, ſed nondum apparuit quid erimus, Joan. 3. v. 2. Quia verò is, qui moribus ita diſſimilis eſt aliis, hoc eſt, mundo, feré in eorum offenſionem incidit, hinc ultimo addit Chriſtus:

10. *Beati qui perſecutionem patiuntur*, non quomodolibet: nam & latrones, & hæretici graviſſimam patiuntur: ſed *propter juſtitiam*. Cum enim faciat Martyrem non pœna, ſed cauſa, mors ſceleratorum non eſt fidei gloria, ſed pœna perfidiæ, ut Auguſt. Præcedentes itaque beatitudines in actione, hæc in paſſione conſiſtit, ideoque perfectiſſima eſt. Facilius eſt quippe juſta agere, quám propter juſtitiam etiam perſecutionem pati. Hoc enim præter malorum tolerantiam etiam conſtantiſſimam juſtitiæ perſecutionem denotat. *Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*. Nihil enim aptius, quam ut iis, qui inſtar peripſematis conculcati ſunt, detur regni, & quidem cæleſtis exaltatio. Idem autem regnum promittitur primis

&

& ultimis : ſed primis , hoc eſt , pauperibus,propter divitias regni: ultimis,propter exaltationem & gloriam. Aug. autem idcirco in octava beatitudine ad caput rediri putat , per iteratam promiſſionem regni cæleſtis , quia perſecutio conſummatum perfectumque oſtendit & probat. Breviter itaque & claré omnes iſtæ beatitudines ita in ſummam contrahi poſſent : Beati , qui ſpretis mundi divitiis , honoribus , voluptatibus , atque commoditatibus mundi , juſtitiam miſericordiam , cordis munditiam , ac pacem cum Deo & hominibus ſectantur & faciunt , tanto animi ardore , ut omnes perſecutiones hac de cauſa toleratas æquanimiter ferant : conſequenter enim , ac jure hæreditatis ſtabiliter poſſidebunt regnum cœlorum , perfuſi gaudio , pleni ac ſaturi omnibus bonis , liberi ab omnibus malis , facie ad faciem videntes Deum , tamquam filii ejus cum Patre ſuo regnantes. Ex his patet , ſicut paulatim creſcunt virtutes beatitudinibus deſignatæ , ita & creſcere præmia : omnes eſſe concatenatas , omnes quoque ad ſalutem neceſſarias ; atque ita eſſe omnes in certo gradu præcepti , & non tantùm conſilii: idem denique præmium pro diverſis gradibus varie nominari. Quo modo autem reſpondeant donis Spiritus ſancti , vide late Auguſtin. lib. 1. De ſermone in monte c. 3. & 4.

11. *Beati eſtis.* Non eſt nova hic beatitudo, ſed applicatio ſuperiorum ad præſentes diſcipulos. *Cum maledixerint:* Græce *onidiſoſin*, id eſt probris, convitiis, & contumelia præſentes affecerint. *Et perſecuti vos fuerint*: non verbis, ſed factis inferendo vim. *Et dixerint omne malum adverſum vos*: abſentium famæ & honori detrahendo. Ita hæc tria membra diſtinguit Auguſtin. lib. 1. cap. 5. *Mentientes*: ſi enim vera dicantur, non ſunt beati, ſed dupliciter miſeri. *Propter me.* Referendum eſt non ad, *mentientes*, ſed ad tria perſecutionum genera jam dicta. Utrumque autem &, *mentientes*, & *propter me*, addi propter hæreticos, notat ibid. Auguſtin. utpote qui volunt, de perſecutionibus & famæ turpitudine gloriari, cum & vera dicantur, quando de illorum errore dicuntur, nec propter Chriſtum iſta patiantur: non enim, inquit, ſequitur Chriſtum, qui non ſecundum veram fidem & catholicam diſciplinam Chriſtianus vocatur.

12. *Gaudete et exultate*, &c. id eſt non ſolum animo non frangamini, ſed etiam ita gaudete, ut etiam exterius per exultationem erumpat. *Quoniam merces veſtra copioſa eſt*: quia ſicut fides omnem rationem ſuperat, ita merces pro perſecutionibus fidei reddenda omnem captum rationis excedit. Sic enim, tribus ſcilicet modis ſupra dictis, *perſecuti ſunt*

Pro-

Prophetas, *qui fuerunt ante vos*. Hoc addit, ut ne novum quid ſibi accidere putent: ut ſe talibus viris præmio, ſicut & perſecutione, æquandos intelligant: ac denique, ut in eorum locum ſe ſucceſſuros in prædicanda veritate ſciant: quorum officium, ut proinde explicet, adjungit:

13. *Vos eſtis*, ſeu eſſe debetis, quemadmodum Prophetæ, *Sal terræ*, id eſt, vice ſalis toti orbi. Salis autem eſt rebus inſipidis ſaporem dare, et a corruptione ſervare, abſumendo humores noxios. Unde eſt ſymbolum ſapientiæ, quæ partim in intelligentia, partim in affectu, ſeu moribus ſita eſt. Itaque ſignificat eos totius orbis inſulſam, corruptiſſimamque vitam condire debere doctrinæ, ſapientiæ, & maxime morum exemplo. *Quod ſi ſal*, cujus eſt condire omnia, *evanuerit*, id eſt fatuum factum fuerit, amiſſa illa acrimonia, *in quo ſalietur*? id eſt, quo alio ſale ſal condietur? non enim datur ſal ſalis; q. d. Si vos totius humani generis Magiſtri erroribus mundi & cupiditatibus rerum ſæcularium infatuati fueritis, amiſſa illa ignea ſapientiæ & charitatis vi, qua inſtar ſalis urere debetis, per quos tandem alios poterit vobis doctrinæ veritas & morum integritas reparari? *ad nihilum valet ultra*: hoc eſt, ut clarius Lucas, nec in terram, nec in ſterquilinium utile eſt; quia ſal corrumpit ſterquilinium, et terram reddit ſterilem,

lem, cum aliæ res corruptæ ad ultimum valere ſoleant. *Niſi ut mittatur foras*, ſcilicet in plateas: *& conculcetur ab hominibus:* quibusvis prætereuntibus. Optimi enim corruptio peſſima, prout optime & ſimili ſenſu declaratur Ezechiel. 15. de ligno vitis. Unde Auguſtin. doctores hæreticos, qui maxime omnium ſunt ſal infatuatum, cimicibus comparat, quia vivi pungunt, mortui fœtent.

14. *Vos eſtis lux mundi.* Eodem tendit comparatio *Lucis* et *Salis.* More enim Syrorum, ut a S. Hieronym. in cap. 18. Mat. manifeſtius eſt, multas ejusdem rei ſimilitudines congerit. Utraque vero reſpicit doctrinam & mores: *Sal* tamen præcipue mores, *Lux* doctrinam. Vos ergo *eſtis lux mundi*: ad diſpellendas, ut Hilar. ignorantiæ tenebras, et ad ſcientiæ divinæque cognitionis lumen invehendum. *Lux* autem eſtis, non natura ſua lucens, quomodo Chriſtus ſe *Lucem mundi* vocat, Joan. 8. verſ. 13. et Joannes negatur eſſe lux Joan. 1. v. 8. ſed lux ab alio accenſa, inſtar lucernæ, ut hic ſtatim ſequitur.

Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita. Tertia ſimilitudo, Scripturis frequens, qua Eccleſia, cujus præcipua & lucidiſſima pars Apoſtoli ſunt et præpoſiti ejus, comparatur civitati conſtructæ in monte: de qua vide Iſaiæ 60. verſ. 14. & maxime Ezech. 40. verſ. 2. & ſequentibus.

Ita-

Itaque deeſt hic prima pars ſimilitudinis, videlicet, Vos eſtis, ſeu eſſe debetis ſimiles civitati ſupra montem poſitæ. *Quæ abſcondi non poteſt:* hoc eſt quæ occultari non debet: imo etiamſi velit, non poteſt. Non enim tam laudat diſcipulos hiſce comparationibus, quam eos ſui officii admonet, ut declarat Hilar. in Pſalm. 118. Significat itaque eos non debere, ſive deſidia, ſive perſecutionum metu, ſuo deeſſe officio, veritatis prædicationem ſubtrahendo tenebris hujus mundi, ſed doctrina, prædicatione, & morum exemplo hominibus ita debere prælucere, ut ab eis doctrinæ veritatem & morum integritatem hauriant: propterea quod eo ſine in tam alto ſtatu collocati ſint, ut omnium oculi in eos conjiciantur. Explicant & applicant iſtas ſimilitudines accuratius duo verſus ſequentes.

15. *Neque accendunt lucernam.* Declarat hic, cujuſmodi lux ſint. Sancti enim maximeque prædicatores *Lucerna* dicuntur, quia non ex ſeipſis lucent, uti Deus, ſed aliunde, a Deo ſcilicet, accenduntur, & extingui poſſunt, inquit Aug. Epiſt. 120. c. 3. Non accendunt autem lucernam & *ponunt eam*, id eſt ut ponatur, *ſub modio*, ſeu vaſe occultanda, & nemini luceat, *ſed* potius *ſuper candelabrum*, in edito ſcilicet loco, ut omnibus lucem præbeat. Proinde cum vos hujuſmodi

lux mundi & lucerna ſitis, & hujuſmodi civitas in monte conſpicua:

16. *Sic luceat lux veſtra*, doctrina ſcilicet Evangelii a vobis divulganda, ut non tantummodo voces ſonantes audiant, ſed *ut videant opera veſtra bona*: doctrinæ conſona, id eſt, ut cernant vos ſibi prælucere non tantum verbo & lingua, ſed opere & veritate. Proinde illud, *ut*, eventum vel conſequentiam, non finem intentionis ſignificat; vel ſi finem, certe non ultimum (hoc enim vetatur cap. 6. v. 11.) ſed per quem tranſeatur ulterius. Nam ne videretur finem conſtituiſſe in laudibus hominum, ut gloriam ab eis captent, addit ulterius, *& glorificent patrem veſtrum*, &c. ut hoc ipſum, inquit Auguſt. quod homo per bona opera placeat hominibus, non ibi finem conſtituat, ut hominibus placeat, ſed referat hoc ad laudem Dei: ut propterea placeat hominibus, ut in illo glorificetur Deus, qui auctor eſt bonorum operum. Itaque hiſce duobus verſibus condemnantur tria hominum genera: primo otioſi, qui abſcondunt talentum ſuum: ſecundo qui verbis, non factis prædicant: denique, qui ſuam ex prædicatione gloriam quærunt. Ut autem eos doceat, qui debeant docere, & quomodo moribus prælucere, ſuperando ſcilicet Scribas & Phariſæos tam legis obſervatione, ut v. 20. & paſſim toto capite,

quam

quam interpretatione, ut v. 21. & 27. 31. & alibi, hinc utitur apta præoccupatione exempli ſui.

17. *Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem aut Prophetas*: id eſt, ut eas ſolvam; ſive tranſgrediendo mandata, ſive prorſus abolendo doctrinam legis. Sumitur autem Lex pro quinque libris Moyſis, maximeque pro lege morali, quam toto hoc capite explicat. *Non veni ſolvere, ſed adimplere.* Adimplevit autem eam quadrupliciter. Primo, non ſolum eam docendo, ut Phariſæi, ſed etiam faciendo. Tangitur hic modus v. 19. Secundo, legem interpretando, & quod minus habet addendo: unde toties dicit. *Ego autem dico vobis, &c.* Utrumque modum adimplendi tradit hic Auguſt. & Baſil. in Moral. reg. 43. Tertio, adimplevit legem, gratiam adimplendi legem hominibus dando: plenitudo enim legis eſt dilectio ſine qua impleri nullo modo poteſt. Dilectionem autem ſeu charitatem Chriſtus diffudit per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris. Tradit hunc modum ſæpius Auguſt. maxime lib. 17. contra Fauſtum cap. ultimo. Quarto, adimplevit legem & Prophetas, exhibendo per adventum ſuum ea, quæ per utroſque figurata & prophetata fuerant. Lex enim ceremonialis tota erat figura futurorum: unde futura exhibendo, præſentia non tam abolevit, quam implevit.

Ita hic Hilarius & Auguſt. libr. 19. contra Fauſtum cap. 7. & 8. Uterque hic adimplendi modus breviter indicatur a Chriſto, 1. Joan. *Gratia & veritas per Chriſtum facta eſt.* Gratia enim pertinet ad charitatem, veritas ad prophetiarum impletionem.

18. *Amen quippe dico vobis*: id eſt vere ſeu in veritate dico. *Amen* enim eſt vox Hebræa, ſignificans *Vere*, hoc eſt non jurationem, ſed affirmationem ſimplicem, ſeu aſſeverationem eorum, quæ dicenda ſunt, quando præponitur orationi, ſicut hic & alibi frequentiſſime; vel confirmationem eorum, quæ dicta ſunt, quando poſtponitur, idq. ſive ſimpliciter, ſive per modum optantis, ut c. 6. verſ. 13. Unde LXX. pro eo dicunt ſubinde *genito*, id eſt, *fiat*. Evangeliſtæ Græce ſcribentes, & omnes Interpretes, Syriacus, Latinus, Arabs eam vocem retinuerunt. Ob ſanctiorem enim autoritatem ſervata eſt antiquitas, inquit Auguſt. 2. De doctrina Chriſtiana cap. 11. Vide plura in cap. 27. Deuteron. verſ. 15. ex Hieron. Epiſt. 137. *Donec tranſeat*, id eſt, pereant ſeu diſſolvantur in conſummatione ſæculi firmiſſimæ orbis partes: *Cælum & terra. Iota unum*, quæ minima eſt alphabeti littera, *Aut unus apex*: id eſt, unum punctum ſeu etiam ſummum litteræ alicujus faſtigium, *Non præteribit a lege*, id eſt neglectum & infectum non peribit

ex

ex lege, *Donec*; id eſt, quin, *omnia fiant*, & impleantur, quæ ſcilicet ante mundi conſummationem adimpleri debent. Quo tropico loquendi modo oſtendit, inquit Auguſt. ad effectum etiam minima quæque perduci, ſive promiſſa, ſive prædicta; ſive figurata, ſive præcepta. Et quod de Lege idem de Prophetis intelligi debet.

19. *Qui ergo ſolverit*, id eſt, tranſgreſſus fuerit perfecta tranſgreſſione mandati, *unum de mandatis iſtis minimis*, id eſt, etiamſi minimum fuerit. Auguſt. refert ad ſuperiora mandata, ſcilicet legis: Chryſoſtom. & alii commodius ad inferiora, quæ ſcilicet mox ex lege traditurus eſt: hoc enim probat ratio verſu 20. ſubjecta: ſub illis tamen & alia ſimilia intelligi debent. *Et docuerit ſic homines*, ſicut ipſe ſolvit, inquit hic Auguſtin. hoc eſt, qui ſolvendum docuerit, exemplo ſcilicet & verbo alios tranſgreſſionem docens, quemadmodum Phariſæi docebant; *minimus vocabitur in regno cælorum*: id eſt, nullius pretii erit in Eccleſia, ſive potius in cœlo, quia ab eo excludendus eſt. *Qui autem fecerit*, non addit *unum de iſtis minimis*, ſed *fecerit* mandata ſcilicet omnia, quæ traditurus ſum, & ſimul ea *docuerit*: hic non ſolum in regno erit, ſed in eo *magnus vocabitur*, ſeu erit, quia major eo, qui docet, & non facit, vel qui facit & non docet, vel qui nec facit, nec docet.

20. *Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra*: id est, nisi vestra mandatorum observatio accuratior fuerit ea, quam sive docent, sive præstant Scribæ & Pharisæi, etsi habeantur illi doctores peritissimi legisque observantissimi, non poteritis esse salvi. Excessus autem iste justitiæ ad tria fere capita revocari potest: primo, ut non tantum opus externum, sed & affectus internus conformetur legi. Nam, ut Iren. lib. 4. cap. 27. Lex per corporalia erudiebat animam, consequentur scilicet docens etiam interna reformanda: Christus autem contra, per interna etiam corpus emendari docuit: secundo, ut etiam ea, quæ lex necessitate permisit, v. g. repudium, caveamus: tertio, ut lex non tantum secundum verborum corticem, sed secundum legislatoris intentionem observetur: quæ tria ex subjecta Christi interpretatione colliguntur.

21. *Audistis quia dictum est*, id est, quod præceptum fuerit, *antiquis* Patribus legem accipientibus a Deo: *non occides*, quo nihil amplius vetari intelligebant Pharisæi, quam verum externumque homicidium; & hæc erat Scribarum & Pharisæorum justitia.

Qui autem occiderit, reus erit judicio. Ut totus hic locus plene intelligatur, sciendum est, tria genera judiciorum seu tribunalium fuisse apud Hebræos: unum trium-

um-virum ſeu trium Judicum, alterum viginti-trium, tertium ſeptuaginta virorum, quod hic dicitur Græce *Synedrion*, & voce in Syriacam deflexa, *Sanedrin*. Primum de cauſis minoribus judicabat, ut de furtis, rapinis, &c. ſecundum de capitalibus: tertium de rebus graviſſimis, ut de Republ. de falſa doctrina, de ſummo Pontifice. Ita diſtinguunt Judæi in libro Sanedrin cap. 1. atque ejus rei veſtigia extant apud Joſeph. 14. Antiquit. c. 17. & alibi. Ad hæc duo poſtrema membra judiciorum Chriſtum alludere manifeſtum eſt. Itaque *reus erit judicio*, id eſt reus erit, ut in judicio cauſa ejus diſcutiatur, inquiunt multi, utrum ſcilicet ſciens, an caſu prepetraverit. Illi enim volunt hanc eſſe differentiam *Judicii*, & *Conſilii*, & *Gehennæ*, quod in Judicio daretur locus defenſioni, ideoque incerta eſſet tam damnatio, quam damnati pœna: in Concilio, quia majoribus cauſis reſervatur, certam volunt ſignificari damnationem; etſi incertum adhuc ſupplicium: in Gehenna vero damnationem & ſupplicium eſſe certa. Ita fere Auguſt. & multi poſt ipſum. Sed certum eſt hæc tribunalia non fuiſſe diſtincta certitudine reatus, aut pœnarum, ſed utriuſque gravitate. In omnibus ſiquidem tribunalibus diſcuſſio criminis neceſſaria eſt, eoque accuratior, quo cauſa eſt major: non enim accuſatio dam-

nando reo ſufficit. Rectius ergo, *reus erit judicio*, id eſt reus erit, ut judicetur, ſeu condemnetur. Pœna quippe Mortis certiſſima multis legibus homicidæ, Exodi 21. & Levit. 24. conſtituta eſt, quæ a judicibus mutari non poterat.

22. *Ego autem dico vobis.* Non minori auctoritate quam Moyſes, dico vobis, tamquam legislator novæ legis, & verus interpres veteris. Non enim ſe opponit hic, vel Moyſi, vel Deo, ſed Scribis & Phariſæis, legem interpretantibus, quorum interpretationem hic rejicit non tamquam falſam, ſed tamquam imperfectam. Nam, ut Auguſt. 19. contra Fauſtum c. 23. quia non intelligebant homicidium niſi peremptione corporis humani, per quam vita privaretur, aperuit Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidii genere putari, quod clare patet ex verſu 27. & verſ. 28. ubi ſimili plane modo declarat etiam concupiſcentiam mulieris eſſe mœchiam. Itaque ego dico vobis: *Quia omnis*, ſive læſus, ſive non læſus, *qui irascitur fratri ſuo*, ira ſcilicet illa vulgari, quæ nude tendit in vindictam, ex malevolentia expetendam, *reus erit judicio*, id eſt, capitis erit reus, judicio non humano, ſed divino. Vult enim ſignificare, etiam iram, ſeu ſolam voluntatem nocendi, ſeu occidendi eſſe tantum crimen, tantaque dignum pœna, quanta

Pha-

Phariſæi putabant homicidium. Itaque nihil opus eſt addere id, quod Græcus & multi Interpretes addunt ad, *iraſcitur*, ſcilicet *ike*, id eſt, *ſine cauſa*. Nam quantacumque fuerit iraſcendi cauſa, ſeu injuria, numquam licet iraſci fratri, ſeu homini, hoc eſt ei male velle; ſicut nec licet umquam velle mœchari. Non enim agitur hic vel de primis motibus iræ, ſed de deliberata; vel de ira, qua quis iraſcitur vitio fratris: hæc enim dilectionis eſt, non acerbitatis, ad corrigendum, non ad nocendum ab omnibus Sanctis, Apoſtolis, ipſoque Chriſto adhibita.

Qui autem dixerit, ſupple iratus ira jam dicta. Explicat enim Chriſtus gradus iræ, ſeu motuum tendentium ad homicidium. *Raca*: nonnulli apud Auguſtin. putant deduci a Græco *hrakos*, id eſt, *pannus*, ut ſignificet pannoſum. Ipſe Auguſtin. veriſimilius putat eſſe interjectionem, qua indignantis animi motus exprimatur. Sed *Raca* vox eſt Syriaca, quæ in Thalmud ſcribitur per Jod & pronuntiatur, *Rica*, vel *Reca*, deducta ab Hebraico, *Rick*, id eſt, *vacuus*, inanis ſcilicet fortunarum, vel cerebri. Unde eſt genus convitii levioris, quo exprobratur alicui, vel inanitas, ſeu levitas morum, ut vult Baſil. in Regulis brevioribus 51. vel potius fortunarum. Et ideo Judic. 11. verſ. 3. *Recim*, vocantur inopes, & 2. Reg.

6. verſ. 20. ſcurræ. Ita ſentit Angelus Caninius & Hieron. hic. Hanc vocem Evangeliſtæ noluerunt vertere, non tam quod eſſet interjectio, quam quod, vel eſſet uſitatiſſima, vel gratiam vertendo amitteret. *Reus erit concilio.* Græce *ſynedrio*, id eſt, Concilio Sanedrin, ſeptuaginta ſcilicet Senatorum, ſeu maximo. Loquitur accommodate ad conſuetudinem juris Judaici & Scribarum, ſignificans tantum eſſe crimen divino judicio, ut a tribunali graviſſimo & pœna in eo uſitata caſtigari mereatur.

Qui autem dixerit, iratus, *fatue*, fatuitate illa naturali, ſed maxime morali: quo modo in Scripturis omnes peccatores vocantur *fatui*, & ſal ſupra dicitur *infatuari*. Et hoc magis proprie eſt eſſe fatuum, & Græce *moron*, ut patet 1. ad Corinth. 1. v. 20. Significatur ergo convitium graviſſimum in moribus. *Reus erit* divino judicio, *gehennæ ignis*, id eſt, ſupplicii æterni, cui pœnæ nullam æqualem infligit ullum Concilium humanum. Porro *Gehenna* dicitur Hebraice *Ge Hinnom*, vel plene, ut eſt Joſue 15. verſ. 8. & ibid. cap. 18. verſ. 16. *Ge ben Hinnom*, id eſt, *Vallis filii Ennon*, a poſſeſſore ſcilicet, contracte vero Gehenna. Vallis enim erat, ut ſcribit Hieron. in verſ. 28. cap 10. Matt. prope Jeruſalem, ad radices montis Moria, aquis Siloë irrigua, & nemoroſa, in qua erat idolum

Baal,

Baal, seu Moloch, cui filios suos comburendo immolabant. Ne autem vagitus exaudiretur, pulsabant tympanum, quod Hebraice dicitur *Thoph*, unde locus est etiam dictus *Tophet*, Isaiæ 30. v. ult. Hinc propter dirum illud puerorum supplicium, & quia locus erat abominabilis, & jam a temporibus Josiæ contaminatus, ut est 4. Reg. 23. v. 10. pro pœnis æternis usurpari cœpit, vel primum a Christo Domino, ut videtur velle Hier. vel potius etiam ante: jam enim tempore Christi videtur appellatio ista fuisse usitata. Ex hac ergo peccatorum pœnarumque gradatione manifestum reliquit Christus, quantum delictum sit, quantaque pœna dignum homicidium re ipsa perpetratum, verbera & minæ: & quantopere Christianorum justitia plusquam justitia Scribarum & Pharisæorum abundare debeat. Hoc ut plenius exequatur, non solum non irascendum fratri, sed nec ullam animi ægritudinem adversus fratrem, id est proximum, servandam tradit, idque ex vi ejusdem præcepti, *Non occides*. Addit itaque:

23. *Si ergo offers munus tuum*: q.d. Cum tanta sit habenda cura fraternæ dilectionis, ut neque verbulo, neque ullo interno motu violanda sit, si contingat te esse offerendo sacrificio accinctum (neque enim sacrificium jam inchoatum abrumpi jubet;) *& ibi*, etiam stans coram

ram Deo, & proximus altari, *recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te*, cauſam ſcilicet juſtam conquerendi & expoſtulandi tecum, hoc eſt quod fratrem in aliquo offenderis, dicendo ei, vel *Raca*, vel *fatue*, vel ſimile quid: nam ſi ipſe te offendit, jam non frater habet aliquid adverſum te, ſed tu aliquid habes adverſus fratrem, ubi non eſt opus ab eo veniam poſtulare, ſed tantum dimittere. Ita Auguſtinus.

24. *Relinque ibi munus tuum ante altare:* id eſt, abrumpe omnem moram, etiam ante oblationem ſacrificii, multo magis ante omnia alia negotia. *Vade prius reconciliari*, &c. id eſt cura, ut prius in gratiam cum fratre redeas, & eo facto offer ſacrificium tuum Deo, quia jam ei gratum erit. Intellige hæc quidem præſtanda re ipſa, ſed juxta naturam præcepti affirmativi, cum ſcilicet prudentiæ ratio tempus & locus ita permittunt. Alioquin cum ita fieri, vel non expedit, vel non poteſt, tunc animi præparatione ſcilicet non motu corporis, ſed dilectionis affectu idipſum præſtandum eſt, ut latius Auguſtinus.

25. *Eſto conſentiens adverſario tuo. Adverſarius* iſte multis modis exponitur. Plerique antiqui, ut Clemens Alexandrin. 4. Stromat. Tertull. libr. De anima cap. 25. & alii intelligunt diabolum: idem Tertull. ibidem ethnicum, Baſil. in Regg. bre-

brevioribus resp. 222. eum, qui nobis conatur aliquid tollere: alii conscientiam, alii carnem, alii Deum, alii legem Dei, quod Augustini est & multorum aliorum. Spectando scopum præsentis loci, verisimillime videtur dici cum S. Hilario & Hieronymo, quod Christus pergat in inculcando concordiæ studio, adhibendo parabolam hominum coram judice litigantium. Ubi expeditissimum est, maximeque consultum, ut qui offendit alterum, cum eo statim etiam in via ad judicem pergendo transigat, antequam ad eum veniat: nam ille ex officio nulla est usurus misericordia, sed tantum justitia. Itaque *esto consentiens*, seu compone, transige, *cum adversario*, Græce *antidicò*, id est cum collitigatore tuo, quem offendisti, & qui habet aliquid adversum te, *dum es in via cum eo*, id est, dum res adhuc in hac vita pendet: *ne forte*, vitæ scilicet cursu finito, *tradat te adversarius judici*, Deo scilicet, hoc est ne propter ipsum in manus Dei viventis incidas; & *judex tradat te ministro*, executori sententiæ diabolo, & Angelis ejus, *et in carcerem mittaris*, locum supplicii; sive infernum sive purgatorium, pro qualitate delicti.

26. *Non exies inde, donec solvas novissimum quadrantem.* Quadrans dicitur quarta pars assis: Lucas autem cap. 12. vers. ult. vocat *novissimum minutum*, cum tamen mi-

minutum ſit dimidia pars quadrantis, quia quadrans continet duo minuta, ut eſt Marci 12. v. 42. Senſus tamen eodem redit: Parabolice enim ſignificat, quod ibi ſummo juris rigore ſit agendum, & ut Auguſt. quod nihil relinquetur impunitum, ſive culpa illa pœnas æternas poſtulet, de quibus explicat hoc Auguſt. ſive tantum temporales, de quibus Cyprian. Epiſtola 52. Neque enim afferit Chriſtus ultimum illum quadrantem unquam perſolvi poſſe, nec etiam negat.

27. *Audiſtis*, &c. *Non mœchaberis*. Quo præcepto mœchiam, hoc eſt illegitimum concubitum tantum opere perpetratum vetari, non deſiderium ejus putabant Scribæ & Phariſæi. Aperte enim dicit Joſephus 12. Antiquit. cap. 13. loquens de Antiocho Epiphane: Voluiſſe tantum, ac non etiam perfeciſſe ſacrilegium, non videtur res digna ſupplicio. Hæc ergo erat juſtitia Phariſæorum minor: perfecit eam Chriſtus, declarando etiam internos motus eo præcepto prohiberi.

28. *Quia omnis, qui viderit mulierem*, quamcumque non ſuam, ſive uxorem alterius, ſive non. Sub viſu autem, tamquam frequentiore peccati illius porta (quia ut Græce *ek tu horan to eran*) omnis ſenſus intelligitur. Nam, ut Clemens Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 11. ante totum corpus corrumpuntur oculi. Laſcivis enim aſpectibus & verſatilibus ac tanquam

quam conniventibus oculis intueri nihil eſt aliud, quam oculis mœchari, cum per eos cupiditas prima ineat pugnæ præludia. Nec tamen ſimpliciter vidiſſe culpa eſt, ſed *ad concupiſcendum eam*, id eſt, inquit Auguſtin. hoc fine, hoc animo, ut eam concupiſcat: quod jam non eſt vel videre, vel titillari delectatione carnis, ſive in anima, ſive etiam in corpore, ſed plene conſentire libidini: talis enim concupiſcentia deliberata, affectata, & procurata eſt. Unde *jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*, id eſt, jam animo commiſit adulterium ſeu flagitium (ſpecies enim pro genere ponitur) & coram Deo, ubi voluiſſe eſt feciſſe, ſtupri reus eſt. Et quaſi auditor quæreret, quid ergo de oculis faciendum, quorum aſpectu tam facilis ad concupiſcendum lapſus eſt? Reſpondet Chriſtus:

29. *Quod ſi oculus tuus dexter*, eoque charior, magiſque neceſſarius, *ſcandaliſat te*, id eſt, offendiculo tibi fuerit, ſeu occaſio, ut impingas & cadas in peccatum; ſcandalum enim eſt proprie impedimentum in via, quo impingitur: *erue eum*, id eſt etiam erue, ſi neceſſe fuerit, potius, quam te in peccatum pertrahat. Eſt enim elegans exaggeratio a Chirurgis deſumpta, qui unum membrum malunt præſcindere, quam totum corpus perire. Sed ſcandalum aliter ſemper vitari poteſt, membra ſcilicet

licet non eruendo vel abſcindendo, ſed a ſuis operibus continendo. Hac igitur parabolica exaggeratione docet, nihil homini ita delectabile, charum ac neceſſarium eſſe debere, quin, ſi occaſio ruinæ fuerit, abjici & contemni debeat, ſive fuerint ipſi uſus oculorum ac manus dexteræ, ut quidam recentiores ſignificari volunt, ſive conſiliarius monſtrans iter in rebus divinis, tanquam oculus, & adjuvans tanquam manus, ut Auguſt. ſive quicumque nos arctiſſima familiaritate contingunt, quamvis utiliſſimi & maxime neceſſarii, amici, parentes, liberi, uxor, &c. ut Hieron. in Comment. Hilar. Can. 4. in Matth. Athanaſ. & alii communiter: cujus abſciſſionis doctrina pulchre traditur Deuter. 13. v. 9. & ſequentibus.

31, *Dictum eſt autem*; Non addit, *antiquis*, quia in eodem præcepto mœchiæ explicando pergit, quatenus reſpicit etiam uxorem propriam. *Quicumque dimiſerit uxorem.* Quo loquendi modo indicat, legem nemini præcepiſſe, ſed potius permiſiſſe dimiſſionem. Præcipit autem, ut in illo caſu *det illi libellum repudii*, id eſt, ſcedulam, ſeu inſtrumentum, quo teſtetur ſe eam repudiaſſe, ſeu dimiſiſſe, ut conſequenter alteri poſſet nubere. Formula apud Romanos erat; *Res tuas tibi habeto*, *Res tuas tibi agito*, *Conditione tua non utar.*

Apud

Apud Judæos fere talis: *Ego N. ex animi mei consensu, & sine ulla coactione repudiavi, ut sit libera, & domina sui ipsius, ad abeundum & nubendum omni viro, cui voluerit*, &c. Causa permittendi hanc dimissionem erat, ne alioquin uxores occiderent: libelli vero, ut in diffidium animus præceps libelli conscriptione refractus absisteret. Hæc enim mora temperabat furorem viri, dum cogitaret, eam jam libere posse alteri nubere, nec ad se posse reverti. Deinde ut hac occasione illi, qui libellum scriberent, concordiam suaderet: quas causas dat Aug. 19. contra Faustum cap. 26. & lib. 1. de serm. Domini in monte. Alia causa fuit, ut petulantia mulierum frænaretur, & libertas virorum, ne vel illæ fugientes se dimissas dicerent, vel hi passim dimitterent, & mox reciperent.

32. *Ego autem dico: quia omnis, qui dimiserit uxorem*, id est, a toro & habitatione in perpetuum separaverit, sive aliam duxerit, sive non, *facit eam mœchari*. Non ajt *mœchatur*, quia nuda talis dimissio non est mœchia, sed est uxori causa, quantum in se est, ut mœchetur, eo quod dimissæ sit facilis in mœchiam lapsus, quia manet uxor dimittentis. *Excepta fornicationis causa*. Nam fornicariam dimittens, non facit eam mœchari, sed ipsa se fecit mœcham, & privavit jure conjugii. Et quamvis aliæ

nonnullæ repudii cauſæ ſint, recte tamen Chriſtus ſolam excepit fornicationis cauſam, quia illa eſt propria cauſa divortii reſpectu matrimonii: reliquæ ſunt generales, & Chriſtianum a quavis ſocietate liberant. Illa ſemel perpetrata cauſa perpetua eſt etiam poſt pœnitentiam: (fit enim repudium in pœnam, & non tantum in correctionem uxoris:) hæ ſunt tantum temporales, quamdiu durant.

Et qui dimiſſam duxerit. Repetendum hic putant id, quod præceſſit, *excepta fornicationis cauſa*: quaſi illa, quæ juſte propter fornicationem dimiſſa fuerit, poſſit ab altero viro duci. Sed abſurdum hoc eſt: ſic enim ejus conditio eſſet melior, quam quæ injuſte eſſet dimiſſa. Itaque hoc nullo modo repetendum eſt, ſed generaliter ſenſus eſt: Qui quacumque ex cauſa, ſive juſta, ſive injuſta, duxerit dimiſſam, *adulterat*, quia permanet uxor illius, qui dimiſit. Hac ergo lege perfecit Chriſtus veterem: primo, quod omni tempore repudium, quo ſive poteſtas, ſive permiſſio nubendi alteri traditur, prorſus tollat: ſecundo, quod uxorem adulteram non occidi jubeat, ut lex vetus, ſed dimitti ſinat: tertio, quod dimiſſio permittatur non qualibet vulgari ex cauſa, ſi quoquo modo diſpliceret viro, ut olim, ſed ſola cauſa fornicationis.

33. *Iterum auditis*, &c. *Non perjurabis*: ſive

ſive falſum jurando, ſive non complendo quod juraveris. Aliud præceptum perficit, quod illis verbis in Decalogo non habetur, ſed videtur reſpicere ad verſum 12. cap. 19. Levitici. Ad ſenſum vero etiam in Decalogo comprehenſum eſt, ubi generaliter vetatur, ne aſſumant nomen Domini Dei ſui in vanum: quo præcepto videntur Scribæ cenſuiſſe, quod nihil niſi perjurium vetaretur. *Reddes autem domino juramenta tua*: id eſt, id quod juramento promiſeris, ſive homini, ſive Deo, *reddes Domino*, id eſt, in honorem Domini, tanquam Domino debitum, cui fidem tuam obſtrinxiſti. Putant aliqui eſſe deuteroſin Scribarum & Phariſæorum, ſed ſatis aperte habetur ſenſus hujus mandati Num. 3. v. 3.

34. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino*, nempe neque falſum, neque verum; ſupple, quantum in te fuerit, ſeu ſine neceſſitate, aſſumendo ſcilicet nomen Dei per juramentum in vanum. Videtur enim explicare ſenſum iſtius ſecundi præcepti Decalogi, declarando per illud non ſolum perjurium, ſed & ſuperfluum juramentum prohiberi. Et ita præcepti eſt ipſa explicatio: non enim eſt juramentum aliquod ex ſe bonum, quaſi ad honorandum Deum, ſed aſſumendo dumtaxat, ut neceſſarium, ut Auguſtinus hoc loco. Unde idem libr. de mendacio, cap. 5. Intelligendum eſt, inquit,

quit, illud, quod positum est, *omnino*; ad hoc positum, ut quantum in te est, non affectes, non ames, ut quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas jusjurandum, scilicet nullis aliis circumstantiis id vestiendo. Sic enim unde per se jurare velle, etiam verum, malum est. Rationem idem reddit hoc loco, & alibi sæpius, ne assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabaris. Ita & Ambros. Serm. 14. in Psalm. 118. Voluit te non jurare, ne perjures; & Basilius in Psalm. 14. Sed hæc ratio cautelæ convincit potius esse consilii quam præcepti. Quomodo autem etiam præceptum sit, & tamen non incidatur in errorem Anabaptistarum, & Pelagii apud August. Epistola 88. & 89. qui juramentum omnino illicitum putabant, jam supra indicavimus.

Neque per cælum: supple, *juraveris*, ut sequitur. Hæc est explicatio illius *omnino*, scilicet nullo genere juramenti, non tantum per Deum, sed neque per creaturas. Unde Hilarius can. 4. Hieron. Theophil. & alii hoc loco, putant etiam præcedentibus verbis juramenta per creaturas, tanquam superstitiosa, ac Deo injuriosa, prohiberi: sed oppositio vers. 37. aliud postulat. Itaque verius est, aliam Pharisæorum corruptelam hic referri, contemnentium juramenta per creaturas, ut patet infra cap. 23. vers. 16.

18.

18. & 22. & ex rationibus, quæ tum hic, tum illo capite afferuntur a Christo: omnes enim eo tendunt, ut ostendant non superstitionem talium juramentorum, sed potius religionem eorum, quod scilicet jurando per creaturas, etiam per Deum juretur. Itaque *neque per cælum, quia thronus Dei est*, id est, veluti thronus gloriæ ejus, *et terra scabellum*, id est, veluti scabellum ejus. Atque ita refertur ad Deum juramentum, & per Deum illi insidentem fit, quod declarat Christus infra cit. cap. 23. Locus autem, quem hic citat Christus, est Isaiæ 66. v. 1. quo significatur non sessio Dei corporalis, sed metaphorica ista locutione significatur immensa ejus, & incomprehensibilis magnitudo ac præsentia, implens cœlum & terram, & regens omnia.

35. *Neque per Ierosolymam, quia civitas est magni regis*, qui illam sibi peculiariter in locum adorationis, & cultus sui delegit.

36. *Neque per caput tuum juraveris*: quasi hoc magis esset tuum quam cælum & terra, aut Ierosolyma. Hoc juramenti genus forsan a Latinis & Græcis, inter quos versabantur Judæi, didicerant: nam apud hos usitatissima jurandi formula est, per caput *Mou tav kephalo. Per caput hoc juro*, ut est apud Virgil. Æneid. 9. Quibus formulis caput in pignus

fidei deponitur, in quod Deus vindictam exerceat, si fallat, tanquam in rem, quæ maxime sit ipsius jurantis. Hanc falsam opinionem tollit, dicendo: *quia non potes unum capillum facere album aut nigrum.*; producendo scilicet capillum album aut nigrum, vel rectius, ut Hilar. & Chrysost. mutando album in nigrum, aut contra. Hoc enim quamvis artificio, & applicando activa passivis ab homine fieri possit, non tamen nuda hominis potestate aut arbitrio, sed subsidio creaturarum, & maxime ipsius Dei: quasi diceret, quia caput nullo modo tuum est, sed Dei, ut pote qui summam in eo habet potestatem creandi, vivificandi, mutandi colores capillorum per ætates; unde rem alienam in pignus deponere, & devovere non potes.

37. *Sit autem sermo vester; est, est, non non.* Multis modis hæc verba exponuntur. Alii enim volunt hic commendari, ut semper vera loquamur, ut August. in Enchiridio cap. 17. & 22. nimirum, ut sic non jurantibus credatur: q. d. Sermo vester *est*, id est affirmativus, sit: *est*, seu verus; & negativus sit: *non*, seu talis, qualis negatur. Alii intelligunt de promissionibus: q. d. Cum aliquid affirmaveritis, non fiat: & sic dedocebitur, vel mendacium, vel inconstantia. Sed certum est, improbari hic juramenta. Itaque verisimilius est præscribi, ut, cum aliquid

aliquid afferendum eſt, ſimpliciter dicatur, *Eſt, eſt*, id eſt etiam, etiam, & cum negandum, *Non, non*, ſine adjectione ullius juramenti; & duplicatio ſerviat ſolum pro maiori aſſertionis, vel negationis fide. Vel certe juxta Apoſtolum Jocobum c. 5. v. 12. hæc verba intelligenda ſunt. Ille enim hanc Chriſti doctrinam iiſdem pene verbis inculcat, ſed hoc modo, juxta textum Græcum: *Sit veſtrum Etiam etiam, & veſtrum, Non, non;* hoc eſt, veſter ſermo affirmativus ſit, ſeu exprimatur ſimpliciter, ſine juramento per: *Etiam*, & veſter negativus per: *Non*, ut ſic, quemadmodum ajt Aug. hic, ſe non jurationibus crebris, ſed morum probitate commendet, & ſermo noſter omni juramento credibilior habeatur.

Quod autem his abundantius eſt: id eſt, juramentum, quod ſimplici affirmationi, & negationi adjicitur. Non enim agit hic de verbis fere æquivalentibus, *Vere, Certe, In veritate, Amen, &c. A malo eſt.* Non dicit *malum eſt*; quia ut Auguſt. notat, juramenti bonus uſus eſſe poteſt: ſed *a malo*, ſcilicet infirmitate ejus, cui cogimur jurare; vel generalius, *a malo*, id eſt, a vitiis hominum originem habet, qui mendaces experti, vel ſine juratione non credunt, vel jurandi conſuetudine ſe volunt fide dignos reddere. Si enim defuiſſent mendacia & fallaciæ,

nullo opus esset juramento in hominibus. Per hoc ergo, quod a malo est juramentum, insinuatum voluit, ne quisquam, inquit Aug. sicut bonum (seu per se) appetat juramentum, sed refrænet se, quantum potest, ut non eo utatur, nisi necessitate. Itaque legem hic Christus non solvit, sed adimplet, quia admonitio non jurandi, conservatio est a peccato perjurii, inquit idem 19. contra Faustum cap. 25.

38. *Audistis, quia dictum est, oculum pro oculo*, supple, *erues*, &c. Lex talionis hæc est, omnium gentium judicio æqua, quia per eam statuitur justa vindicta. Fuit enim, ut August. ibid. lex ista non fomes, sed limes furoris, ne quis scilicet ampliorem vindictam expeteret, quam jure deberetur; ita ut sensus quodammodo legis esset: Non injuste vindicabis. Itaque Pharisæorum justitia minor erat, & pacis quædam inchoatio, non excedere vindictæ modum, ut plerumque fieri solet. Sive autem Pharisæi hoc ita intellexerint, ut quidam volunt, quasi liceret cuique privato homini hujusmodi vindictam lege moderatam animo ulciscendi se expetere (cum tamen prohibitum esset, Levit. 19. v. 18.) sive quod nihil de pacifica injuriarum perpessione docerent; perficit hanc legem Christus ipsas radices omnis omnino

nino vindictæ, & dissolvendæ concordiæ exscindendo.

39. *Ego autem dico vobis, non resistere malo:* id est animo tam esse alieno a vindicta etiam juste expetenda, ut ne quidem resistatis malo, scilicet homini inferenti injuriam, vel, ut Augustinus malo, quod infertur, quo minus aliud irrogetur. Hoc est enim, quod sequitur, ut idem notat: *sed si quis te percusserit*, Græce *Ropisi*, id est, palma seu aperta manu percusserit, *In dexteram maxillam*, id est, *in alteram*, ut habet Lucas: nulla est enim vis in dextera, nisi quod sequatur consuetudinem loquendi, non cædendi, cum sinistra sit magis ictui exposita. Nisi forte per dexteram, quæ ictu aversо, ideoque magis contemptibili percuti solet, majorem injuriæ gravitatem indicet, *præbe illi et alteram*; id est animo paratus sis etiam alteram potius obvertere, quam alapam reddere aut vindicare. Ita legem patientiæ legi talionis opponit, ut hæc injuriam pro injuria illata reddat, illa accipiat.

40. *Et ei, qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tollere*: id est qui tibi litem intendit, ut vestem interiorem tollat. *Dimitte ei pallium*, id est, exteriorem, Lucas commodiori ordine dicit: *Qui aufert tibi vestimentum* (Græce pallium) *etiam tunicum noli prohibere.* Quo indicatur, sensum hic & ibi esse: qui unam vestem

tibi vult tollere, dimitte ei & alteram. Sub quo membro intelliguntur omnia, de quibus judicio contendi poteſt, ut a noſtro jure in jus illius tranſeant, qui contendit. Docet enim, ut quidlibet temporale, etiam neceſſarium, ut ſunt veſtes, potius auferri nobis ſinamus, quam pro eo lite contendamus. Quod idem tradidit apertiſſime Paulus 1. ad Corinth. 6. v. 7. *Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis patimini?* Ratio eſt, quia jactura temporis, tranquillitatis animi, pacis, & charitatis, quæ litibus amariſſimis amitti ſolet, omni detrimento temporali gravior eſt.

41. *Et quicumque te angariaverit mille paſſus*: id eſt, qui coegerit te ire ſecum unum milliare. *Angariare* enim a Perſis manaſſe dicitur, apud quos Poſtæ ſeu Curſores *Angari* dicebantur, quibus jus erat, ſicut & nunc Turcis, quoſlibet ſive equos ſive homines ad curſum rapere, perſoluta mercede. Unde *Angariare* eſt cogere ad currendum, vel ferendum. *Vade cum illo et alia duo*, ſcilicet millia paſſuum, ſeu milliaria duplum nimirum pro ſimplo reddendo. Nam ut obſervat Auguſtin. Chriſtus in his exemplis gradatim videtur progredi. Minus eſt enim in ſiniſtra quam dextra percuti: æquale, unam veſtem tollenti alteram dimittere: gravius, cum cogente ad unum milliare, duplum ire. Quo indicatur, ſive aliquan-

quanto minus quam jam fuit, ſive tantumdem, ſive amplius quiſque improbus in te eſſe voluerit, æquo eſſe animo tolerandum.

Porro ſub his tribus injuriæ generibus omnes omnino comprehenduntur. Sub primo omnia, quæ corpori ignominioſe inferuntur, adeoque etiam omnes contumeliæ, & honorum jacturæ: ſub ſecundo omnia opum diſpendia: ſub tertio omne genus tyranicæ coactionis & ſervitutis. Ex his quædam reſtitui poſſunt, quæ Chriſtus negligenda præſcripſit; alia non poſſunt, ſed in his vindictæ ſolatium quæri ſolet. Alapam enim reddendo nihil homini reſtituitur, ſed, ut hic Auguſt. tumidus animus talia fomenta deſiderat; ſanum autem firmumque iſta non juvant. Itaque hac doctrina ſua vult Chriſtus animum hominis eſſe infractum, & omnibus incommodis temporalibus ſuperiorem: idque eo fine, ut in dilectione fraterna immobilis manens nullis injuriis vel jacturis ab ea divellatur. Ex hac ergo regula metienda ſunt exempla hic prolata, ut videlicet hæc præcepta patientiæ ſemper in præparatione cordis ſerventur, non ſemper in facto. Sic enim animo præparati & compoſiti eſſe debemus, ut non ſolum nullam vindictam expetamus, ſed hæc omnia, imo longe graviora æquanimiter patiamur, ſi proximi tamquam infirmi

ſalus

ſalus ita poſtulet; exterius autem id fiat, quod eis videtur prodeſſe poſſe, quibus bene velle debemus, ad operandam in eis correctionem atque concordiam, ut loquitur, & latius docet Auguſt. Epiſtol. 5. ad Marcellinum. Hinc nec Chriſtus, nec Paulus in maxilla percuſſi præbuerunt alteram ſed potius prohibuerunt. Servarunt enim iſta præcepta in corde, non opere; eorum ſcopum, non litteram; ſicut & ſervat pater caſtigans filium, & Reſpublica occidens malos. Multi enim mali benigna aſperitate plectendi ſunt, ut fiant boni, & velut ægroti etiam inviti dolore ſanandi ſunt. Unde hic locum habere poſſet generaliter illud Auguſtini: Dilige, & fac quod vis. Et hactenus quidem præcepta innocentiæ; nunc ſequuntur beneficentiæ. Nam, ut Auguſt. lib. De moribus Eccleſ. cap. 6. juſtitia erga proximum duobus perficitur, ſi nemini noceas, & quibuſcumque potueris, conſulas. Itaque

42. *Qui petit a te, da ei*: hoc eſt, quiſquis ille fuerit, qui petit, ut patet ex Luca, qui dicit: *Omni petenti te tribue*, id eſt, omni vere indigenti, ſive amicus fuerit, ſive inimicus; ſive cognatus, ſive alienus, ſive ſtudio ſcrutandi, ut eſt apud Clementem Romanum in Conſtit. Apoſtolicis lib. 3. c. 4. Vetat itaque perſonarum, non vetat paupertatis & charitatis haberi retionem; nam & charitas

tas non eſt inordinata. Unde & hoc præceptum ex ſcopo charitatis, cujus promptitudo petitur, metiendum eſt, ut ſcilicet detur, cum vel neceſſarium proximo vel expediens fuerit, & juſtum id, quod petitur. Unde Auguſt. Omni petenti te dabis, quamvis non ſemper id, quod petit, dabis, ſed aliquando aliquid melius dabis, cum petentem injuſte correxeris. *Et volenti mutuari a te*, id eſt, a volente mutuum petere, etſi forte præ verecundia nondum audeat petere. *Ne avertaris*, id eſt, ne avertas, voluntate aut vultu tetricum aut difficilem te exhibendo: benignitatem enim ſaltem & facilitatem poſtulat, ſi forte re ipſa mutuum dare non poſſis.

43. *Audiſtis quia dictum eſt, diliges proximum tuum.* Præceptum hoc habetur Levit. 19. ubi Hebraice *Reagh*, transfertur *amicus*. Unde Judæi videntur ſub eo ſolum intellexiſſe Judæum, tamquam ſanguine proximum, & cum quo eis erat ejuſdem Reipublicæ legum & religionis communicatio, & eſſe debet amicitia. Hinc a contrario inferebant, *et odio habebis inimicum tuum*. Sub quo vel quemlibet inimicum intelligebant, vel, ut aliqui malunt, alienigenam, eo quod inimicos Judæos ſatis expreſſe juberentur diligere, Exodi 23. verſu 47. indicatur eos fratribus, id eſt, Judæis, ſigna di-

le-

lectionis exhibuiſſe. Utrovis modo Phariſæi hoc intilligerent, hoc nuſquam lex dicit, inimicos generaliter, vel etiam alienigenas eſſe habendos odio, tametſi erga illos nominatim ſigna amicitiæ non poſtularet. Corrigit itaque hunc intellectum Chriſtus, præſcribens etiam inimicos quoſcumque diligendos: & Lucæ 10. v. 29. & 37. declarat etiam alienigenas ſub proximis comprehendi, de quo vide dicta Levit. 10. v. 18. Auguſt. tamen paſſim vult etiam poſteriorem partem, de habendis odio inimicis, vere in lege contineri. Et juxta hunc ſenſum dicendum erit hanc eſſe vocem non jubentis juſto, ſed permittentis infirmo, ut reſpondet libro 1. De ſerm. Domini in monte capite 21. Et ita Chriſtus adimpleſſet legem, addendo præceptum de diligendis inimicis: vel potius dicitur tunc, ſicut & nunc, præceptum fuiſſe, ut imitando Deum, cui quidam odibiles ſunt, odio habeamus inimicos, nempe quatenus tales, hoc eſt odio habemus id, quod in eis malum eſt & inimicum, ſeu iniquitatem ejus. Hoc cum Phariſæi male intelligerent, ferebantur in odium hominis, non vitii. Unde Chriſtus intulit id, quod omnino non noverant.

44. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*: ut ſcilicet ſic eos cogeret intelligere, quomodo poſſent unum eundemque hominem & odiſſe propter culpam

pam, & diligere propter naturam: ut ſcilicet illud, quod in eo recte odimus, arguamus, id eſt, vitium, quo poſſit illud, quod in eo recte diligimus, id eſt, humana natura, emendato vitio liberari, ut latius Auguſtin. 19. contra Fauſtum cap. 24. Et hoc eſt, quod Pſal. 138. verſu 22. dicit, *Perfecto odio oderam illos*: quod odium eſt, inquit ibid. Auguſt. ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Tali ergo dilectione *diligite inimicos veſtros*, nempe quia & illi proximi ſunt, ejuſdem ſcilicet naturæ rationalis ſocietate, & beatitudine ſeu ſocietatis æternæ capacitate. Nec ſatis eſt animo diligere, ſed *benefacite his, qui oderunt vos*: opere ea beneficia præſtando, quæ in veſtra ſunt poteſtate. Neque hoc ſatis adhuc, ſed *orate pro perſequentibus et calumniantibus vos*: lingua ſcilicet & precibus conferendo ea beneficia, quæ in aliena ſunt poteſtate. Ita perfecte implebitur illud 1. Joan. 3. *Non diligamus verbo neque lingua*, tantum ſcilicet, *ſed opere & veritate*.

45. *Ut ſitis filii patris veſtri*: ut hic operibus declaretis, vos eſſe filios, non degeneres: nemo enim inimicos diligit, niſi jam adoptione ſit filius; vel certe Hebraiſmus eſt, *ut ſitis filii*, id eſt, ut ſitis ſimiles operibus, ſicut ſtatim declaratur. Et hæc eſt filiatio imitationis, qua & nos dicimur filii Abrahæ. *Qui ſo-*

solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos: id est, amicos & inimicos suos maximis illis afficit beneficiis, quæ omnium temporalium beneficiorum fontes sunt. Ut hinc admoneamur, inquit hic Augustinus, quanta liberalitate inimicis ex præcepto ejus ea præstare debeamus, quæ nos non creavimus, sicut ipse, sed de muneribus ejus accepimus.

46. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt*: id est, amicos tantum, quæ particula exprimitur versu sequenti; *quam mercedem habebitis?* id est, quid præclari facitis, ut mercedem habeatis? scilicet apud Deum; ille enim utrosque diligendos præcipit. Unde qui inimicos excipit, declarat se non genuino charitatis amore diligere etiam amicos, sed sicut publicani se diligunt, ex naturali scilicet in diligentes propensione, vel propter seipsos quia se sentiunt ab iis diligi. Unde addit: *nonne et publicani hoc faciunt?* Genus hominum lucri propriique commodi ita studiosum, ut omnem exuisse videatur humanitatem, adeoque a promerenda, scilicet a Deo, mercede omnium judicio alienissimum. Erant autem *Publicani* conductores publicorum vectigalium: apud Romanos similes equitum Romanorum, & ornamentum Reipublicæ, ut loquitur Cicero, Oration. pro Plantio; apud Judæos vero infames,

avari, populo inviſi, & pro publicis perditiſque peccatoribus paſſim habiti, eo quod nulla religionis habita ratione ſuam operam locarent alienigenis Romanis, non tam conducendo ab eis vectigalia, quam colligendo ea, quæ Romani conduxerant: atque ita tyrannice illius oppreſſionis erant adjutores, cum Judæi ſe liberos prorſus putarent. Unde Chriſto propoſuerunt odioſiſſimam illam quæſtionem: Utrum liceret Cæſari tributum ſolvere.

47. *Et ſi ſalutaveritis;* verbo, complexu, oſculo, ut erat moris: quæ omnia verbo Græco *aſpaſyſthe* ſignificantur, & ſub illis ſynecdochice omnia officioſæ humanitatis ſigna comprehenduntur. *Fratres veſtros tantum*, id eſt, conſanguineos: nam *Fratrum* nomine omnes Hebræos vocabant, ut patet Rom. 9. verſ. 3. *quid amplius facitis?* quam ſcilicet cæteri, quibus præſtare debetis; vel quid amplius, id eſt quid eximium præſtatis? *nonne et ethnici* Gentes, a Dei cultu & legibus alienæ, *hoc faciunt*? Non ex charitatis quidem, ſed ex naturæ bonæ nondum extinctæ penitus reliquiis: per quæ indicat, legem Dei a filiis Dei aliquid amplius poſtulare.

48. *Eſtote ergo vos*, a Gentibus ſcilicet a Deo ſelecti, ut ſitis gens ſancta, & qui Publicanis virtute & mercede præſtare debetis, *perfecti*, iſta dilectionis & beneficentiæ amplitudine, quæ amicos &

inimicos, gratos & ingratos, fratres & alienos, complectitur. Non enim agit de consiliis Evangelicis, sed de illa perfectione charitatis jam dicta, quæ magna ex parte præcepti est. *Sicut et pater vester cœlestis perfectus est.* *Sicut*, similitudinem significat, non æqualitatem. Neque enim Dei perfectio præscribitur homini, sed tanta, quantam meditatione & exercitatione bonorum operum assequi possunt homines, inquit Basil. lib. 1. contra Eunomium.

CAPUT VI.

HActenus de ipsis operibus justitiæ: nunc de fine operum, ut in utroque abundet justitia discipulorum Christi, plusquam justitia Pharisæorum, qui peste humanæ laudis corrupti, omnium bonorum operum fructum & mercedem amittebant. Itaque

1. *Attendite*, id est, merito attendite, quia homini jam bene viventi difficile est, inquit hic Augustin. non surrepere sordes aliquas de his rebus, quæ ipsas nostras bonas actiones comitari solent, velut est laus humana. *Ne justitiam vestram faciatis*, id est, opera justitiæ: Græce

ce *eleemosynam.* Sed rectius cum Auguſt. lib. De perfect. juſtitiæ cap. 17. acceperis generaliter, ut deinde tres juſtitiæ illius generalis partes, Jejunium, Eleemoſynam & Orationem exequatur. *Coram hominibus, ut videamini ab eis;* id eſt, hoc animo, hoc fine, ut ab eis videamini, ſeu ut hominibus placeatis, ibi ſcilicet finem propoſiti veſtri collocando. Nam bene vivere, ut homines videant opera noſtra bona, & inde glorificent Patrem noſtrum, qui in cœlis eſt, ipſemet Chriſtus præcepit cap. præcedenti verſ. 16. Quo ſenſu & Paulus, qui dixerat; *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*: idem 1. ad Corinth. c. 16. dicit: *Ego per omnia omnibus placeo, ſed ut ſalvi fiant*, hoc eſt, inquit Auguſt. loco citato: in hac opera, qua hominibus placeo non hominibus, ſed Deo placeo; quia hoc non appeto, ut hominibus placeam, ſed ad id refero, ut me imitentur, quos ſalvos fieri volo. Nam ipſe Deo placere non poſſet, qui non ſe iis, quos ſalvos fieri vellet, præberet imitandum. Imitari autem illum, qui ſibi non placuerit, nullo pacto quiſquam poteſt. Itaque vetat hic, ne humanam laudem, velut finem, ſeu velut pro operum noſtrorum mercede quæramus, Hinc enim addit, *alioquin mercedem non habebitis apud patrem:* tum quia Patri non placet niſi vera juſtitia; juſtitia autem

tem tali inanitate vitiata non est justitia, sed vanitas. Tum quia propter illum non laboratis: æquum est autem, ut cui quisque laborat, ab eo mercedem accipiat. Itaque hujusmodi opera non dicit esse damnatione plectenda, sed fructu caritura, quia, ut Aug. alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant; superbia vero etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant.

2. *Cum ergo facis eleemosynam.* Sub qua comprehendit omnem benevolentiam vel dandi vel cognoscendi; sicut sub jejunio universam corporis castigationem, & sub Oratione omnes regulas sancti desiderii, ut August. lib. De perfect. justitiæ, capite 8. *Noli tuba canere ante te:* id est: noli sic velle innotescere. Sive quod ille tunc esset mos Pharisaicus, tuba pauperes convocare; quod cum recte fieri posset, ipsi ostentationis causa faciebant: sive quod alludat generaliter ad morem congregandi tubis populum, cum aliquid publice faciendum est, aut ad comœdias, cum in theatrum prodeundum. Unde addit, *sicut hypocritæ faciunt.* *Hypocritæ* enim dicuntur proprie, qui in theatro alienam personam simulando, exprimunt quod non sunt. Unde in vita humana, quisquis se vult videri id, quod non est, hypocrita est, inquit August. Simulat enim justitiam, & non exhibet, histrioni similis. *In vicis*, seu pla-

plateis publicis, *et ſynagogis.* Intellige vel conventicula generaliter, vel ſynagogas proprie dictas: ſic tamen, ut non intelligatur tuba in ipſis ſynagogis cani, ſed in areis, quibus cingi ſolent. Notat enim tantum loca populi concurſu frequentata. *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam*, nempe quam ſpectaverunt, laudem humanam. Illa enim non appeti a recte faciente, ſed ſubſequi debet recte facientem: ut illi proficiant, qui etiam imitari poſſunt, quod laudant, non ut hic putet aliquis eum ſibi prodeſſe, quem laudant, inquit Auguſt. hic lib. 2. cap. 2. Quo pacto igitur facienda eleemoſyna, ſi non ſic?

3. *Ut neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* Tropum eſſe manifeſtum eſt, ſed diverſiſſime explicatur. Alii enim apud Auguſt. per *ſiniſtram* intellexerunt infideles: alii inimicum, alii uxorem, quæ tenacior eſſe ſolet in dandis eleemoſynis. Auguſt. ipſe intelligit appetitionem laudis humanæ, quæ non debeat ſe miſcere *dexteræ*, id eſt, conatui implendi præceptum Dei. Satis enim indicat Chriſtus, in operibus hypocritarum, qui laudem venabantur, ſiniſtram fuiſſe conſciam operis dexteræ. Chriſoſtomi tamen expoſitio Hom. 19. & Theophylacti videtur valde opportuna, ut non tam metaphorica, quam hyperbolica ſit locutio: q. d. Uſque adeo elee-

moſynarum veſtrarum teſtes effugite, ut, ſi ſiniſtra manus haberet oculos, videre tamen non poſſet, quid dextera faceret. Cum qua convenit interpretatio Ambroſ. lib. 1. Offic. c. 30. qui vetaii tradit, ne etiam propinquiſſimi conſcii ſint, ne, dum hic mercedem quæris jactantiæ, illic remunerationis fructum amittas.

4. *Ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito*, id eſt prorſus occulta, Deo ſoli & conſcientiæ tuæ cognita. Quo ſenſu cautela iſta humanæ eſt infirmitatis, ut videlicet, quantum in ſe eſt, homo ſecretum quærat, non publicum, ne titillatio humanæ laudis obrepat. Intellige tamen, niſi Dei gloria, fratrum ædificatio, aut nec effitas aliud poſtulet. Præceptum eſt autem, ut numquam eleemoſynam, etiam quando fieri debet, aut ullum omnino opus beneficentiæ appetitu humanæ laudis operemur. Non enim eſt culpa, benefacientem videri, ſed velle videri. *Et pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi*: ſupple ex præcedentibus, *mercedem tuam*: ubi addunt Græca, *in propatulo*, ſeu *palam*, quod Lucas dicit, *in reſurrectione mortuorum*, id eſt, in ultimo judicio. Ut hac oppoſitione indicet eos, qui humanam fugiunt gloriam, non ſolum cumulatiſſimam illam mercedem & gloriam a Deo, ſed & humanam ab hominibus, quam hypocritæ venantur, lon-

ge

ge auctiorem, ſpectante tota corona humani generis, conſecuturos. Et hæc de primo juſtitiæ genere.

5. *Et cum oratis.* Hoc eſt ſecundum juſtitiæ genus, quod ſpectat Deum. A quo ſimiliter excludit appetitum laudis humanæ, quam affectant hypocritæ, qui *amant in ſynagogis*, quo populus maxime confluit, *et in angulis platearum*, ubi propter platearum concurſum a multis & a diverſis partibus ſpectari poſſunt, *ſtantes orare;* quia iſte ſitus magis ſpectabilis eſt: vel, *Stantes*, quaſi immobiles & mente rapti in Deum. *Ut videantur ab hominibus.* Nec enim videri nefas eſt, inquit Auguſt. ſed ideo hoc agere, ut videaris, & conſequenter lauderis. Nam & Apoſtolus 1. ad Timoth. 1. verſu 3. vult nos orare in omni loco, multo magis in loco ad hoc dedicato; & Publicanus orabat ſtans, & Salomon coram univerſo populo: ſed amare iſta, id eſt, affectato ſtudio frequentiam quærere, idque ut per hoc hominibus placeas, hoc vetatur, quia tales *receperunt mercedem ſuam.* Unde non eſt, quod de juſtitia Dei conquerantur, ſi non detur eis alia a Deo: hoc enim eis datum eſt, quod quæſierunt. Quo pacto ergo orandum?

6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum:* id eſt, locum ſecretiorem. Nam de corporali loco hic agi, patet ex oppoſitione cum *Synagogis* & *Angulis pla-*

tearum. Qui tamen ipſe locus ne hominum oculis pateat, *clauſo oſtio ora patrem in abſcondito*, id eſt, fuge omnino conſpectum hominum inter orandum, idque animo & intentione magis quam corpore. Non enim hic damnari putes preces publicas, quas univerſa commendat Eccleſia & Scriptura; ſed ex intentione Chriſti præceptum iſtud, ſicut & præcedentia moderanda ſunt. Quid enim juvat ſecretum quærere, ſi ideo quæras, ut hominibus ſecreto orare videaris? Itaque ſcopus orationis corrigitur, ne fiat inanis gloriæ ab hominibus aſſequendæ cupiditate, & ut ab illis videaris, ſed ut ſoli placeas Deo. Et hinc eſt, quod Auguſtin. hic & Ambroſ. De inſtitut. ad Virgines cap. 1. per cubiculum metaphorice intelligunt ſecretum conſcientiæ, quo homo jubetur coram Deo eſſe contentus, nihil ab hominibus ulterius affectando, etiam tunc, quando in publico orat. *Et pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi*, id ſcilicet, quod poſtulaſti, inquit Ambroſ in Pſalm. 40. in fine: ſed rectius intelligas cum Chryſoſt. mercedem, quæ orationi rependitur in vita futura. Hoc enim poſtulat conformitas hujus locutionis cum verſ. 1. & maxime 4. Unde idem ipſe notat, non dici, *donabit*, ſed *reddet*. Debitorem ſe tibi quippe, inquit, conſtituit: merces enim ex juſtitia debetur merito, cujus correlativum eſt. Ex

quo

quo patet, quam perperam Calvinus hoc loco, ex mercede precibus promissa colligat, quidquid mercedis passim Scriptura promittit, id non tamquam debitum solvi, sed gratuitum esse.

7. *Orantes autem nolite multum loqui.* Græce *Battologen* quod est non simpliciter multum loqui, sed nugaciter & futiliter verba profundere, idem, quasi necdum dictum esset, sine causa repetendo, more Batti illius Poëtæ: quamquam hic pro inani multiloquio usurpetur. *Sicut ethnici faciunt*, tamquam utile scilicet ad exauditionem. Putabant enim, quod affectata illa verborum copia & cultu partim Deus velut ignarus instrueretur: ut indicat vers. 8. partim ut tanquam judex homo verbis adduceretur in sententiam, ut inquit hic Augustin. Cum enim Ethnici linguæ potius, quam animo mundando studerent, nugatorii hoc studii genus etiam ad Deum prece flectendum trasferre conabantur. Non ergo improbat preces quantumvis longas, cum ipsemet in oratione pernoctaverit, & semper orare jusserit: nec quantumvis repetitas, cum ipse ter eundem sermonem dixerit: sed fiduciam in ista inani Ethnicorum garrulitate; hoc est enim quod sequitur, *putant enim quod in multiloquio suo*, id est, per istam futilem affectatamque multiloquentiam, *exaudiantur*: cum opus sit pietate, non verbositate, inquit Augustin.

Serm. 48. De diverſis, nec docendus Deus, ſed fervido deſiderantis, ac diligentis affectu invadendus eſt: qui quo ſæpius & prolixius in Deum, ſive gemitus, ſive verba, etiam eadem & ſæpiſſime repetita, eructaverit, tanto oratio fructuoſior eſt.

8. *Nolite ergo*, &c. *ſcit enim pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum*, id eſt antequam explicetis: quibus verbis utrumque vitium Ethnicorum excludit. Nam & bonitate Pater noſter eſt, ne putetur, ut judex multiloquio eſſe flectendus, ut velit; & ſcit omnia, antequam ipſi dicamus, imo ſciamus, ne putetur docendus, ut ſciat.

Cur igitur oramus, inquies, ſi Deus neceſſitatem noſtram ſciat? Ut te rogatorem eſſe memineris, inquit Hieronym. non narratorem. Aliud eſt enim inſtruere, aliud rogare ſcientem, ſive ſolo gemitu cordis, ſive etiam additis verbis.

Sed cur etiam rogatur, ſi tanquam Pater etiam dare velit? Reſpondet optime Auguſtin. quia oratio reddit hominem capacem ad accipiendum. Oratio enim eſt converſio mentis in Deum, qua converſione ſerenatur & purgatur ab inclinatione & cupiditate rerum temporalium: & ita fit capacior ſpiritualium. Excitatur enim orando, & exercetur, & augetur animi deſiderium. Tanto autem cæleſtia dona ſumimus capacius, quan-

quanto ea & fidelius credimus, & ſperamus firmius, & deſideramus ardentius, inquit, idem Epiſt. 121. cap. 8. Atque hæc eſt cauſa, cur Deus nolit multa niſi rogatus & rogantibus dare. Poſtulando enim, indigentia noſtra ſuadet humilitatem; accipiendo Dei beneficentia gratitudinem.

9. *Sic ergo vos orabitis.* Non ajt, *his verbis*; nam nec Chriſtus unquam his verbis oraſſe legitur, ſed aliis, Matth. 26. Joan. 17. &c. &. Apoſtoli Actorum 1. verſ. 24. Actor. 4. verſ. 24. & ſequentib. ſed, *ſic*, id eſt, hac formula; primo ſcilicet, quantum ad res petendas, quia omnia omnino petenda complectitur, ut Cypr. libr. De orat. Dominica. Ut idcirco Turtull. lib. de Orat. cap. 1. vocaverit *totius Evangelii. Breviarum.* Hinc Auguſtinus Epiſtol. citato cap. 12. Liberum eſt aliis, atque aliis verbis, eadem tamen orando, dicere, ſed non debet eſſe liberum alia dicere. Secundo, quantum ad ordinem petendi: ordine enim pulcherrimo id, quod ſupremum in affectu hominum eſſe debet, hoc præcedit, inferiora ſequuntur. Tertio, quia nulla in eo battologia, ſed brevitas incomparabilis, ut ſcilicet non agmine verborum, ut ibid. Tertull. Deum adeundum putemus, ſicut Ethnici faciebant.

Pater noſter qui es in cœlis. Procœmium eſt, non petitio, in quo latet divina

quæ-

quædam Rhetorica ad conciliandam Dei benevolentiam: est enim appellatio extremæ bonitatis, pietatis, & potestatis, ut Tertullian. supra. Nam *Pater* vocatur, tamquam fons omnium beneficiorum, creationis, regenerationis, & maxime adoptionis per baptismum, quæ comprehendunt omnia reliqua. Est enim hæc oratio renatorum propria, non Judæorum, aut infidelium, ut notavit Tertullian. & Cyprian lib. De orat Dominica, & Augustin. Serm. 48. de diversis. Et quamvis Christus fere soleat Patrem vocare primam personam, nihil tamen incommodi est, si etiam tota Trinitas, utpote æqualiter omnium beneficiorum fons, intelligatur a nobis. Unde virtute est summæ laudis, atque dignationis Dei, summæ gratiarum actionis & summæ fiduciæ compellatio. Qua de causa Cyprian. Hoc nomine, inquit, nemo nostrum auderet attingere, nisi dignationis ejus, & bonitatis ubertas id permisisset. Et enim hæc vox, *Pater*, novi Testamenti & amoris Dei propria, sicut, *Dominus*, Testamenti veteris & timoris. Unde simul his verbis & charitas erga Deum excitatur; quid enim charius filiis quam Pater? & supplex affectus, & impetrandi præsumptio, & cura, ne tanto Patre indigni simus, quæ notavit Augustinus hic. *Noster* dicitur, ut moneamur mutuæ fraternæque charitatis, in qua,

ut

ut Amb. libr. 1. De Cain & Abel cap. 9. & humilitas major & fructus uberior, dum dives & pauper se sub eodem patre fratres esse cognoscunt: & qui singuli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro singulis. *In cœlis.* Non quod non ubique sit. sed quod ibi majestas ejus eluceat & gloria. Unde omnium gentium opinio quasi a natura insita est, quod Deus in cœlo habitet, inquit Aristot. 1. De cœlo. Itaque cœlis præsidens omnia etiam subjecta significatur suo imperio regere & providentia continere. Atque ita verbis istis summam Patris potestatem refricat, ad præstandum postulata, reverentiam ingerit, mentemque a terrenis elevatam cœlis affigit, inquit Chrysostom. Per *cœlos* August. intelligit corda justorum, sed sensu, ut videtur, mystico.

Sanctificetur nomen tuum. Prima petitio & filiorum cura est gloria Patris. Nam nomen Dei est Deus ipse qui nominatur, majestas & auctoritas ejus. Petimus, ut illud sanctificetur, non quasi in se ipso non sit semper sanctum, sed, inquit, hic Augustin. ut sanctum habeatur ab hominibus, hoc est, ut illis innotescat Deus; ut non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant. Fit hoc autem non solum Deum cognoscendo, & voce celebrando, sed & vitæ integritate velut sanctum habendo. Sic

enim

enim e contrario nomen Dei blaſphemari & pollui dicitur, cum ſine reverentia tractatur, & velut ſordidum contemnitur, ſive vita, ſine voce. Suſpenſiva autem enuntiatione non dicentes: ſanctificetur in nobis, in omnibus dicimus, inquit Tertull. hoc eſt petimus illud, non a nobis, vel Chriſtianis tantum, ſed in omnibus gentibus ſanctificari, ſeu gloriam ejus in univerſo mundo clareſcere & celebrari.

10. *Adveniat regnum tuum*: non illud, quo dominatur Deus univerſæ creaturæ; hoc enim habuit a conſtitutione mundi: nec aliud regnum ſpirituale, quo in cordibus credentium & Sanctorum regnat in mundo, de quo Lucæ 17. dicitur, *Regnum Dei intra vos eſt*; nam hoc petitur petitione prima, & ex parte etiam tertia: ſed regnum intelligitur illud perfectiſſimum, de quo dicit: *Venite benedicti, percipite regnum, &c.* quo ſcilicet poſt reſurrectionem deſtructo peccato, morte, diabolo, omnibuſque adverſariis, Deus tranquilliſſime in corpore & animo glorioſiſſime regnaturus eſt. Itaque hic quaſi apprecantur filii patri ſuo regnum pacificum, & victoriam adverſus omnes inimicos. Et quamvis hoc omnino adventurum ſit, voluit tamen Chriſtus, ut iſtud peteremus: partim ut tamquam filii affectum noſtrum oſtenderemus, ut, quod ſemel venturum eſt, cito veniat,

Ve-

velut optantes maturius regnare, & quasi festinantes ad spei nostræ complexum, inquit Tertullian. libr. de Orat. cap. 2 partim, ut desideria nostra ad illud excitando, nobis adveniat, atque in eo nos quoque regnare mereamur, ut Augustin. Epist. 121. Itaque sicut olim Sancti postulabant adventum Christi in carnem, ita nunc in regnum suum, & consequenter in judicium. Unde Tertull. ibid. Votum Christianorum confusio nationum, exultatio Angelorum. Tacite itaque monemur tam sanctæ esse conversationis, ut digni simus stare ante conspectum Judicis Dei, venientis in regnum suum. Ut itaque non temere hoc petiisse videremur, statim subjungitur modus parandi se adventui & regno ejus.

Fiat voluntas tua, non ea, qua omnia, quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo & in terra; hæc enim efficax voluntas Dei semper impletur: sed ea voluntas intelligitur, quæ in præceptis Dei, ac consiliis declaratur. Fiat erga illa voluntas tua, scilicet in & a nobis, ut nos obediamus præceptis tuis, faciendo non voluntatem nostram, aut carnis, aut mundi, aut diaboli, sed tuam. Ita hic Augustin. & sæpe alibi. Petitur itaque hic lux & gratia noscendi, & adimplendi omnia præcepta Dei, sine qua fieri nullo modo possunt; & consequenter petitur id, quod Tertullian. significatum putat

tat, ut etiam voluntatem noſtram diviuæ voluntati conformare poſſimus in adverſitatibus perferrendis, quæ nobis a divina voluntate accidunt: hoc eſt enim unum ex præceptis Dei. *Sicut in cœlo et in terra*: id eſt, quemadmodum ab Angelis in cœlo, ita etiam ab hominibus hic in terra. Ita Chryſoſtom. et Auguſtinus hoc loco, qui tamen plures alios ſenſus adfert, ut ſcilicet petatur impleri illam voluntatem Dei, ita in carne noſtra, quæ adhuc legi peccati ſervit, ſicut jam fit in ſpiritu: vel ita a peccatoribus, ſicut a Sanctis; vel ita ab Eccleſia, ſicut a Chriſto: quorum aliquos etiam tetigerunt Cyprian. et Tertullian. ſed videntur magis eſſe myſtici, quam litterales. Et hactenus petivimus ea, quæ ſpectant gloriam Dei, et conſequenter noſtram: nunc quæ directe ſpectant nos, tametſi conſequent er gloriam Dei, tamquam finem ultimum, qui a nullis votis noſtri excludi debeat.

11. *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis.* Per *Panem*, nonnulli veteres intellexerunt ſolum Chriſti corpus, qnia ſuperſubſtantialis vocatur, ut Hieron. & ex profeſſo Ambroſ. lib. 5. de Sacramentis cap. ult. Sed non excludi cibum corporis, ſuadet, tum genuina vocis ſignificatio; tum quod corpus Chriſti nondum eſſet in Sacramento inſtitutum, quando hæc oratio tradebatur. Unde alii

vo-

volunt panem corporalem tantum peti: ſed quia oratio iſta perfectiſſima eſt, non eſt veriſimile ea eſſe prætermiſſa, quæ animæ ſuſtentandæ neceſſaria ſunt. Itaque veriſimilius videtur, nomine *Panis* Hebraica ſynecdoche primario omnem cibum corpori neceſſarium ſignificari, a parte, quæ excellit, inquit Auguſt. totum ſignificando. Sed ſicut ſub cibo corporis intelliguntur omnia corpori ſuſtentando neceſſaria, ut plerique notant, ita valde congruum videtur, ut ſub eodem intelligatur omnis cibus, qui ad animam in hac peregrinatione ſuſtentandam requiritur, maximeque corpus Chriſti, quia eodem *Panis* nomine uſitatiſſime vocatur, & ſpeciebus ejus tegitur: ut ita ſit quaſi duplex ſenſus, unus litteralis, & alter quaſi myſticus, ſed æque principaliter intentus. Et hinc eſt, quod vix ullus veterum corpus Chriſti excluſerit, utpote qui vere ſit panis filiorum: ſicut & hæc oratio filiis propria eſt. Plerique autem utramque expoſitionem conjunxerunt, ut Tertull. lib. de orat. Cyprian. de oratione Dominica, Theophyl. hic, Auguſtin. ſæpiſſime: ut Sermone 9. de diverſis, ubi dicit: Sane duobus modis intelligenda eſt iſta petitio, ſive pro neceſſitate carnalis victus, ſive etiam pro neceſſitate ſpiritualis alimoniæ: item Serm. 48. de diverſis, Epiſt. 121. c. 11. Libro vero 2. de ſermo-

ne in monte cap. 7. expreſse dicit: Si quis etiam de victu corporis neceſſario, vel Sacramento Dominici corporis iſtam ſententiam vult accipere, oportet, ut conjuncte accipiantur omnia tria, ut ſcilicet quotidianum panem ſimul petamus, & neceſſarium corpori, & Sacramentum viſibile, & inviſibile verbum Dei. Dicitur autem *noſter*, id eſt, nobis neceſſarius, non ſolum pauperibus, ſed & divitibus; illis, ut habeant; his, ut non amittant. Quod enim eis non deeſt, miſericordiæ Dei eſt, non potentiæ ipſorum, inquit Auguſtinus Serm. 48. *Superſubſtantialem* Græce *hipiuſion*, de quo verbo magna contentio eſt. Videtur autem derivari ab *uſia* id eſt *ſubſtantia*, ſicut *periuſios homouſios* & ſimiles derivationes: ut ſit panis *hipi ty uſia arhmozon* id eſt, ſubſtantiæ noſtræ conſervandæ idoneus, vel ſufficiens, vel neceſſarius, prout interpretati ſunt plerique Græci: Suidas, Theophyl. hic, & Baſil. quæſt. 252. inter breviores. Unde Syrus tranſtulit *panem ſufficientiæ noſtræ*, vel, ut alii vertunt, *indigentiæ, ſeu neceſſitatis noſtræ*, id eſt, panem non voluptatis aut luxus, ſed neceſſitatis. Nam, ut Auguſtinus cit. Sermone 48. impudentia eſt, ut ab eo petas divitias: non eſt impudentia, ut petas panem quotidianum. Aliud eſt, unde

de ſuperbias, aliud unde vivas. Et hinc eſt, quod ille panis vocatur Lucæ 11. *quotidianus*, id eſt, quo ſubſtantia noſtra indiget quotidie; nam ejus explicatio eſt *da nobis hodie*. Hoc autem Auguſt. ſolet exponere pro toto præſentis vitæ tempore: ſed nihil obeſt, quin pro præſenti etiam die accipiatur, ut ita Chriſtus doceat, inquit Cyprian. diurnum cibum petere, nec in longum deſideria petitionis extendere, juxta id, quod expreſse infra c. ult. prohibet, ſollicitum eſſe de craſtino.

12. *Et dimitte nobis debita noſtra. Peccata* dixit Lucas. Unde & infra cap. 18. v. 14. & ſeq. per debita illa pecuniaria ſignificata ſunt peccata, ſeu offenſæ, quia hominem apud Deum reum, & pœnæ debitorem conſtituunt. Hæc ergo dimitti nobis petimus, hoc eſt, eorum culpas deleri, ita ut Deus nobis propter ea non amplius offenſus maneat: ſicut hoc patet ex conditione ſequenti, quæ non de caſtigationis, ſed offenſarum remiſſione loquitur. Et ita exponit Auguſt. tum hic, tum alibi paſſim: nam pro pœnæ remiſſione potius ultima petitione deprecamur.

Itaque hæc oratio eſt quotidiana quædam mundatio baptizatorum a peccatis levioribus: ut ita ſemper memores vivant & infirmitatis ſuæ, qua peccatis obnoxii ſunt, ne in ſuperbiam efferan-

tur, & paternæ misericordiæ, ne desperent.

Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: id est, illis, qui in nos peccando nos offenderunt: non enim agitur, vel de pecuniæ, vel pœnæ remissione, sed injuriarum. Nam qui dimissa peccati offensa, qua læsus est, tamen emendat verberibus eum, in quem potestas datur, vel coërcet aliqua disciplina, eleemosynam præstat: non solum injuriam dimittendo, sed etiam eamdem pœnam plectendo, ut Augustin. in Enchiridio cap. 72. Non enim ordo vel charitatis, vel justitiæ hac ratione tollitur, sed odium & vindictæ cupiditas; ut scilicet suavitas animi erga fratrem in quotcumque, & quantisque delictis semper salva maneat, sine vindictæ amaritudine, etiam adversus inimicos. Illud autem, *sicut*, non habet hic vim accuratæ similitudinis, nec est regula dimissionis (non enim Deus nos, sed nos Deum in dimittendo imitari debemus, cum nobis ille incomparabiliter plura dimittat, juxta paraboläm Matth. 18.) sed est conditio quædam præparatoria, & æquissima, ut patet hic ex v. 14. Unde Lucas dixit: *siquidem & nos dimittimus*, id est quandoquidem & nos dimittimus, æquum est, ut & tu dimittas nobis. Unde Cyprian. Certa nos conditione & sponsione constrinxit, ut sciremus impetrari non posse quod

pro

pro peccatis petimus, niſi & ipſi paria faciamus. Similia habet Auguſtin. Serm. 48. de diverſ. c. 9. Itaque ſtatuit hanc legem Chriſtus, ut, quia nos quotidiana peccatorum remiſſione indigemus, eſſet quaſi fortiſſimum quoddam vinculum, imo neceſſitas conſervandæ fraternæ dilectionis, quandoquidem pro humana infirmitate prorſus ſine offenſis aliquibus intercurrentibus eſſe non poſſumus. Unde qui non dimittunt, & mentiuntur Deo, & ſuam de ſe ſententiam dicunt.

13. *Et ne nos inducas in tentationem:* id eſt, ne nos induci ſinas, efficiendo ſcilicet ne tentationi ſuccumbamus. Non ergo petitur, ne tentemur, ſed ne tentationi conſentiamus. Tentari enim plerumque utile eſt, ut probemur, ut exerceamur, ut nos ipſos cognoſcamus, ut in humilitate contineamur: *qui enim non eſt tentatus, quid ſcit?* Eccleſ. 34. v. 9. Efficit hoc Deus duobus modis: partim tentationes juxta vires hominis moderando, ut poſſit ſuſtinere; partim ſua nova gratia animum roborando, ut reſiſtat. Inducit autem Deus in tentationem, id eſt, induci patitur eum, quem ſuo auxilio deſeruerit. Itaque hoc petimus, inquit Auguſt. Epiſt. 121. cap. 11. ne deſerti Dei adjutorio alicui tentationi, vel conſentiamus decepti, vel cedamus afflicti, nempe aut luce carendo, qua peccatum tentationisve fallaciam cognoſca-

mus', aut dilectione juſtitiæ, qua peccati blanditiis, aut cruciatibus reſiſtamus: de quo Auguſt. 2. de peccatorum meritis cap. 19.

Sed libera nos a malo: eadem illa tentatione, inquit Auguſt. cit. Serm. 48. c. 13. ut ſic adverſativa particula repetat idem affirmative, quod præceſſerat negative: quo modo intellexit & Tertull. Et hoc ſenſu non erunt niſi ſex petitiones. Sed Cyprianus, & idem Auguſt. tum libr. 2. de ſermone Domini in monte, tum alibi ſæpius, ſtatuit ſeptem petitiones. Nec enim ullo modo neceſſe eſt, ut adverſativa ſemper idem repetat, quod præceſſit.

Porro malum reſtricte alii intelligunt diabolum, velut præſidem & artificem tentationum, ut eum Tertull. vocat: incertum eſt enim, an *malum* ſit neutrum, an maſculinum. Auguſt. lib. 2. de peccatorum meritis c. 4. intelligit ipſam concupiſcentiam, internum omnium tentationum fontem: ubi pulchre tres ultimas petitiones diſtinguit: quaſi diceremus, Dimitte nobis ea, in quibus ſumus abſtracti a concupiſcentia: adjuva, ne abſtrahamur a concupiſcentia: aufer a nobis concupiſcentiam. Rectius cum eodem Auguſt. *malum* generaliter intelleximus, ſive diabolum, ne infeſtet; ſive concupiſcentiam, ne titillet: ſive mortalitatem univerſam, ne nos affligat.

Nam

Nam ut idem Epiſt. illa 121 illud ultimum *libera nos &c.* tam late tamque evidenter patet, ut homo Chriſtianus in quolibet tribulatione conſtitutus in hoc gemitus edat, in hoc lachrymas fundat hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem. Comprehendimus enim, ut loquitur Cyprianus, adverſa cuncta, quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus: quod ubi diximus, nihil remanet, quod ultra adhuc debeat poſtulari. Unde non complebitur plene hæc petitio, niſi in reſurrectione mortuorum.

Ex his patet, cum oratio ſit interpres deſiderii, hac oratione omnia omnino deſideranda poſtulari, idque prorſus eo ordine quo deſideranda, non quo exequenda ſunt. In deſiderando autem primum eſt finis, deinde media. Finis omnium eſt Deus: in quem fertur affectus noſter dupliciter, vel ipſius gloriam in ſeipſa diligendo, vel nos in ipſo Deo. Primo itaque petitur ſanctificatio nominis ejus, ut ſcilicet gloria ejus in univerſo mundo clareſcat: deinde ut regnum ejus adveniat, id eſt, gloria ejus completa, & ad gloriam iſtam perveniendo, nos in ipſo, & cum ipſo regnemus. Ad iſtum vero finem aptamur, per ſe quidem bonis velut mediis, ad conſecutionem ejus utilibus; per accidens vero carendo malis, velut a beatitudine nos

prohibentibus. Itaque inter media primum & proximum est gratia Dei, & meritum hominis, quæ petuntur eo ipso, quo petitur, ut fiat voluntas Dei: subserviunt illis omnia, quæ ad sustentationem sive corporis sive animæ pertinent: & in panequotidiano postulantur. Mala vero, quæ nos a consecutione finis prohibent, tria sunt; primum & maxime omnium peccatum; deinde peccati tentatio; denique universa vitæ præsentis pœnalitas, velut omnium tentationum & peccatorum seminarium. Hæc tria prohibentia eodem plane ordine removeri petimus tribus ultimis petitionibus. Nam in illis tribus deprecamur mala, sicut in quatuor primis precamur bona: ita tamen, ut ea tria, quæ in æternum permansura sunt præmittantur, ultimum vero sit panis quotidianus, qui soli temporali vitæ competit. Vide de illis August. lib. 2. de serm. in monte cap. 10. & D. Thom. 2. 3. quæst. 83. art. 9.

14. *Si enim dimiseritis hominibus*, id est, æqualibus, conservis, longe minora in vos peccantibus, *dimittet et vobis pater*, nempe si adsint & cætera necessaria: sic enim affirmativæ promissiones & propositiones intelligi debent. Redditur autem istis verbis ratio istius modi orandi, *Sicut & nos dimittimus*, &c. ut indicaret nullum esse promptiorem dimissionis consequendæ modum, quam dimittendo, &

con-

contra, nulla re arctius peccata retineri, quam iræ atque odii reservatione. Imo, ut August. hic, si in ista pactione mentimur, totius orationis nullus est fructus. Unde adjicit:

15. *Si autem non dimiseritis*, &c. *nec pater dimittet vobis peccata vestra.*

16. *Cum autem jejunatis.* Præmisit orationi eleemosynam, nunc ei velut alteram alam, qua in cœlum volet, adjungit jejunium, sub quo omnem corporis afflictionem comprehende. Excludit ab eo similiter omnem jactantiam, quæ in sordibus luctuosis eo periculosior est, quod sub nomine servitutis Dei decipit. Itaque *nolite fieri tristes*, id est tetrici vultu, severitatis sanctitatisque simulatione scilicet *sicut hypocritæ*: qui videntur exterius agere, quæ temperantiæ sunt, cum tamen inani gloriæ studeant. *Exterminant enim facies suas.* Græce *aphanizusi* quod Chrysost. exponit *corrumpunt*, melius Syrus *deturpant*, Hilar. *conficiunt*, id est, nativum & vegetum colorem obscurant, ac perdunt affectato pallore tristique vultus severitate, *ut appareant hominibus jejunantes*: id est, ut omnibus conspicuum sit, & constet eos jejunare. Non enim tam arguit hic simulationem jejunii, quam ostentationem. Hanc ergo ut caveas, cum jejunas,

17. *Unge caput tuum, et faciem lava*: id est, studiose dissimula te jejunare, hi-

laritatem potius præferendo, quemadmodum, qui se ungunt & lavant. Est enim locutio metaphorica ab usu Orientalium & Palæstinæ sumpta: ubi, sicut hic notat Hieron. diebus festis ungebant caput; in luctu vero unguentis & lotione abstinebant, cujus usus exempla videre licet in Ruth cap. 3. vers. 3. & clarissime in Judith cap. 10. vers. 3. Unde David 2. Reg. 12. vers. 20. post luctum lotus unctusque dicitur. Itaque qui per *unctionem* intelligunt Chrisma, per *lotionem* baptismum, ut Basil. Serm. 1. de jejunio, vel unctionem Christi, qui caput est, & ablutionem a peccatis, ut Ambr. libr. de Elia & jejunio cap. 10. mysticos sensus adferunt.

19. *Nolite thesaurizare vobis thesauros*, id est, opes terrenas congerere, *in terra*, seu super terram, scilicet in hoc mundo perituro: *ubi ærugo* (Græce, *comestura*, quæ latius patet ærugine) *et tinea demolitur*; quia illa erodit metala, hæc absumit vestes, in quibus magna pars divitiarum posita est. Quod si quid forsan istas corruptiones evadat, tamen *fures effodiunt*, seu perfodiunt, terram & parietes, quibus occultantur, *et furantur*.

20. *Thesaurizate autem vobis thesauros*, non perituros, vel periculis obnoxios, *in cælo* & apud Deum, scilicet per bonorum operum frequentationem, maximeque eleemosynarum elargitionem.

Dat

Dat enim hic rationem tuto collocandi & adſervandi theſauros etiam terrenos, ſi quos habuerint, ne eos largiendo perdere viderentur.

21. *Ubi enim eſt theſaurus tuus*, id ſcilicet, quod maxime inſtar theſauri tibi charum eſt, *ibi eſt et cor tuum*: hoc eſt eo totus cordis affectus confluit, ſeu in eo tota cordis cogitatio, omnis amor, timor, ſpes, metus, ira, triſtitia occupabitur. Nam, ut Auguſt. 13. Confeſſ. cap. 9. Pondus meum, amor meus, eo feror, quocumque feror. Qua proverbiali locutione ſignificatum Chriſtus voluit, indignum eſſe, ut cæleſtis animus, qui Patrem invocat Deum, ac cœli heres eſt, curis terrenis in terram deprimatur, & cum auro ibi defoſſo etiam cor defodiatur, ut Baſil. Hom. in divites avaros.

Lucerna corporis tui eſt oculus: id eſt, oculus corporalis toti corpori eſt inſtar lucernæ, qua illuſtratum corpus, omniaque membra rite fungantur officio ſuo. *Si oculus fuerit ſimplex*, id eſt, purus & ſanus, nullis humoribus perturbatus, *totum corpus tuum lucidum erit*; quia ſingula membra ſua fruentur luce, ut munia ſua rite peragant.

23. *Si autem fuerit nequam* (Græce *ponyros* i.e. malus ſeu vitioſus, cœcitate ſcilicet, lippitudine, aliiſve ſordibus obſcuratus) *Totum corpus tuum tenebroſum erit*, quia

ſingu-

ſingula membra, velut in tenebris palpantia, erunt erroribus obnoxia.

Si ergo lumen quod in te eſt, ſcilicet ipſe oculus, qui corpori eſt inſtar luminis, *tenebræ* ſunt, ſeu in tenebras verſus fuerit, *ipſæ tenebræ quantæ erunt* ? id eſt, quanta erit caligo reliqui totius corporis, omni omnino alio lumine deſtituti? Hic eſt cortex ſermonis iſtius parabolici, in quo *Oculus* ſignificat, juxta Ambr. Serm. 14. in Pſalm. 118. conſcientiam: vel quod fere idem eſt, juxta Chryſoſt. mentem hominis, quam paulo ante cor vocaverat, ex intellectu ſcilicet & voluntate conſtantem. Quæ ſi munda fuerit, a terrenorum cupiditatibus libera, in cœlum tantum erecta, totum corpus reliquorum affectuum, & actionum erit juſtitiæ luce fulgens: ſin fuerit avaritia, aliiſve terrenis cupiditatibus excœcata, omnia tenebris peccatorum involventur Auguſt. per *Oculum* intelligit intentionem, quæ ſi ſimplex & recta fuerit, ſoli Deo, non temporalibus theſauris aut bonis intenta, quidquid ex ea, & ſecundum eam operamur, bonum eſſe neceſſe eſt, & malum, ſi mala eſt. Intellige, ſi aliunde non ſit defectus.

24. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire.* Proverbium eſt vulgo tritum, & experientia plerumque verum: quo indicatur, fieri non poſſe, ut quis pari affectu duobus dominis ſerviat, quia fere

mo-

moribus & indole discrepant, & contraria imperare solent. Et hinc fit. quod amor servi non possit in eos dividi: sed *unum ex his odio habebit, et alterum diliget*: & consequenter illi morose, huic prompte obsequetur: aut, si neutrum istorum diligat, quemadmodum fere servi, seu mancipia solent, *unum* eorum *sustinebit*, id est, imperium ejus patienter feret, ei tamquam domino adhærens, ut legunt Græca, *et alterum contemnet*. Hac ergo proverbiali locutione occurrit tacitæ & communi avarorum cogitationi, qui putant se cœlum & terram simul posse lucrari, cordis partem in cæleſtia & terrena divideudo. Itaque applicans ad propositum Christus, *non potestis Deo servire et mammonæ*. Vox est Syriaca significans omnia, quæ ad rem pecuniariam pertinent, & nomine divitiarum continentur, ut Hieronym. hic & Epist. 22. ad Eustochium. Vox autem sine interpretatione relicta est, ut magis conveniret prosopopœiæ, quasi dominus esset aliquis, cui avari tamquam Deo suo serviunt, cujusmodi Poëtæ Plutum fingunt. Unde & Apostolus ad Ephes. 5. vers. 5. avaritiam *idolorum servitutem* vocat. Non dicit autem; Non potestis habere Deum, ac Mammonam, seu divitias, sed non potestis utrisque servire. Habere enim divitias, si eis imperes, ac domineris, utendo eis, ut

Deus

Deus jubet, ſine vitio eſt: ſed ſervire eis, hoc eſt eis cor apponere & toto affectu animi ita ſubjectum eſſe, ut, quidquid ad eas accumulandas & conſervandas cupiditas jubeat, hoc fiat, iſtud vere vitioſum eſt, & impoſſibile, ut cum Dei ſervitute conſiſtat, quia hæc prorſus oppoſita jubet, ut ſcilicet erogentur & contemnantur.

25. *Ideo*, quia ſcilicet cor non eſt in theſauris figendum, Mammonæque ſerviendum, ſed ſoli Deo: *Dico vobis, ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis* non quaſi anima manducet, ſed quod manducando in corpore conſervetur: vel certe *Anima* more Hebraico pro vita temporali ſumitur, ut Job 2. verſ. 6. quæ ſcilicet manducando producitur, & fame extinguitur. Itaque Chriſtus cum ſervitutem divitiarum excluſiſſet, ſimul excludit ſollicitudinem pro rebus neceſſariis, qua avaritia plerumque velari ſolet, & cor terrenis curis implicari, atque a Dei ſervitute divelli, & ad avaritiam diſponi. Non vetat autem laborem pro neceſſariis, vel etiam diligentiam, quæ laudabilia ſunt, ſed ſollicitudinem, Græce *merimnan* id eſt, anxiam illam ſollicitudinem, qua animus in diverſa diſtractus ſe vexat, & cum quodam metu non aſſequendi totus in eo poſitus eſt, ut ſibi de neceſſariis proſpiciat, nihil pendens a divina providentia. Talis ſollicitudo

ple-

plerumque plura congerit, quam neceſſe ſit, & præpoſtera eſt, tempus præoccupans, ut indicatur verſ. ult. & ſoli ſibi, ſeu diligentiæ, atque induſtriæ ſuæ fidit, nihil Deo, ut verſ. 31. & 32. Et quia hæc pro neceſſariis ſollicitudo corruptis hominum moribus maxime uſitata eſt, hinc in toto Evangelio nullus animi affectus tanto ſtudio, ac tot argumentorum machinis a Chriſto oppugnatur & evellitur.

Nonne anima plus eſt quam eſca? Hæc prima ratio eſt a majori: q. d. Nonne vita eſt præſtantior, quam id, quo alitur vita? & corpus quam id, quo regitur corpus? Supplendum eſt autem: Deus vero dedit illa majora, ergo dabit & minora, quibus ipſemet vitam ſuſtentari & corpus tegi voluit.

26. *Reſpicite volatilia*; quæ longe minorem, quam terreſtria videntur victui quærendo diligentiam adhibere. Addit autem *cœli*, ut diſtinguat a domeſticis, quæ ab hominibus aluntur, *quoniam non ſerunt*, &c. id eſt, non adhibent ne quidem illum laborem ac diligentiam, quam vos ex Dei inſtituto adhibetis: & tamen *pater veſter*, cum volatilium non ſit niſi creator ac dominus; *cæleſtis*, qui ſcilicet omnia terrena, ſicut & ipſum cœlum ac terram, habet in poteſtate, *paſcit illa*, providentiam ſuam ad illa etiam minuta protendens. *Nonne vos magis pluris eſtis illis*, id eſt, Nonne vos, qui

qui ad imaginem illius creati estis, in filios adoptati, & propter quos creavit reliqua, præcellitis volatilibus, & consequenter fidere debetis vos ab eo esse pascendos? Cum ex instituto ejus seratis & metatis: Est enim hæc secunda ratio efficacissima a minori.

27. *Quis autem vestrum cogitans*, id est, anxia illa sollicitudine se excrucians: est enim idem verbum Græce quod supra verterat *sollicitum* esse: *potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Cum potius sollicitudo staturam rodendo minuat. Perficit argumentationem hanc Lucas, *Si ergo neque quod minimum est, potestis, quid de cæteris solliciti estis?* Ex quo patet, tertiam hanc rationem peti a minori ad majus: & consequenter non posse referri ad id, quod sequitur de vestimento, sicut August. retulit, quia vestimenta multo minora sunt. Sed potius referri debet ad id, quod præcessit vers. 25. de totius vitæ conservatione in corpore per victum: q. d. cum id, quod minimum est, uno scilicet cubito majores fieri vestra anxietate non possitis, multo minus vitam vestram sustentabitis tali vestra sollicitudine. Sic ergo a victu generatim tractato descendit jam ad vestimenta.

28. *Et de vestimento quid solliciti estis?* Cum longe minoris necessitatis sit quam victus. Porro quemadmodum supra a vo-

volucribus, ita nunc a floribus exemplum divinæ ſollicitudinis petit, ut ita quarta ratione velut a minori ad majus efficacius eorum excutiat ſollicitudinem. Itaque *conſiderate lilia*, in quibus ſingularis eſt pulchritudo ac decor, & in primis foliorum ordinatiſſime aſſurgentium, quaſi amictus, quo veſtiuntur. Addit autem *agri*, quia lilia agri totum debent divinæ providentiæ, hortenſia vero aliquid humanæ curæ. *Quomodo creſcunt*: id eſt, qua pulchritudine floris, qua foliorum gratia, velut veſtium aſſurgunt? Non enim de incremento magnitudinis loquitur, quod potius victui reſponderet. *Non laborant*, ad aſſequendum indumentum, ut ſolent viri: *neque nent*, ut ſolent mulieres: hoc eſt ſollicitudine prorſus vacua ſunt. Non enim, ut Chryſoſt. Homilia 25. opus prohibuit, ſed ſollicitudinem, ſicut & ſupra de ſatione.

29. *Dico autem vobis, quoniam nec Salamon*, pulchritudinis ac decoris ſtudioſiſſimus, potentia, ſapientia, opibus præcellens omnibus, quibus excogitantur ea, quæ ad veſtitum pertinent, *in omni gloria ſua*, id eſt, etiam tum cum in faſtigio gloriæ ſuæ fuit, *coopertus eſt*, ſeu amictus, *ſicut unum ex iſtis*, tanta ſcilicet veſtium pulchritudine & gratia. Quod enim ſericum, inquit Hieron. quæ Regum purpura, quæ pictura textricum

poteſt floribus comparari? Quanta veritatis & falſitatis, tanta veſtimentorum & florum differentia eſt, inquit Chryſoſt. Hom. cit. quia ſcilicet naturam divinæ providentiæ artificum hominum cura & induſtria imitatur, & non aſſequitur.

30. *Si autem fœnum agri*, id eſt, herbam agreſtem, rem ſcilicet abjectiſſimam *quod hodie eſt*, in rerum natura, *cras*, ſeu tantillo poſt, *in clibanum mittitur*, ad ſuccendendum furnum, *Deus ſic veſtit*, tanto ſcilicet pulchritudinis exceſſu: *quanto magis vos*, propter quos & flores, & mundum univerſum condidit, & quos in æternum ſecum vivere voluit, *modicæ fidei?* Qua increpatione radicem anxiæ illius ſollicitudinis ſuccidit: differentia enim iſta ex parva fide oriri ſolet. Nam ut magna fiducia in Deum ex magna fide de providentia ipſius naſcitur, ita diffidentia ex ejus defectu.

31. *Nolite ergo* talium ſcilicet exemplorum cogitatione de divina providentia muniti, ac ſtabiles, *ſolliciti eſſe*, æſtibus cogitationum diſcruciari & jactari, ita ut penuriæ timor in hujuſmodi anxias cogitationes vos conjiciat, *dicentes: quid manducabimus?* &c.

32. *Hæc enim omnia gentes*, quæ vel Deum rebus humanis præeſſe non credunt, ideoque, inquit Chriſoſt. merito timent & deſperant, quaſi neminem habeant gubernantem, vel ſublimiora ejus

bo-

bona neſciunt, *Inquirunt*: id eſt, hoc unum agunt, ut tamquam propria induſtria, toto animi ſtudio & ſollicitudine res iſti vitæ neceſſarias parent. Hæc eſt ratio ab iis petita, a quorum moribus Dei filios convenit eſſe diſſimillimos. *Scit enim*, tamquam omniſcius, *pater veſter*, ideoque benigniſſimus, & affectu in filios ſuos tenerrimo: *cæleſtis*, ideoque ad præſtandum potentiſſimus. Tangit enim breviter tres cauſas, ex quarum defectu oriri ſolet diffidentia de aliquo, ſcientiam, voluntatem, & poteſtatem, *quia his omnibus*, cibo, veſtitu, potu, habitatione, & ſimilibus *indigetis*, ut ita, juxta Chriſoſtom. quam ob cauſam plerique maxime anxii eſſe ſolent, vos e contrario magis ſollicitudinem abjiciatis, quia nempe neceſſaria ſunt, ſeu quia his indigetis.

33. *Quærite ergo*, Græce eſt *quærite autem*, quia eſt oppoſitio reſpectu illius, *Hæc enim omnia gentes inquirunt*: q. d. Sed vos e contrario *quærite primum*, id eſt ante omnia; ita ſcilicet ut illa prima cura ſit, idque finis conſtituatur, propter quem omnia faciamus, quæcumque facimus. Non enim vetat omnino quæri temporalia neceſſaria, cum ipſemet dici juſſerit, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*: ſed potius dicendi, *primum*, ſignificavit, quod hæc poſterius quærenda ſint, non tempore, inquit Auguſt.

ſed dignitate, hoc eſt propter aliud, nempe ſcilicet *regnum Dei*: illud ſcilicet, quo in Oratione Dominica petimus, ut adveniat: q. d. Illud unicum ſtudete, ut participes poſſitis eſſe illius beatiſſimi regni Dei. *Et juſtitiam eius*, non regni, ſeu *Baſilias* quia eſt fœminium Græce, ſed *avtu* id eſt Dei: hoc eſt quærite juſtitiam, qua non coram hominibus, ſed coram Deo juſti ſitis per fidem & obſervationem mandatorum ejus: quam juſtitiam idcirco cum regno quærendam docet: quia non alia ratione regnum Dei quæri debet, aut obtineri poteſt: *et hæc omnia*, temporaliter neceſſaria, *adjicientur vobis*, ſine veſtra ſollicitudine, non veluti merces, ſed inſtar auctuarii, quod rebus pretioſis, dum emuntur, adjici ſolet; ſicut luculente in Salomone patuit, 3. Reg. 3. v. 13. Idcirco ergo non dixit, Quærite ſecundo illa, tametſi propter aliud quæri poſſint, ſed dixit, *adjicientur*, ne, inquit Auguſt. cum iſta quærimus, illinc avertamur: vel ne duos fines conſtituamus, ut & regnum & iſta neceſſaria propter ſeipſa quæramus. Hoc enim proprie quæritur, quod propter ſe quæritur. Qui autem neceſſaria propter regnum quærit, non illa, ſed regnum quærit. Jubet itaque, ut iſta non quæras iſto ſenſu non ut non accipias, ſed potius, ut abundantius accipias, quemadmodum obſervavit Chryſoſt.

34. *Nolite ergo ſolliciti eſſe.* Concluſio eſt ex omnibus præcedentibus: q. d. Propter hæc omnia, quæ dicta ſunt, de cura Dei cira iſta neceſſaria, nolite ſollicite eſſe, *in craſtinum*, ſeu de craſtino. Per quod intelligit Chryſoſt. ſuperflua: ſed *craſtinum*, ut notat Hieronym. ſumitur Hebraica phraſi pro futuro tempore. Non quaſi vetaretur omnis proviſio in futurum, ſicut humano more fieri ſolet, ut hic Auguſt. latius diſputat; nam & Chriſtus loculos, videlicet ad ſervandum in futurum, habuit, & Joſeph frumenta in ſeptenium providit: ſed vetatur, ne præſenti tempore earum rerum cura & ſollicitudine torqueamur, quæ juxta rectam rationem in futurum differenda eſt.. *Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi*, ſeu de ſe ipſo. Eſt proſopopœia, qua diei tribuitur, quod hominibus convenit, ut obſervat Chryſoſtom. Homil. 23. Significat autem futurum tempus opportunum fore, ut ea, quæ pro illo curari debent, procurentur: vetat enim ne inutiliter miſeri ſimus ante diem, & ideo bis miſeri. Illa quippe præpoſtero cura ex eo naſci ſolet, quod homo non cogitet eſſe Deum, qui ſingula ſuis temporibus curet, ideoque vult ſua ſollicitudine antevertere, totumque quaſi ex induſtria ſua ſuſpendere, ut in iis clare patuit, qui ex ſimili diffidentia, manna ſervare volebant in aliquot ſe-

quentes dies, Exodi 16. verſ. 20. *Sufficit diei* unicuique *malitia ſua*, id eſt afflictio, quam ultro ſecum fert, & quæ ei in procurandis rebus neceſſariis debetur; ideoque non eſt opus eam anticipatis futuri temporis moleſtiis augere.

Ex quibus patet, nolle Chriſtum hominibus excutere omnem diligentiam, vel proviſionem rerum futurarum, quaſi vellet nos alitum more vivere. Nam Prov. 6. verſ. mittit nos formicas, ut de futuro diſcamus eſſe ſolliciti, et alioquin nec ſerere, nec plantare liceret: ſed tantum tollit ſollicitudinem illam timidam diffidentem Deo, ac diſcrutiantem animos, adeoque anticipatam ac præpoſteram, qualis eſt gentium & hominum, qui non credunt, aut fidunt quidquam paternæ Dei providentiæ.

CAPUT VII.

POſt interpoſitam toto præcedenti Capite doctrinam de vitanda laudis humanæ cupiditate, rerumque terrenarum anxia ſollicitudine, redit hic ad doctrinam de dilectione proximi, & ad reſecandum aliud vitium Phariſaicum, quo ſolent homines ſiniſtre interpretari

dubia, calumniari recta, exaggerare levia, sibi peccantibus parcere, alios severe condemnare, excolantes vere culicem & camelum glutientes. Itaque

1. *Nolite judicare.* Non prohibet quodlibet judicium, quo peccata aperta vel condemnantur, vel castigantur, vel corripiuntur, vel vituperantur. Hoc enim judicium & exercuit Petrus adversus Ananiam, & Paulus in fornicarium, & Christus erga Pharisæos, dum toties eos objurgat, & væ minatur, unde & Joan. 7. vers. 14. dicit, *justum judicium judicate:* sed vetat judicium malignum, ac temerarium. Unde, Hieronym. hic non prohibuit judicare, sed docuit. Itaque vetamur malignum, hoc est condemnationis judicium proferre de dubiis. *Judicium* enim pro sententia, & *judicare* pro condemnare sumitur. Dubia autem illa Augustin. revocat ad duo capita. Primum, cum incertum est, quo animo quidque factum est: sunt enim quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, cum bono & malo fieri possint: de quibus temerarium est judicare, maxime condemnando. Alterum, cum incertum est, qualis futurus sit, qui nunc malus apparet, & ita reprehendimus, quasi sanitatem ejus desperamus. Unde & Paulus simile judicium de rebus dubiis vetans ait: *Nolite judicare ante tempus:* quia scilicet dubia suo tempore, quando erunt

cer-

certa & manifeſtata, judicabuntur. *Ut non judicemini*, ab hominibus, inquiunt aliqui, id eſt, ut non contingat vobis idem ab aliis. Sic enim plerumque fieri ſolet, ut ſeveri aliorum cenſores ſevere ab aliis cenſeantur: *in quo enim judicio judicaveritis*, &c. Generalior tamen & etiam verior erit ſententia, ſi de judicio Dei intelligatur, ut fere intelligunt veteres, Auguſtin. Chryſoſt. & alii. Itaque, *ut non judicemini*, id eſt, ut non incidatis in ſeveriſſimum judicium Dei:

2. *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* An ergo temere & inique judicabimur a Deo, ſi temere & inique judicaverimus? Reſpondet Auguſt. tum hic, tum Epiſt. 49. quæſt. 4. nos eodem judicio judicari, quia temeritas, qua punimus alium, eadem ipſa nos punit, quia ſcilicet illa ipſa eſt cauſa punitionis. Sed quia Chriſtus non tam identitatem cauſæ judicii noſtri quam comparationem utriuſque judicii inſtituit, vulgari loquendi modo ad vulgum uſurpato magis congruere videtur, ut eodem judicio judicari dicamur, quo judicavimus, nempe vel excuſationis vel condemnationis: ut ſcilicet ſi candide benigneque alios cenſuerimus, Deus viciſſim benigne de nobis judicet; ſin ſevere condemnaverimus, Deus nos condemnet, & ſevere tractet. Unde ſimiliter intellige, quod ſequitur: *et in qua menſura menſi fueritis*,

re-

remetietur vobis. Hinc Auguſtin. libro 21. De Civit. cap. 11. objicientibus, pro peccato temporali pœnam non debere eſſe æternam, reſpondet: *eamdem* dictam eſſe *menſuram*, non propter æquale temporis ſpatium, ſed propter viciſſitudinem mali, hoc eſt, ut qui mala fecerit, mala patiatur. Significat enim quod talem ſe Deus exhibebit, qualem ſe aliis exhibuerint, aut benignum, aut ſeverum.

3. *Quid autem vides feſtucam*, &c. *Feſtuca* minima ligni particula eſt, *Trabs* magna: unde *Feſtuca* minora vitia ſignificat, *Trabs* ingentia. Tota enim locutio, ſicut & præcedens, adagialis eſt, tempore Chriſti uſitata; ſicuti ex eo patet, quod utraque crebro in antiquorum Judæorum lib. occurrat. Itaque reprehendit hic aliquod vitioſiſſimum judicii & judicum genus, qui oculatiſſimi ſunt, ut in aliis delicta levia videant, graviſſima in ſeipſis non videant: Neque tantum ea vident, ſed etiam corrigere & corripere volunt, quibus ajt:

4. *Aut quomodo*, id eſt, qua fronte dicis: *ſine ejitiam feſtucam*, &c. id eſt, permitte a me ſanari vitium tuum. Qui enim corripit alterum, ſimilis eſt ejicienti feſtucam ex oculo: hic enim corpus, ille animum corrigere ſtudet. *Et ecce trabs*, id eſt, cum tamen tu gravioribus labores. Quod genus hominum recte vocat *Hypocritas*, id eſt, ſimulato-

res ſive quia prætextu emendationis condemnationem tantum & confuſionem alterius quærunt (ſi enim ex dilectione correctionem quærerent, prius graviora in ſe corrigerent:) ſive, ut Auguſt. quia accuſare vitia, officium eſt bonorum virorum & benevolorum; quod cum mali faciunt, alienas partes agunt, ſicut hypocritæ: ſive denique quia ex aliena reprehenſione ſanctitatis opinionem venari ſtudent, cum minime ſancti ſint.

5. *Ejice primum trabem de oculo tuo*, id eſt corrige prius in te ipſo graviora. *Et tunc videbis* ſeu videre poteris, *ejicere feſtucam*, &c. id eſt, tunc purgatus omnino idoneus eris, qui aliorum peccata corripias & corrigas: quia, ut Auguſt. videbis ea oculis columbæ, id eſt, cum animi ſimplicitate ac dilectione. Multa enim diſſimulabis, bene interpretaberis, excuſabis, tolerabis: denique ex propriæ infirmitatis conſideratione cum humilitate & fructu argues. Sed ne quis putaret hoc dilectionis beneficium quibuſlibet vitioſis eſſe præſtandum, prudentiam ſimplicitati miſcendam eſſe docet. Itaque

6. *Nolite dare ſanctum canibus*, &c. Multi operose diſtinguere conantur *Sanctum* & *Margaritas*, *Canes* & *Porcos*: atque inde ſententia iſta in diverſos ſenſus trahitur. Verior & ſimplicior videtur ſenſus Auguſt. lib. 2. De ſerm. Domini in mon-

monte, ut una eadem res & *Sanctum* & *Margarita* dicatur, doctrina ſcilicet Evangelica & cœleſtium myſteriorum theſaurus: *ſanctum* quidem, quia divina ſunt, quæ non debent corrumpi; *margaritæ* vero, quia pretioſa, quæ non debent contemni. Similiter iidem dicuntur *Canes & Porci*, immundi ſcilicet homines, non tamen quilibet, ſed qui vel latrando, ut canes, oppugnant & lacerant veritatem, vel conculcando, ut porci, eam contemnunt. Canis enim præterquam quod ſit immundiſſimus, ut pote etiam voraciſſimus putidiſſimorum cadaverum, turpiſſime ſalax, reſorbens vomitum ſuum, inſuper præ coleræ magnitudine in quoſlibet latrat: porci vero, præter ſordes, conculcant cibum, & invadunt eum, qui porrigit, niſi dederit.

Nolite ergo *ſanctum*, id eſt, cæleſtia Evangelicæ veritatis documenta & myſteria, maxime nuda, *dare canibus*, id eſt hominibus immundis, latronibus & oppugnatoribus eorum, ut Clemens Alexandrin. 2. Stromatum cap 1. Ubi fit alluſio ad ritum veteris legis, in qua vetitum erat carnes ſanctas, ſeu Deo conſecratas, immundis, maxime canibus, dare. Idem autem, Scripturæ more docet ſequenti hemiſtychio: *neque mittatis*, ſeu projiciatis, *margaritas veſtras*, id eſt, eundem illum cæleſtis ſapientiæ theſaurum, inſtar margaritæ pretioſum,

an-

ante porcos, seu contemptores ejus. Hanc enim porcorum istorum conditionem mox explicat. *Ne forte conculcent eas pedibus*; quo contemptus & rei pretiosæ prophanatio significatur, dum sacra, quæ eis non placent, aversantur, irrident, blasphemant, *et conversi dirumpant* vos, conviciis lacerando, verbis, factisque persequendo. Solent enim hujusmodi convertere aversionem a doctrina in ipsum Doctorem. Duplex hic ergo tangitur præcepti ratio nempe, ne doctrina exponatur prophanationi, & doctor persecutioni. Ubi merito quæritur, An ergo Christus dederit sanctum canibus, qui Judæis resistentibus sæpe prædicavit. Respondet Augustin. Christum non dedisse sanctum canibus, sed eis, qui capere poterant, & simul aderant, quos propter immunditiam & malitiam aliorum, negligi non oportebat.

7. *Petite et dabitur vobis.* Lucas cap. 11. subjungit ista orationi Dominicæ: unde videtur Christus hic perficere orandi modum, quem supra tradiderat. Chrysost. vero putat modum tradi, quo difficilia præcepta Christi hactenus tradita impleri possint, nempe petendo ad ea, quæ desunt nobis, adjutorium Dei. *Petite itaque et dabitur vobis*, id est certissime exaudiet vos. Intellige, si nec in rebus petendis, nec in modo petendi defece-

ri-

rimus: nam cum illa limitatione intelligendum eſt id, quod mox additur:

8. *Omnis enim qui petit, accipit*, &c. Porro de rebus petendis dicitur Ep. 1. Joan. 5. verſu 14. *Quodcumque petierimus, ſecundum voluntatem ejus, audit nos:* id eſt, ſi petamus & bona & ad ſalutem utilia. Si enim vel mala petimus, vel bona infima & fragilia, vel ut ea in concupiſcentias noſtras inſumamus, non eſt mirum, ſi petimus, et non accipimus. Jacobi 4. verſ. 3. Unde Auguſt. initio Epiſt. 34. Bonus Dominus, qui non tibuit ſæpe quod volumus, ut, quod malumus, tribuat. Modus petendi tangitur ab Aug. lib. De natura & gratia, capite 17. Deus dat omnibus affluenter, inquit, utique his omnibus, qui ſic petunt, & tantum petunt, quomodo, & quantum res tanta (cæleſtis ſcilicet ſapientia) petenda eſt. Ubi per *ſic petere*, Auguſt. intelligit ibi, quod Apoſtolus Jacobus cap. 1. quem explicat, nempe ut poſtulet, in fide nihil hæſitans, id eſt, magna & humili fiducia: per, *tantum petere*, orationis inſtantiam ac perſeverantiam. Nam, ut idem ajt Serm. 5. de Verbis Domini capite 5. cum aliquando tardius dat Deus, commendat dona, non negat. Diu deſiderata dulcius obtinentur; cito autem data vileſcunt & contemnuntur. Hanc autem orationis inſtantiam quam maxime orantibus neceſſariam eſſe docet hic Chriſtus illa in-

inculcatione, *petite*, *quærite*, *pulſate*. Nam quamvis Tertull. libr. De præſcript. cap. 8. & Auguſtin. libro 2. De ſermone Domini in monte capite 21. illa tria operose diſtinguant; alii quoque exponant, *petite* orando, *quærite* recte vivendo, *pulſate* perſeverando; alii, *petite* fide, *quærite* ſpe, *pulſate* charitate: idem tamen Auguſt. libro 1. Retract. capite 19. tradit, longe melius ad inſtantiſſimam petitionem omnia referri. Hoc enim oſtendit v. 11. ubi eodem verbo *petendi* cuncta concludit.

9. *Aut quis ex vobis homo?* Græce, *Num quis ex vobis homo?* nempe quamvis immitis & malus. Opponit enim hominem natura jam depravatum benigniſſimo & omnis malitiæ experti Deo, ut impetrandi facilitatem probet non ſolum a minori, ſed etiam a contrario, ut ex v. 11. patet. *Quem ſi petierit filius ſuus panem*, ſuſtentationi utilem, *numquid porriget ei?* rem ſcilicet vitæ ſuſtentandæ noxiam? Idem judicium de piſce & ſerpente. Pulchre autem lapidem pani, piſcem ſerpenti opponit. Colore enim & figura nihil ſimilius, natura & uſu nihil diſſimilius: & plus probat, quam propoſitum poſtulabat, nempe non ſolum Deum petentibus opem laturum, ſed etiam bona daturum, ſicut mox verſu 11. concludit.

12. *Omnia ergo.* Unde hoc inferatur, non omnino patet. Lucas cap. 6. verſ.

31.

31. ſubjungit hoc illi ſententiæ, quæ præceſſit hic cap. 5. verſ. 42. *Qui petit a te, da ei*, & reliquis de dilectione proximi, cum quibus optime cohæret: ut ſcilicet Lucas hic ordinem dictorum Chriſti ſervaverit, non Matth. Auguſtin. vero vult hoc orationi ſubnecti, quaſi Chriſtus traderet modum impetrandi, nempe faciendo aliis, quod nobis fieri volumus. Poſſet tamen non inepte dici cum Chryſoſt. & diſcipulis ejus, eſſe epilogum & compendium omnium, quæ hiſce tribus Capitibus dicta ſunt. *Quæcumque vultis.* Proprie hic, *Velle* accipiendum eſt, non vulgariter. *Voluntas* namque proprie, inquit Auguſt. lib. 2. c. 22. De ſerm. Domini in monte, non eſt niſi in bonis: nam in malis, flagitioſiſque factis *Cupiditas* proprie dicitur, non *voluntas*. Hoc ut ſignificarent aliqui, addiderunt olim textui Latino, *bona*, ſed non eſt opus. Senſus eſt enim: Omnia, quæ recta & rationabili voluntate vultis ab aliis præſtari, *et vos facite illis*: quia hoc eſt diligere proximum, ſicut ſe ipſum. Græce & Syriace, *Sic et vos*: nam propter diſparitatem perſonarum patris & filii, mariti & uxoris, &c. ſæpe non eadem, ſed ſimilia cum proportione aliis præſtanda ſunt. Hanc regulam in veteri lege Tobias cap. 4. verſ. 16. præſcribit filio: quam et Philoſophi agnoverunt. Propter cujus obſervationem

A-

Alexander Imperator dicere ſolebat, ſibi placere Chriſtianos. Tradit eam Chriſtus velut legis compendium, tum quia facillima eſt: quod enim erga ſe rectum et æquum ſit, fieri homo facillime videt; quod vero erga alium, propter obſcurationem cupiditatum et philautiæ, non ita facile videt: tum vero *quia hæc eſt lex et prophetæ*, id eſt, hæc eſt ſumma et velut compendium doctrinæ, quam lex Moyſis et Prophetæ per valde varia præcepta de proximo diligendo tradunt. Quo ſenſu non repugnat ei, quod infra cap. 22. verſ. 40. ad duo præcepta dilectionis Dei et proximi lex et Prophetæ referuntur, quia ibi additur, *univerſa lex*, quod hic non additur, ut obſervat Auguſtinus.

13. *Intrate per anguſtam portam.* Hic ſequuntur non tam præcepta nova, quam exhortatio generalis ad ſervanda ſuperiora præcepta, uſque ad finem Capitis. Per *Portam* autem et *Viam* idem intelligit, non quidem hanc vitam, ut Baſil. quæſt 241. inter breviores, ſed rationem inſtituendæ vitæ cujuſque. Arcta quidem et anguſta porta intelligitur via virtutis, tum quia terminis divinæ legis, maximeque Chriſtianæ hactenus traditæ circumſcripta eſt, ita ut neque ad dexteram neque ad ſiniſtram vagari hominem ſinat, ut ulli omnino cupiditati ſatisfaciat; tum quia inceſſu difficilis

lis eſt, non propter ſe, cum ſit maxime connaturalis, ſed propter pronitatem corruptæ naturæ in omnia ſenſibilia, a quibus difficillime refrænatur. tum denique quia unica omnino eſt, a qua ne quidem latum unguem fas eſt deflectere. Quia vero omnes cupiditates per diverſiſſima genera vitiorum in corruptelas feruntur, ſive per exceſſum, ſive per defectum, hinc dicitur: *lata porta et ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem*, id eſt via iniquitatis, *et multi ſunt qui intrant per eam*; & conſequenter tendunt ad perditionem æternam. Major enim hominum pars viæ facilitate capitur, & libentius facit id, quod lubet, quam id, quod licet. Unde quaſi admirabundas Salvator adjicit:

14. *Quam anguſta porta et arcta via eſt, quæ ducit ad vitam: et pauci ſunt, qui inveniunt eam*: pauciores, qui ingrediuntur; pauciſſimi, qui ingreſſi ad finem uſque perſeverant, ut Hieron. notat tum hic, tum lib. 2. contra Pelagianos. Nulli enim Philoſophi, hæretici, Turcæ, Ethnici eam inveniunt; nulli mali Catholici ingrediuntur, pauci boni ad finem uſque perveniunt. Via vero ſpatioſa inventu facillima eſt, quia non alio opus eſt ductore quam errore, & a via recta deflexu, qui infinitis modis fieri poteſt. Eandem doctrinam lumine naturæ viderunt Ethnici, & expreſſerunt partim

per litteram Pythagoræ bicornem, partim per facilem descensum Averni,

Sed revocare gradum, Superaſque evadere ad auras,

Hoc opus, hic labor. Quia vero viam illam inventu difficilem, & a paucis inveniri dixerat, ut merito dux aliquis quæri deberet, aptissime subjungit, non a quolibet eam esse quærendam.

15. *Attendite*, seu diligenter cavete, *a falsis prophetis* qui se duces angustæ viæ offerunt, &, ut August. qui promittunt sapientiam cognitionemque veritatis, quam non habent, & se plerumque paucitate commendat. Significantur autem præcipue Hæretici, qui vocantur Pseudoprophetæ, nomine apud Judæos usitato: quia quod apud gentem illam usurpabant Pseudoprophetæ, hoc Hæretici apud Christianos. Utrique enim se a Deo missos clamitant, cum a se ipsis veniant: utrique venditant verba Dei, cum sua prædicent mendacia. Ad utramque fraudem indicandam addit: *Qui veniunt*, a se ipsis scilicet, non missi a Deo, juxta illud Jerem. 23. vers. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant ad vos*, docendos viam veritatis, *in vestimentis ovium*, id est ementita simplicitate & habitu veri doctoris veritatis, ut scilicet minus a veris ovibus timeantur, quemadmodum aliquando fecisse lupum tradit fabula. Hæc autem sunt ea, per quæ

se

ſe eſſe oves ſimplicibus ſuadent, nempe nominis Chriſtiani extrinſecus ſuperficies, ut Tertull. De præſcript. cap. 4. pellis manſueta, ut Cyril. Catecheſi 4. dulces ſermones, ad Rom. 16. verſ. 13. ſpiritus juſtitiæ & ſanctimoniæ, 2. ad Corinth. 11. verſ. 15. v.g. jejunia, eleemoſynæ, orationes: rurſum perpetua Chriſti & Evangelii inculcatio, denſiſſima Scriptuarum citatio, de quibus pulchre Vincentius Lirinenſis in ſuo Commonitorio cap. 35. & 37. *intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*, quia revera ſcopus eorum non eſt alius, quam proprii compendii cauſa gregem Domini lacerare, & a veritate abductos diſcipulos poſt ſe trahere: quo in æternum exitium præcipitentur, de quo vide Actor. 20. verſ. 29. & ſeq. Quod ergo ſymbolum ad eos dignoſcendos in tanta ſimilitudine?

16. *A fructibus eorum cognoſcetis eos*: id eſt a doctrina, inquit hic Calvinus, examinata ad verbum Dei: ſed abſurde. Agitur enim hic de diſcernendis Pſeudoprophetis, id eſt de ipſa, quam docent, doctrina diſcernenda: abſurdum autem doctrinam ex doctrina probari. itaque Auguſt. hic & omnes veteres unanimiter intelligunt opera; eaque non qualia & ab hypocritis fieri poſſunt, jejunium, eleemoſynæ, orationes, ut patuit ſup. cap. 6. v. 1. & ſeqq. nam, ut idem Auguſt. talia opera ſæpe ad veſti-

tum ovium pertinent, quibus Pseudoprophetæ decipiunt simplices: sed maxime illa de quibus Paulus ad Galat. 5. vers. 19. & 22. Nam quamvis subinde etiam illa bona opera conentur simulando exprimere, plerumque tamen improbitas in verbis aut factis erumpit, si attentius observentur, ut notat hic D. Thomas; & maxime, ut Theophyl. produntur successu temporis: nam nemo diu potest fictam ferre personam. Hoc autem maxime apparet, cum cœperint aliquibus tentationibus ea ipsa vel subtrahi, vel negari, quæ isto velamine consecuti sunt, vel consequi cupierunt. Tunc enim necesse est, ut appareat, utrum lupus in ovina pelle sit, an ovis in sua, inquit Augustin. lib. 2. cap. 12. De serm. Domini in monte.

17. *Sic*, quemadmodum scilicet de tribulo & ficu dictum est, *omnis arbor bona*: intellige fructiferam: quædam enim arbor nec bonos nec malos fructus profert. Sub *arbore* etiam frutices accipiendi sunt Hebraico more, qui illa omnia uno nomine vocant: nam tribulus proprie non est arbor. Itaque omnis arbor bona non ex foliis, sed ex fructibus cognoscitur: quia si bona est, *fructus bonos facit; si mala, malos*. Nec enim aliter in rebus naturalibus fieri ullo modo potest, ut vel bona malos, vel mala bonos, vel utravis utrosque promiscue

cue ferat. Applicatio ſimilitudinis iſtius difficilis eſt: ſi enim ſymbolice per *arborem bonam & malam* intelligas hominem bonum & malum, poteſt bonus mala opera, malus bona profere: ſin doctorem verum & falſum, poteſt hæreticus etiam docere vera. Auguſtin. rem facile expedit, plerumque per arborem bonam & malam, intelligens voluntatem bonam & malam, a quibus opera tamquam fructus procedunt, numquam enim illa malos, hæc bonos fructus facit. Ita ipſe libro De gratia Chriſti cap. 10. libr. 2. De nuptiis & concupiſcentia cap. 26. lib. 1. contra Julianum, cap. 8. & late lib. 4. cap. 3. & ſæpius alibi. Quibus locis fere refutat Manichæos, qui arborem bonam & malam vocabant naturas bonas & malas: itemque Pelagianos, qui conjugium intelligebant arborem bonam, unde non poſſet homo naſci cum peccato originali, tamquam fructus malus. Quæ Auguſtini interpretatio, licet univerſaliter veriſſima ſit, non tamen ſatis apparet, quomodo Chriſti propoſitum ſpectet, qui vult ſignum dare, unde cognoſcantur, non voluntas bona aut mala, ſed Pſeudoprophetæ a veris Prophetis, ut patet ex concluſione verſ. 20. & tamen utrique poſſunt eſſe voluntatis malæ. Itaque ſequendo filum ſermonis Chriſti, *arbor bona* videtur eſſe Propheta ſeu doctor verus: *mala* falſus.

Dat ergo ſignum dignoſcendi eos non mathematicum, ſed vulgare, neque de ſingulis operibus, ſed de pleriſque loquitur. Nam propter duplicem in homine voluntatem, non eſt in omnibus arborum & hominum quærenda ſimilitudo, quod Chriſtus ipſe declaravit in Phariſæis cap. 23. verſ. 2. & 3. qui vera docebant, male vivebant. Vel ergo ſignificat, ita fere fieri ſolere, ut falſi Prophetæ non diu ſub ovina pelle lateant, ſed fructibus ſeſe prodant, contraque naturam fieri, ſi veri doctores male vivant: vel certe intelligenda ſunt hæc formaliter, ut loqui ſolent, hoc eſt de doctoribus veræ & falſæ doctrinæ ut talibus. Nullo enim modo fieri poteſt, ut vera & caſta doctrina malos fructus proferat, vel falſa bonos, ſive in ipſo prædicante, ſive in auditoribus, ſi doctrinæ conformiter vivant. Monet ergo, non ad folia verborum, ornatum, ſpeciem ſanctitatis &c. ſed ad fructus, quos docendo & doctrinæ conformiter vivendo proferunt, eſſe reſpiciendum. Sic enim omnes hæreſes, maxime noſtri temporis, etiam a vulgo deprehendi poterunt.

Sed quaſi quæreret aliquis, Qui ſunt ergo illi fructus boni? Subjungit Chriſtus:

21. *Non omnis qui dicit mihi, domine domine*, id eſt, qui me Dominum ho-

no-

norifice compellat, & verbis me & Evangelium meum crepat: nam iſta ſæpe ad arborum folia & ad ovium veſtimenta pertinent, *intrabit in regnum cœlorum*, quia ut Hilar. regnum cœlorum ſola verborum officia non obtinent, *Sed qui facit voluntatem patris mei*, & conſequenter meam, id eſt qui obſervat mandata, quæ partim in recta fide, partim in operibus juſtitiæ poſita ſunt. Dicuntur ergo hæc adverſus eos, qui nomen Chriſti habent, facta non habent, inquit Auguſtin. ſive recta credant, ſive non credant. Nunc contra eos, qui etiam in mirabilibus quibuſdam factis fiduciam collocant.

22. *Multi dicent mihi in illa die*, ſingulari, terribili, & quæ nemini ignota erit, qua ſcilicet erit intrandum in regnum cœlorum. Significatur enim dies judicii, quæ antonomaſtice *illa dies* vocari ſolet, ut patet 2. ad Timoth. 1. verſ. 12. & ibid. cap. 4. verſ 8. *Domine, domine*, hic repetitio iſta vehementiam ſignificat ex terrore venientem, verſu vero præcedenti tantum frequentiam. *Nonne in nomine tuo*, id eſt auctoritate, commiſſione, & virtute tua, *prophetavimus*, id eſt docuimus, inquiunt aliqui: ſic enim *Prophetare* ſubinde ſumitur. Unde tali ſenſu hæretici vocantur falſi Prophetæ. Sed hic videtur ſumi proprie pro, futura prædiximus, vel ex afflatu

ſpiritus tui myſteria protulimus. Nam adfertur hic tamquam miraculum, quod in nomine ſeu virtute Chriſti fieri ſolet, ſicuti ſunt & reliqua, quæ hic ſequuntur, *dæmonia eiicere*, *virtutes multas facere*, id eſt multa effecta virtutis ſeu poteſtatis divinæ, quæ non ſunt alia, quam multiplicia miracula: quod enim per partes dixerat, generaliter concludit. Intelligi autem debent veræ prophetiæ, veræ dæmonum ejectiones, veræ virtutes, & miracula. Non enim neceſſe eſt, ut mentiri intelligantur, qui iſta ſive voce ſive cogitatione dicturi ſunt: nam omnia iſta ab improbis fieri poſſe, exemplo Balaam & Caiphæ & filiorum Scevæ, & aliorum, patuit. Unde Baſil. in Moralibus reg. 7. vocat ea dona ſpiritualia, quibus occulto Dei conſilio ornari ſinuntur improbi. Sed vanam iſtorum fiduciam eſſe, ſi fidei non adſit vita proba, declarat Chriſtus.

23. *Et nunc*, quod ante patientia diſſimulaveram, *confitebor illis*, id eſt, diſerte ac palam profitebor: *quia numquam*, ne tunc quidem, cum illa ſigna faceretis, meamque cauſam agere videremini, *novi vos*: ut meos ſeu pro meis. Plerique enim veteres obſervant *Noſcendi* verbum in Scripturis ſæpe pro dilectione & approbatione uſurpari: atque ita competit vel ſolis prædeſtinatis quo pacto dicitur 2. ad Timoth. 2. verſ.

verſ. 19. *Cognovit Domins, qui ſunt ejus*: vel omnibus juſtis, quos Deus ex regula ſuæ juſtitiæ juſtos facit, juxa illud Pſalm. 1. *Quoniam novit Dominus viam iuſtorum*, nempe quia approbat, diligit & facit eam. Unde Auguſt. Serm. 23. de verbis Domini cap. 10. Non novit illos, qui omnia novit? Quid eſt ergo, *Non novi vos?* Improbo vos, reprobo vos, in arte mea non vos agnoſco, ars mea neſcit vitia, & judicat vitia: neſcit faciendo, judicat arguendo. *Diſcedite a me*, in ignem ſcilicet æternum, quibuſcumque tandem gratiis & quantiſcumque miraculis fulſeritis. Eſt enim eadem ſententia cum illa terribili voce, *Ite maledicti in ignem æternum*: quæ tamquam turbo Dominicæ indignationis & velut tempeſtas erumpens ſuper caput impiorum veniet, Jerm. 23. verſ. 20. & 29. *Qui operamini iniquitatem*, id eſt *operarii iniquitatis*, ut habet Lucas c. 13. qui ſcilicet in vita iniquitatibus addicti fuiſtis, & adhuc voluntatem addictam geritis. Non enim ſignificat eos adhuc tunc iniquitatem operari. Hæc eſt ergo ratio, cur non noverit eos, quia averſatur eos.

24. *Omnis ergo*: q. d. Cum ergo tanta ſit neceſſitas fructuum, non foliorum; factorum, non verborum, ut ab illa ultima tempeſtate illæſi eſſe poſſitis. Eſt enim velut epilogus totius concionis,

apta, nexaque ex præcedenti similitudine, exhortans ad præcepta sua facienda, non audienda vel credenda tantum. *Omnis ergo qui audit et facit verba mea hæc*, id est doctrinam hanc: quo significat istum sermonem omnibus præceptis, quibus Christiana vita formatur, esse perfectum, ut & August. observat initio libri 1. De serm. Domini in monte. *Similis est viro sapienti*, id est prudenti, prudenterque rebus suis prospicienti, in eo, quod *ædificat domum suam super petram*, id est in solidissimo & immobili fundamento, ita ut inde domus etiam fiat immobilis contra omnis generis tempestates, quæ vel desuper irruant, *ut pluvia*, vel tentent fundamenta, *ut flumina* inundantia, vel in latus ingruant, *ut venti*: a quibus impulsa talis domus *non cecidit*, id est everti tempestatibus istis non potuit. *Fundata enim erat super petram*, veluti super firmissimum fundamentum. Quæ similitudo sic reddenda est, ut *audire* & *facere* sit quasi ædificare super petram. Non enim, inquit Aug. quisque firmat, quod audit vel percipit, nisi faciendo. Nam perfecta non auribus aut labiis, aut intellectu tenus, sed mirabili modo profundissime ipsi animo incorporatur veritas & doctrina; ita ut postea homo adversus omnis generis tentationes ac tempestates undecumque irruentes sit insuperabilis. Audire vero

(sub

(ſub quo & credere tantum intelligitur) & non facere, ſeu non obedire mandatis Dei, eſt quaſi ædificare domum *ſuper arenam*, hoc eſt fluxo fallacique fundamento niti: quod nullam homini ſtabilitatem dare poteſt adverſus irruentes tentationes ac perſecutiones, maximeque illam poſtremam noviſſimi diei tempeſtatem. Nam ad illam etiam reſpici ſuadet id, quod ſequitur, *et fuit ruina illius magna*, quia æterna, & abſque ulla ſpe redintegrationis. Hic videtur maxime obvius & ſimplex ſimilitudinis iſtius ſenſus, quem eleganter & late proſequitur Homil. 25. Quamvis plerique alii antiqui magis particulatim, ſed valde diverſis modis, ſingulas parabolæ iſtius partes applicuerint. Nam Auguſtino *petra* eſt Chriſtus; *pluvia*, caliginoſæ ſuperſtitiones; *venti*, rumores hominum; *flumina*, carnales concupiſcentiæ. Hilario *petra* ſimiliter Chriſtus eſt; *pluviæ* blandæ voluptatum illecebræ, quibus primum fides rimis patentibus immadeſcit; *flumina*, graviorum cupiditatum motus, *venti*, tota diabolicæ poteſtatis vis. Theophyl. & alii aliter.

28. *Et factum eſt* &c. *admirabantur turbæ*, Græce *obſtupeſcebant*, *ſuper doctrina eius*: tum quia doctrina tam nova, clara, ſublimis, divina, rationi conſentanea, atque auditoribus ſatisfaciens: tum quia mo-

modus docendi tam inusitatus, ut sequitur.

29. *Erat enim docens eos sicut potestatem habens* Græcæ *auctoritatem*, id est potestatem & jus dicendi. Non enim quasi ex alterius præscripto, sicut Moyses & Prophetæ loquebantur, *hæc dicit dominus*: sed velut *autokrator* seu legislator de pœnis & præmiis, de vita & morte decernebat; *Ego dico vobis*. Ita Chrysost. Adde, quia intrepide loquebatur, quia magna spiritus efficacia dicendique gravitate pollebat, ut non tam dicere quam dicta pectoribus, & cum dictis terrorem atque amorem imprimere videretur. *Et non sicut scribæ eorum et pharisæi*: quorum doctrina erat de cultu tantum externo, non interno, de rebus minutissimis, plerumque supervacaneis, ut infra cap. 23. & Marci 7. de quæstionibus scrupulosis & stultis, de genealogiis interminatis, de argumentis sæpe fabulosis. Modus docendi sine ulla majestate, sine spiritus efficacia, torpidus, elumbis, jejunus, ac frigidus, ita ut si quis etiamnum eorum dicta audiat, vel scripta legat, somniantes vel nugantes audire videatur, aut legere.

CAPUT VIII.

1. *Cum autem descendisset de monte* &c.

ecce leppoſus veniens. Commode poſt prædicationem ac doctrinam ſignorum offertur occaſio, ut per virtutum miracula, præteritus apud audientes ſermo firmaretur, ut notat Hieron. maxime quia dixerat Evangeliſta quod erat docens, quaſi poteſtatem habens: iſte enim erat præcipuus miraculorum Chriſti ſcopus. Ut propterea præclare dixerit Auguſt. lib. De utilitate credendi cap. 14. Ille adferens medicinam, quæ corruptiſſimos mores ſanatura eſſet, miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem &c. Lepra autem pertinaciſſimæ ſcabiei genus eſt, ſed Judaica in nonnullis erat diſtincta a lepra noſtrate, de quibus diximus ad cap. 13. Levit. *Adorabat eum*, accidendo ſcilicet ad genua, ut Marcus & Lucas notant: quamquam & Deum agnoviſſe Chriſoſt. & Auctor imperfecti velint, & ſatis clamant verba ejus:

2. *Domine, ſi vis, potes me mundare:* id eſt non eſt opus, ut roges, ut cujuſquam ſive hominis ſive medicaminis opem adhibeas. Poteſtas curandi in ſola tua voluntate ſita eſt, cui totum negotium ſubmitto. Quæ ſane oratio & breviſſima eſt, & modeſtiſſima, et maximæ fidei; & ideo

3. *Extendens Jeſus manum*, ut virtus vivifice carnis ejus oſtenderetur; nam

ut

ut ajt Victor Antiochenus in Marcum, Verbum individuſam cum carne ſocietatem ſe habere perſuaſum volens, pleraque miracula et ſigna per corporis miniſterium edidit: quam doctrinam et Cyrillus Alexandr. et poſt ipſum tradiderunt. *Tetigit eum*, ut oſtenderet ſe tamquam legiſlatorem non eſſe ſubjectum legi, quæ leproſum tangi verabat, ut Homil. 26. Chriſoſt. In hoc ipſo tamen ſcopum legis, non litteram ſpectabat. Nam vetabat hoc lex, non ut leproſi non ſanarentur, ſed ut tangentes non inquinarentur. Ipſe autem contactu ſuo non fiebat immundus a lepra, ſed maculam abſtergebat. Quia ergo dixerat leproſus, *ſi vis*, reſpondit Chriſtus, *volo*: quia dixerat, *potes me mundare*, reſpondit ei, *mundare*, id eſt, eſto mundus: eſt enim Imperativus, ut ex Græco patet. *Et confeſtim*, quia nihil eſt medium inter opus Dei et præceptum. Voluntas enim Dei poteſtas eſt, inquit Ambroſ. initio lib. 5. in Luc. qui pulcre notat tres hæreſes in paucis verbis refutari: *Volo* enim dixit, ptopter Photinum, *Imperat* propter Arium, *Tangit* propter Manichæum.

4. *Et ajt illi* JEsus: *vide*, ſeu cave, *nemini dixeris*. Ita oſtendens inquit Chryſoſt. Homil. 28. quam eſſet alienus ab aura gloriæ, pompaque jactantiæ: ſimul docens nos, ut Ambroſ. loco cit. non vulganda noſtra beneficia, ſed premen-

da

da, ut non ſolum a mercede abſtineamus pecuniæ, ſed etiam gratiæ ſeu favoris. *Sed oſtende te ſacerdoti*: ut per eum communioni hominum reſtituaris, juxta legem Levit. 14. verſ. 2. *et offer munus, quod præcepit moyſes*: id eſt ſacrificium, ibidem præſcriptum, ſub quo totus purificationis ritus comprehenditur. *In teſtimonium illis.* Jungendum videtur non cum, *præcepit*, ſed cum, *offer*, &, *oſtende*: q. d. ut hæc oſtenſio et oblatio illis teſtimonium dicant tum innocentiæ meæ, quem calumniantur legis adverſarium, tum poteſtatis meæ, qua leproſus mundatus eſt: ut ita vel in me credant, vel iſto ipſo teſtimonio ſint inexcuſabiles, munus velut mundati accipiendo, et tamen non credendo in eum, cujus miraculum probaverint: quas rationes tangit Hieron. et Chriſoſt.

5. *Cum autem introiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum centurio*: id eſt centum militum præfectus. Unde Gentilem fuiſſe vult Auguſt. Serm. de verbis Domini cap. 2. jam enim erat Gens ſub Romanis, quod & Auctor imperfecti ſentit Homil. 22. & ſatis colligitur ex verſu 10. & magis Lucæ 7. verſ. 5. Quo pulchre adumbratum fuit, gratiam ex Judæis, velut leproſis, id eſt partim ſanis, partim languidis, ad gentes paralyſi decumbentes & morti proximas cumulatiore fructu eſſe transferendam, Chriſto corpore abſen-

ſente, majeſtate præſente, ut Auguſtin. ibid. Nam quod hic dicitur: *acceſſit rogans*, & *dicens*, intellige non per ſeipſum, ſed primo per ſeniores Judæorum deinde per amicos, ut ex Lucæ 7. exponit Auguſt. lib. 2. De conſenſu Evang. cap. 20. & lib. 33. contra Fauſtum cap. 7. & 8.

6. *Domine puer meus*, id eſt ſervus, ut Lucas, ne filium intelligeremus, *jacet in domo paralyticus*, omnibus ſcilicet undique artubus fluidis, & ad conſiſtendi officium agendique corruptis, ut ſolent eſſe Paralytici. *Et male torquetur*, quod fieri ſolet in paralyſi ſubita, nam lenta dolore caret.

7. *Et ait illi* JEsus, id eſt Judæis, ejus nomine venientibus: *ego veniam*, ſcilicet etiam ad ſervum, ut nos doceat non magnos colere & præterire mendicos. Cum vero hoc fuiſſet renuntiatum Centurioni,

8. *Reſpondens centurio*, nempe rurſum non per ſe, ſed per amicos, quos ſubmiſit, cum non longe abeſſet Chriſtus a domo, ut clarum eſt ex Luca, ajt: *domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*, id eſt vel domum intres. Dicendo autem ſe indignum, præſtitit dignum, non in cujus parietes, ſed in cujus cor Chriſtus intraret, inquit Aug. Sermone cit. *Sed tantum dic verbo*, id eſt impera, dic unicum verbulum. qua phraſi agnoſcit ſummum ejus

im-

imperium, ſummamque ſolius juſſus efficaciam, ut merito putari poſſit, Chriſtum non ſolum ut Meſſiam Judæorum, ſed ut verum Deum agnoviſſe.

9. *Nam et ego*, quamvis *homo ſum*, non Deus, uti tu, & *ſub poteſtate conſtitutus*, id eſt alteri ſubjectus, Tribuno aut Cæſari, non omnibus imperans, ſicut tu, tamen quia ſum *habens ſub me milites*, id eſt quia nonnullam in quoſdam milites poteſtatem habeo, *dico huic*: *Vade*, *et vadit* &c. id eſt: multa ſolo juſſu facio. Argumentum enim petit a minori, quaſi diceret, inquit Auguſt. loco cit. homo ſub poteſtate, jubendi habeo poteſtatem, quid tu non poſſis, cui omnes ſerviunt poteſtates? Ex quibus verbis patet incomparabilis fides iſtius Gentilis, ſicut profundiſſima humilitas ex verſu 8. et commiſeratio erga ſervum, modeſtiaque ſupplicandi ex verſ. 6.

10. *Audiens JEsus miratus eſt*, id eſt, in modum mirantis ſe vultu habuit, & locutus eſt: quemadmodum iratus dicitur Deus, effectu ſcil. non affectu, quia tranquillo judicio fecit id quod irati ſolent. Nam, ut Aug. lib. 1. contra adverſarium Legis & Prophetarum cap. 7. quiſquis miratur, inopinatum atque improviſum ſibi eſſe ſignificat quod miratur: Jeſu autem nihil erat inopinatum, utpote qui ipſam Centurionis fidem in ipſo fecerat. Itaque, inquit Auguſt. id, quod

mirandum aliis commendat, mirando (id est mirantis modo se habendo) laudabat. Nam, ut idem ajt lib. 1 De Genesi contra Manichæos cap. 8. tales motus ejus non perturbati animi sunt signa, sed docentis magistri.

Et dixit: amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel: ex quo scilicet & cui ego prædicavi. Non enim agitur de Patriarchis, Joanne Baptista, Beata Virgine, sed de populo, in quo versabatur. Græce expressius, *nec in Israel*, hoc est ne quidem in Israel, qui scilicet ab infantia Scripturas de Christo edoctus est, ideoque fide debebat antecellere. Quæ oppositio aperte probat, Centurionem fuisse gentilem: unde ex tanta ejus fide, veluti specimine & præludio quodam, transit hic ad prænuntiandam vocationem Gentium.

11. *Dico autem vobis quod multi*, qui erant sine Christo hospites testamentorum, promissionis spem non habentes: *ab oriente et occidente venient*, id est ab omnibus mundi plagis: sub præcipuis enim comprehendit reliquas. *Et recumbent*, scilicet ad mensam cælestem, ubi cibus justitia, ubi potus sapientia, inquit August. illo sermone 6. cap. 4. Nam Christus more Scripturæ usitato quietem & gaudium æternæ beatitudinis sub convivii typo exprimit, ut clare Lucæ 22. vers. 29. & 30. *cum Abraham, Isaac, et Jacob*, qui-

quibus promissio regni cælestis sub typo terræ Chanaan facta est, *in regno cælorum*: ut cum illis, tamquam Patribus suis ejusdem consortes fiant beatitudinis, quia fidei imitatio faciet eos filios.

12. *Filii autem regni*: id est, indigenæ, quia in regno Judaico, quod erat typus regni cælestis, nati, & consequenter ad ipsum regnum cœlorum primi vocati, & quodammodo destinati: quia, ut Apost. ad Roman. 9. vers. 5. illorum adoptio erat filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa. *Ejicientur*, seu expellentur, *in tenebras exteriores*. Infernum intelligi non est dubium. Vocatur, *Tenebræ*, quia locus tenebrosissimus: tum respectu lucis corporalis, quia vel vis illuminandi ab igne inferni penitus abest, ut vult Basil. in Psal. 28. vel certe, si ad aliquid lucet, hoc ejs tormento est, non solatio, ut Greg. 9. Moral. cap. 39. alias 48. tum etiam respectu lucis spiritualis, quia, ut August. in Psal. 6. est ibi summa mentis cæcitas, in quam qui traditur, ab interiori Dei luce penitus secluditur: quod nondum fit, dum in hac vita est. Et hac de causa putat August. vocari infernum *tenebras exteriores*, quasi dicas extimas, seu extremas, id est profundissimas, tamquam a regni cælestis luce remotissimas. Quamquam veri sit valde si-

mile ſimul ad hoc reſpici, quod paſſim in Scripturis cæleſte regnum ſub typo cœnæ deſcribatur, Luc. 14. v. 16. Apocalyp. 19. verſ. 9. Cæna autem multo lumine celebrari ſolet: ut merito inde pulſi, in tenebras exteriores pelli dicantur tamquam extra cœnam regni poſitas, ut ſic opponantur luci domeſticæ, ex qua ejiciuntur. Ne vero ſuaves aliquas veluti nocturnas tenebras ſuſpicaremur, addit: *ibi erit fletus*, qui ſignum eſt ſummi doloris, triſtitiæ ac perturbationis; *et ſtridor dentium*, ſignum maximi horroris, vel certe furoris & iracundiæ. Nam Græcum *Brimis* etiam *fremitus* transferri poteſt, ut patet Act. 7. verſ. 54. ubi dicitur *Ebrichontuvo dontasi* e. ſt. upebant ſeu frendebant dentibus, nempe ex rabie. Non deſunt tamen, qui hic duplex Gehennæ tormentum indicari volunt fletus ex calore; ſtridoris dentium ex frigore, idque ex Job 29. verſ. 19. ubi Commentarius Hieronymo attributus hoc docet. Sed res iſta incerta eſt.

13. *Et dixit centurioni*, in amicis, quos ad Jeſum miſerat: *vade*; Hebraiſmus eſt quo conceditur id, quod petitur, Judic. 11. verſ. 38. 1. Reg. 17. verſ. 37. & alibi paſſim. *Et ſicut credidiſti*, me abſentem ſolo verbo puerum ſanare poſſe, *fiat tibi*. *Et ſanatus eſt puer in illa hora*, hoc eſt protinus illo ipſo temporis momento, ut clarius expreſſit Syrus.

14.

14. *Et cum veniſſet* JEsus. Non dicit *poſt hæc*, &c. nam iſta tota hiſtoria & cætera uſque ad finem Capitis 9. contigiſſe videntur ante ſermonem Domini in monte, utpote qui habitus fuit ad duodecim Apoſtolos jam electos, ut patet Lucæ 6. cum tamen Matthæus hic tantum capite 6. eligatur. Eſt igitur omiſſorum recapitulatio. Cum veniſſet ergo *in domum Petri*, quæ Marci 1. verſ. 29. dicitur *Simonis* & *Andreæ*: vel quia eorum fuerat, jam enim reliquerant omnia; vel quia patris eorum erat; vel denique, quia ſpectaret ad ſocrum Petri & in ea ſolerent hoſpitari. *Vidit ſocrum ejus jacentem et febricitantem*, id eſt ita graviter febricitantem, ut decumberet. Et cum rogaſſent eum pro ea, ut narrant alii.

15. *Tetigit manum ejus et ſurrexit*, id eſt, ut Marcus, *Elevavit eam, apprehenſa manu ejus: et dimiſit eam febris*: ipſo ſcilicet carnis contactu vivificæ, & imperio, ut Lucas addit, fugata. *Et miniſtrabat ejs*: prandium ſcilicet Jeſu & diſcipulis a Synagoga redeuntibus. Quo ſignificat non ſolum liberatam a febri, ſed præter morem vulgaris medicinæ ſubito etiam vires ei fuiſſe reſtitutas.

16. *Veſpere autem facto.* Addit Marcus cap. 1. verſ. 32. *Cum occidiſſet ſol*, videlicet quia erat ſabbatum ibid. verſ. 2. ut ita indicaret eos ipſo die abſtinuiſſe

ii ferendis ægrotis, quod propter festivitatem non licere sibi crederent. Vesperè autem sabbatum finiebatur, Levit. 23. vers. 32. *omnes male habentes curavit*, singulis scilicet imponens manus suas, ut Lucas addidit.

17. *Ut adimpleretur quod dictum est* &c. id est, ita ut adimpleretur. Eventus enim ex sanatione consecutus, non finis sanandi indicatur. *Ipse infirmitates nostras accepit*, id est, abstulit. *Et ægrotationes*, seu morbos nostros, *ipse portavit*, id est, asportavit. Plerique putant ea, quæ de peccatis dixit Isaias, tamquam quæ Christus in cruce tulit, Metthæum sensu accommodatitio ad corporis infirmitates transtulisse. Sed nihil obstat, quo minus Isaias de utrisque, id est, tam de peccatis quam corporis morbis, intelligatur, cum hi sint illorum effectus: ut hic sit Prophetæ sensus: *ipse infirmitates nostras*, tam corporis quam animi, tota vita & maxime in cruce *tulit*, pro iis patiendo, & consequenter *abstulit*, *et ægrotationes*, seu dolores nostros, *ipse* eodem modo *portavit*, & consequenter asportavit. Neque enim alia de causa satisfaciendo tulit, quam ut auferret; quod plenissime in Sanctis suis in ipsa etiam corporum resurrectione præstabit.

18. *Videns autem turbas multas*. Et tacite causa trajectus redditur, ut nempe multitudinem, humanamque laudem,

tot

tot miraculis adhærentem, fugeret. Cumque eum abire paratum videret Scriba quidam, ajt;

19. *Sequar te, quocumque ieris*, id eſt, paratus ſum inſtar diſcipuli tibi adhærere, & quocumque volueris ſequi. Ad cujus non tam verba quam animum, *dicit* JEsus: *Vulpes*, animalia licet hominibus inviſa & noxia, *foveas habent*, in quibus commode lateant, dormiant, foveantur ab aeris injuriis, & iiſdem de cauſis *volucres cæli nidos;* Græce *umbracula*, proprie ex frondibus & ramis, ut ſunt avium nidi. *Filius autem hominis*, id eſt ego ſeu Chriſtus, Græce eſt *Tu anthropo* genere maſculino. Unde apud Juſtinum quæſtion. 66. inferebant, Chriſtum ex hominis concubitu natum. Verum eſt Hebraiſmus ſeu phraſis Hebraica, qua ſimpliciter indicare ſolent hominem, ut patet Pſalm. 8. verſ. 5. & Job. 25. verſ. 6. *filius hominis vermis.* Sed tamen cum quadam efficaciori expreſſione humanæ miſeriæ, utpote cui magis obnoxius eſt, qui longa ſerie ex homine miſero miſer naſcitur. Et hac de causa nemo in Evangeliis vocavit Chriſtum filium hominis, niſi ipſe ſeipſum: commendans nobis, tum quid miſericorditer dignatus ſit eſſe pro nobis, inquit Auguſtin. libro 2. De conſenſu Evangel. cap. 1. nempe magnum illud incarnationis et exinanitionis ſuæ beneficium; tum etiam

ſe eſſe illum, quem Prophetæ carnem aſſumpturum prædixerant, eoque ipſo nomine, Dan. 7. verſ. 13. filium hominis appellaverant, ut notat Theodoret. in illum locum & Epiphan. Hæreſi 57. numer. 8. *Non habet*, ne tantillum quidem commodi aut proprii, *ubi caput reclinet*: ex itineribus laſſus, aut ſomno oppreſſus: qu. d. inquit Hieronym: Quid me propter divitias & ſæculi lucra ſequi cupis, putans me miraculis quæſtum facere, cum tantæ ſim paupertatis, ut ne hoſpitiolum quidem habeam, nec proprio utar tecto? Auguſtin. tamen quæſt. 5. in Matth. putat eum miraculis commotum voluiſſe ſequi Chriſtum, propter jactantiam, quam ſignificavit Chriſtus per volucres cœli: finxiſſe autem diſcipuli obſequium, quem dolum ſignificaverint vulpes. Utrumvis verum ſit, hac reſponſione tacite eum taxat, & a propoſito deterret, nempe ut ſe mutatis moribus ſequeretur.

21. *Alius autem de diſcipulis*, id eſt, jam vocatus ad diſcipulatum ejus, *ajt illi: permitte me primum ſepelire patrem meum*: id eſt, ſenectuti ejus inſervire uſque ad ſepulturam, inquiunt aliqui, quaſi pater adhuc vixiſſet. Sed rectius Chryſoſtom. & Auguſtin. Serm. 7. de verbis Dom. intelligunt vere mortuum fuiſſe, & a ſepeliendo hunc prohibitum, quia Chriſtus, inquit Auguſt. quando parat homi-

mines Evangelio, nullam excuſationem vult interponi carnalis hujus temporaliſque pietatis. Amandus eſt enim generator, ſed præponendus creator. Nam ideo Lucas adjecit: *tu autem vade, et annuntia regnum Dei.* Quaſi diceret Chriſtus, Ego ad Evangelium te voco, quod majus eſt, quam id, quod parentibus vis impendere, cum non deſint alii, qui opportunius id officium parenti impendent. Itaque

22. *Sequere me*, omnibus poſtpoſitis mihi individuus adhære, *et dimitte mortuos*, quantum ad animam, *ſepelire mortuos ſuos*, id eſt, ſibi ſimiles, corpore ſcilicet mortuos: q. d. Tu cæleſti vitæ dedicatus vitam annuntia, mortui anima mortuorum curam gerant.

23. *Et ecce motus magnus factus eſt in mari*, id eſt, lacu Galileæ, idque non fortuito, ſed ipſo Chriſto faciente, ut ita diſcipuli compellerentur ad invocandam opem Dei, ad Chriſti potentiam, ſuæque fidei infirmitatem agnoſcendam. His enim de cauſis ſolet Deus etiam tentationes juſtis probandi causa excitare. *Ipſe vero dormiebat*: vero quidem ſomno, ad probandam naturæ ſuſceptæ veritatem, ſed tamen voluntario: ne, ſi eo vigilante contigiſſet tempeſtas, vel non timerent diſcipuli; vel eo invito contigiſſe, vel ab eo non poſ-

ſe ſedari ſuſpicarentur. Ipſis vero immodice trepidantibus dicit:

26. *Quid timidi eſtis?* id eſt, quid tanto timore conſternati eſtis? Unde Marci 4. verſ. ultim. additur Græce, *quid ſic*, vel *adeo timidi eſtis?* Arguit enim non quemlibet timorem, ſed eum, qui fidem opprimit, pacem turbat, fiduciam in Deo minuit: ex quo clamabant, ut habet Lucas Græce, *Præceptor, præceptor*, itemque *perimus*, id eſt, actum eſt de nobis. Unde cauſam tanti timoris taxans, vocat eos *modicæ fidei*: qua vel non crederent: vel non fiderent ſe a dormiente poſſe liberari. Fides enim hic, vel credulitatem, vel fiduciam poteſt ſignificare, & in utraque infirmi erant.

Tunc ſurgens imperavit ventis et mari. Græcum *Epetimiſe* ſignificat *increpavit*, ut eſt apud Luc. quod apud Marcum dicitur *cominatus eſt*: quæ omnia proprie in creaturis ratione præditis locum habent. Hic autem tantum ſignificant vocem ejus, qua quaſi imperando dixerat: *Tace & obmutesce*, fuiſſe efficacem, ita ut ventus & mare auctoritati & voluntati ejus obediverint, ut ſequitur; non quidem ſentiendo, ſed motum ex imperio impreſſum ſuſcipiendo & ſequendo. *Et facta eſt tranquillitas magna*, ne veſtigio quidem turbationis reliquo, ut poſt tempeſtatem fieri ſolet.

27. *Porro homines mirati sunt:* tam discipuli, ut Luc. quam ii, qui erant in aliis navibus, quas Marc. adfuisse dicit cap. 5. vers. 36. *dicentes: qualis est hic?* quasi dicerent, Profecto longe alius est, & major, quam hactenus eum existimavimus, nempe dominus ventorum & marium, utpote quæ arbitrio ejus subjacent. Præclarus typus est hæc historia rerum futurarum, quem August. tum alibi sæpius, tum in Psalm. 25. exposuit. Tropologice enim stagnum hæc vita est; tempestas, tentatio, Jesus dormiens, fides sopita; evigilatio, invocatio; tranquillitas, liberatio. Allegorice Tertull. libr. De baptismo cap. 12. navicula est Ecclesia, mare sæculum, fluctus persecutiones & tentationes, somnus Domini patientia. In fine Sanctorum precibus excitatus sæculum compescet, & suis reddet tranquillitatem.

28. *Et cum venisset in regionem gerasenorum.* Græcus hic legit *Gergesinon* id est, *Gergesenorum*, seu *Gergesæorum*, qui fuerunt populi a quinto filio Chanaan procreati, Genes. 10. v. 16. *Gergesa* vero, ut Hieron. De locis Hebraicis, civitas fuit trans Jordanem, juncta monti Galaad, quam tenuit tribus Manasse. Hæc, inquit, esse nunc dicitur *Gerasa*, urbs insignis Arabiæ, quam suo tempore dicit fuisse vicinum supra mare Tiberiadis. Idem confirmat in Abdiam sub finem

nem. Syrus hic, & Græcus apud Marcum & Lucam legunt *Gadarenorum*, a civitate *Gadara*, quam propterea multi eamdem cum *Garaſa* eſſe putant. Sed falluntur; nam & Hieron. ibid. & Joſephus libr. 2. De bello Jud. cap. 19. aperte diſtinguunt. Utraque tamen erat trans amnem Jordanem, & non procul ab invicem diſſita. Unde ab utravis eadem regio nunc *Geragenorum*, nunc *Gadarenorum* dicitur. *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia*, ſeu Dæmoniaci. Marcus & Lucas non niſi unius meminerunt, nempe quia unus erat vel ſævior cæteris, vel, ut Auguſt. lib. 2. De conſenſu Evangel. cap. 24. perſonæ alicujus famoſioris, de quo facti hujus fama latius præclariuſque vagaverat.

De monumentis exeuntes: in quibus habitabant. Monumenta enim Judæorum erant extra civitatem, ne præſentia eorum polluerentur, ac fere in montibus & deſertis locis, 4. Reg. 23. verſu 16. Idque vel in ſpeluncis, ut ſepulchrum Abrahæ fuit; vel inſtar cubiculorum ſpatioſorum in rupibus exciſa, ut Chriſti Domini. Eo loci Dæmoniacos illos dæmones adegerant, ut ſcilicet dignum eſſet principe mortis habitaculum; ut tanto major eſſet horroris ac ſævitiæ ſpecies; ut denique errorem illum pernicioſum hominibus perſuaderent, animas hominum in dæmones commutari, ut

no-

notat Chryſoſt. Homil. 28. Nam hoc ſenſiſſe Plotinum & Platonicos tradit Auguſt. lib. 9. de Civit. cap. 11. & Origeni adſcribit Hieron. Epiſtol. 59. & Tertullian. idem Auguſt. Hæreſi 86. *ſævi nimis*, id eſt, valde. Sævitiam eorum latius deſcribit Luc. cap. 8. & Marc. cap. 5. Quomodo vero tropologice peccatores in ſepulchris habitent, & ſæviant vide late tractantem Chryſoſt. Hom. 29. in fine.

29. *Et ecce clamaverunt, dicentes: quid nobis et tibi?* id eſt, Quid tibi nobiſcum rei aut negotii eſt? Quid tibi moleſti ſumus, ut rebus noſtris te interponas, aut nobis moleſtus ſis? Sunt enim verba expoſtulantium & conquerentium cum eo, quem non lædebant, ſed venerabantur, quia præcipiebat eis exire, ut Luc. & Marc. Phraſis eſt uſitata Hebræis, & Scripturis frequens, ut infra cap. 27. verſu 19. & 2. Reg. 16. verſ. 10. & alibi. *JEſu fili Dei.* Nam, ut alibi dicit Lucas, cap. 4. verſu 41. dæmones ſciebant eum eſſe Chriſtum, tametſi antea in deſerto jejunantem non cognoviſſent. Sciebant autem eum per quædam temporalia divinæ virtutis effecta, & occultiſſimæ ſigna præſentiæ, quæ angelicis ſenſibus etiam malignorum ſpirituum potius, quam infirmitati hominum poſſunt eſſe conſpicua: quæ quando paululum ſupprimenda judicavit Chriſtus, & aliquan-

quanto altius latuit, dubitavit de illo dæmonum princeps, ut explicat Auguſt. 9. de Civitate, capite 21. Chriſtus enim tantum eis innotuit, inquit: quantum voluit: tantum autem voluit quantum oportuit. *Veniſti huc ante tempus torquere nos?* Tum quia tormentum eſt dæmonibus, eos relinquere, quos affligunt: tum quia metuebant, ne in abyſſum relegarentur, ut Lucas ajt, ubi præter ſupplicium, quod ubique circumferunt, privarentur graſſandi in homines licentia. Ideoque dicunt, *ante tempus*, id eſt, magnum judicii diem, ut Auguſt. 8. de Civit. cap. 23. quo æterna damnatione una cum hominibus puniendi ſunt.

30. *Erat autem non longe ab illis*, nempe partim circa montem, ut Marcus, partim in ipſo monte, ut Luc. *grex multorum porcorum paſcens:* ſive ſpectaret ad Gentiles; erat enim Gadara urbs Græcanici inſtituti, ut teſtatur Joſephus 7. Antiquitat. capite 13. ſive etiam ad Judæos. Porcos autem & ſimilia immunda animalia comedere quidem Judæis vetitum fuit, non autem alere, Gentibus vel exercitui Romano vendere, lardo ad unctiones plauſtrorum, &c. uti, ſicut ſatis colligitur ex Deuteron. 14. verſu 21. & in mulis atque aſinis manifeſtum eſt.

31. *Dæmones autem rogabant eum*, ut conſtaret illos ne tantillum quidem poſſe, niſi

nisi permittente Deo: *si ejicis nos hinc, mitte nos*, non extra regionem, ut Marc. hoc est extra illum districtum, ubi hominibus, sibi longa consuetudine nocere possent, nec etiam in abyssum, ut Luc. sed *in gregem porcorum*: tum ut vel sic odium ac rabiem suam in homines effunderent: tum vero, ut homines porcorum jactura consternati, vel exasperati, ut colligitur ex versu ultimo, prædicationem Christi respuerent.

32. *Et ait illis: ite*, sicut petitis. Est enim permittentis, ut ex Græco constat, quamquam alioquin & jubentis esse posset. Annuit itaque petitioni dæmonum, non ut pœnas homines darent neglectæ legis, quod porcos alerent, ut putat Jansenius in Concordia; nam supra patuit esse falsum: sed ut esset testimonium, vere dæmones egressos esse; ut constaret ipsis liberatis beneficii magnitudo, tum liberationis ex tanta multitudine dæmonum, tum conservationis ex illo furore & strage, qui similem in se exercuissent, nisi Deus vetuisset; ut fama miraculi latius spargeretur in gloriam Christi; ut convincerentur Sadducæi, negantes esse spiritus, quod Hilarius notavit; denique, ut Augustin. Tractat. 9. in Epistol. Joan. ut. ostenderet diabolum eis dominari, qui vitam porcorum gerunt. *Et ecce impetu abiit totus grex per præceps*. Græce

e præcipitio, id eſt, ex abrupto loco ſe præcipitarunt: quem ſenſum Syrus indicat vertendo, *totus grex iſte recte contendit ſurſum in rupem, & coruuerunt in mare*, videlicet ex ſcopulis, mari Geneſareth imminentibus, ſe præcipitantes.

33. *Paſtores autem fugerunt:* ſpectaculo territi, & ut rem dominis & civitati nuntiarent, quo conſtaret ſe eſſe extra damni culpam.

34. *Et ecce tota civitas*, miraculo & damno inexpectato excita, *exiit obviam JEſu*, quem ex paſtoribus intellexiſſe videntur verſus civitatem tendere. Cauſa vero adjungitur, *et viſo eo rogabant eum ut tranſiret*, ſeu diſcederet, *a finibus eorum*. Hujus petitionis rationem petit Hieron. ex humilitate, qua ſe præſentia Domini indignos judicabant; ſicut & Petrus, quando dixit, *Exi a me*, &c. Sed veram cauſam indicat Lucas, *Quia magno timore tenebantur*, ne ſcilicet gravioribus forſan afficerentur damnis, ſive aliorum animalium, ſive etiam ipſius vitæ ſuæ, ad præſentiam tantæ ſanctitatis & poteſtatis. Similem timorem indicabat Sareptana 3. Reg. 18. verſu 18. Timor igitur iſte etſi reverentiam quamdam & ſubmiſſionem erga Chriſtum haberet conjunctam, carnalis tamen fuit, cui amor agnoſcendæ ab eo veritatis prævalere debuiſſet. Myſtice tractat hanc hiſtoriam late Hilar. can. 8. in Mathæum & Ambroſ. libro 6. in Luc. in fine.

CAPUT IX.

1. ET *ascendens in naviculam transfretavit*, scilicet lacum Genesareth, rediens in oppositam ripam, unde venerat. Itaque Gerasenis facile acquiescit, docens reipsa id quod verbis præscribit capite decimo, non esse prædicandum invitis, & nolentibus prædicationem recipere. *Et venit in civitatem suam*: non Bethleem, ut putavit Sedulius, nec Nazareth, ut Hieronym. sed Capharnaum, ubi paralyticum istum sanatum fuisse clare indicat Marc. capite 2. versu 1. & consentit Chrysost. quæ vocatur *sua*, quia in ea frequentius commoratus est.

2. *Et ecce offerebant ei paralyticum.* Causam & modum Matthæus tacet, sed exprimit Marcus. Cum enim non possent eum offerre illi, præ turba, quæ ad januam stabat, per tectum superne apertum eum demiserunt. Itaque *videns JEsus*, ex isto conatu, & facto tam insolitato, *fidem illorum*, offerentium, ut Hieron. & ex narratione omnium Evangelistarum, maxime Lucæ, videtur colligi. Hæc enim tum ad plenam sanitatem corporalem, tum ad pœnitentiam peccatori impetrandam, prodesse potest.

Fidem tamen ipsius paralytici etiam adfuisse colligit Chrysost. ex eo, quod ita sese offerri passus est. Porro fides hic videtur non solum assensum in id, quod de Christo credendum erat, sed simul fiduciam impetrandi, quæ ex fidei firmitate solet nasci, comprehendere. Cui potius, quam charitati offerentium, aut patientiæ paralytici, tribuitur hic & alibi sanitas, non quod excludantur, sed partim quia fides prima est ordine, partim quia ei proprium est impetrare id, quod credit & sperat, partim denique ut ita fides in Christum commendaretur. *Dixit paralytico: confide fili*: id est, bono animo, & magna fiducia esto: id enim quod petis impetrabis. *Remittuntur tibi peccata tua*, hoc ipso dicto, quo ea remitti pronuntio. Unde Græcus dictum factum indicans legit (*aphion*) *remissa sunt tibi peccata tua*, hoc est, causa sublata est, per quam morbus inflictus fuerat. Ex quo satis colligitur, paralyticum istum, cum sanitatem a Christo tamquam pœnitentiæ publico præcone ambiret, concepisse simul anteactæ vitæ pœnitentiam, sive ei propter fidem offerentium, aut propriam data fuerit, sive non.

3. *Et ecce quidam de scribis*, de Legis & Scripturarum peritia sibi placentibus, quæ peccatorum remissionem passim Deo tribuunt, *dixerunt intra se*, in corde scilicet, id est, cogitabant: *hic blasphemat*, nem-

nempe in Deum, contumeliose in Deum loquitur, sibi arrogando, quod Deo proprium est, & ideo eius majestati derogando. Livor & malevolentia in deteriorem partem verba Christi rapiebant. Non enim dixerat, *remitto*, sed *remittuntur*, quod intelligi poterat, a Deo, ut esset non efficientis, sed asserentis.

4. *Et cum vidisset JEsus*: non conjecturis, sed quasi oculis respexisset, *cogitationes eorum*; ita facto ipso suam divinitatem, & se non blasphemare probans, *dixit: ut quid*, &c. . . 5. *Quid est facilius dicere*, &c. Si nuda verba spectes, aeque facile est utrumvis dicere: sin rem, longe difficilius est dimittere peccata, quam corpori etiam propria auctoritate sanitatem, dare, juxta illud August. Tract. 72. in Joan. Justificatio impii majus est opus, quam cœlum & terra. Itaque *quid facilius est dicere?* ita scilicet, ut dicentis auctoritas non periclitetur, neque mendacii argui possit. Nam dicere, *dimittuntur tibi peccata*, obscurae veritatis est, quae credi debeat, ut videri non possit, etiam tum quando vere dimittuntur. Dicere vero, *surge et ambula* mox palpabilem requirit probationem sanitatis consequentis: alioquin temeritatis, ac mendacii confestim ex re ipsa arguetur. Non ergo Christus hic asserit aut probat sanationem corporalem esse difficiliorem re-

remiſſione peccatorum: ſed ex veritate aſſertionis de re viſibili, ubi effectus mox adeſſe debet, probat ſibi etiam eſſe credendum, aſſerenti inviſibilem remiſſionem, quam quivis facile jactare poſſet ſine periculo convincendae falſitatis. Nam, ut Chryſoſt. Hom. 3. alterum horum latet, alterum patet. Quod quamvis minus ſit in ſe, eſt tamen manifeſtius, ut illud majus, ac inviſibile reddatur certius & confirmatius. Hunc ſenſum poſtulat id quod ſequitur.

6. *Ut autem ſciatis*, &c. id eſt, ut id, quod latet, ac temere dictum a me arbitramini, ex eo, quod oculis patet, etiam verum eſſe intelligatis. *Tunc ait paralytico.* Verba ſunt non Chriſti, ſed Evangeliſtae, quibus ſignificat Chriſtum ſubito, relictis quaſi Scribis, ad paralyticum ſe convertiſſe. Unde quamvis deeſſent, ſenſus perfecte conſtarent. *Surge et tolle lectum tuum*: ut quod erat teſtimonium infirmitatis, fiat probatio ſanitatis: *et vade in domum tuam*, ne phantaſticum putetur id quod factum. Unde ad faciendam teſtatiſſimam fidem.

7. *Surrexit et abiit in domum ſuam.*

8. *Videntes autem turbæ timuerunt*, Graece *admiratæ ſunt*, ſed admiratione timori adjuncta. Nam, ut Lucas cap. 5. verſ. 26. *ſtupor apprehendit omnes, & repleti ſunt timore:* quod fieri ſolet, quando ſubito maxima opinio, & reverentia de aliquo con-

concipitur, ſicut ſimili de cauſa 3. Reg. 3. verſ. 28. dicuntur timuiſſe Salomonem. *Et glorificaverunt Deum*, ejus benignitatem laudibus celebrando, *qui* ſeu quia *dedit poteſtatem talem*, remittendi ſcilicet peccata, & viſibilibus iſtis miraculis confirmandi *hominibus*, homini per enalagen numeri. Unde non videtur quicquam ſublimius homine, ſeu occultum illud incarnationis Dei myſterium agnoviſſe.

9. *Et cum tranſiret inde* JEsus, verſus mare ſcilicet, ut indicat Marcus 2. v. 34. *videt hominem ſedentem in telonio*, id eſt, in domo, quo adferuntur vectigalia, occupatum ſcilicet negotiis officii Publicanorum. Nam *Telonis* ad verbum ſignificat emptorem, ſeu redemptorem publicorum vectigalium, & *Telonion* locum, vel etiam menſam, ubi colliguntur. *Matthæum nomine*. Marcus & Lucas vocant *Levi*, binominis enim fuit: ſic tamen, ut poſt Chriſti diſcipulatum uſitatius fuiſſe videatur *Matthæus*, ante *Levi*; illud fortaſſe a Chriſto impoſitum, hoc a parentibus. Unde Hieron. notat cæteros Evangeliſtas, propter verecundiam & honorem Matthaei, noluiſſe eum nomine appellare vulgato: quod Matthaeus ipſe ex humilitate fecit, ſicut cap. 10. ſe Publicanum vocat, ut nomen ſuum, & infame officium indicando, perpetuum relinqueret ſuae gratitudinis divinaeque

nignitatis, & gratiae, ac potestatis monumentum. *Et ajt illi*, cui jam tot miraculis innotuerat: *sequere me*, meo discipulatui indivulse inhaerendo, qui ut Chrysost. miraculorum jam fama perdomitus, & ut Hieron. majestate divinitatis occulte in humana facie relucente tractus, potenti denique gratia persuasus, & proinde non irrationabiliter, sicut Julianus Augustus & Porphyrius calumniabatur. *Et surgens, secutus est eum*, spretis & lucris & periculis, quae ipsi totique familiae imminebant, quo rationes vectigalium non confectas relinqueret, inquit Basil. in Regulis fusius disputatis, respon. 8. Unde promptissimae obedientiae exemplum extollit Chrysost. Et haec quantum ad animum. Antequam tamen omnibus reipsa se abdicaret, Christum domo & splendidis epulis excepit, quasi sic suis valediceret. Nam

10. *Discumbente eo in domo*; ipsius Matthaei, qui, ut Lucas, fecit ei convivium magnum, quod modestiae causa Matth. tacet. Hoc autem sicuti de bonis suis fecit; ita & potuit rationes administrationis suae Domino permittente reddere. *Ecce multi publicani et peccatores discumbebant cum JEsu*, sive invitati a Matthaeo, sive ultro, exemplo sequentis Matthaei, & Christi humanitate tracti, quia Marcus ajt: *Erant enim multi, qui sequebantur*. Peccatores autem quia distinguuntur a

Pub-

Publicanis, videntur homines fuiſſe vitæ aperte improbæ & infamis.

11. *Et videntes phariſæi*, id eſt, cum intell xiſſent poſt convivium (patet enim Phariſæos non interfuiſſe) *dicebant diſcipulis ejus*, tamquam minus inſtructis ad ſubornandam accuſationis malitiam, reddendamque ſui facti, & magiſtri rationem. Accuſandi enim non admonendi cauſa iſta dicebant, non ad inſtruendos, ſed alienandos a Magiſtro diſcipulos. *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magiſter veſter?* & vos cum illo? hoc enim addit Lucas. Magiſtrum tamen præcipue impetebant, tamquam qui perperam ſuos verbis & factis inſtrueret, nec habendum eſſe virum ſanctum, qui peccatorum conſortio gauderet. Quos ipſi Phariſæi videntur vitaſſe, non eo animo, quo vitari debent, nimirum ne communicans ſuperbo induat ſuperbiam, & tangens picem inquinetur ab ea, hoc eſt, ne mores eorum familiaritate addiſcantur, vel etiam ne ipſi peccatores in improbitate roborentur: ſed ex faſtu & errore, ne ficati juxta legem contactu rei immundæ, ita etiam peccatis inquinarentur. Unde Dominus veram converſationis ſuæ cum illis, cauſam aperiens.

12. *Non eſt opus*, inquit, *valentibus medicus*, quatenus ſcilicet recte valent; & ideo vos, tamquam qui ſanos vos eſſe creditis, non frequento: q. d. Me-

dicus ſum peccatorum, non ſocius, non ut foveam peccata, ſed ſanem; atque ita laude, non reprehenſione dignus. Niſi forte quis eo nomine medicum accuſet, inquit Nazianz Orat. 36. quod morbo ſe inclinet, fœtoremque ſuſtineat, ut ægrotis ſanitatem donet. Unde ex ſcriptura factum ſuum probans,

13. *Euntes diſcite*, id eſt ite, ac diſcite, non tam ſcientia quam effectu & opere, quid ſibi velit illa Dei per Propheram ſententia, & tunc ſcilicet accuſate me. *Miſericordiam volo et non ſacrificium*, id eſt, magis volo quam ſacrificium ut legit Aug. libr. 20. contra Fauſt. c. 16. idque ex eo, quod ſequitur, *& ſcientiam Dei pluſ quam holocauſta*. Ex quo etiam patet, per *Sacrificium* intelligi holocauſta, id eſt, externa ſacrificia. Nam, ut Auguſtin. libro 10. de Civit. cap. 5. nihil aliud hic, niſi ſacrificio ſacrificium prælatum oportet intelligi, ſcilicet externo religionis ſacrificio internum miſericordiæ, juxta illud Apoſt. ad Hebræos 13. verſ. 16. *Talibus enim hoſtiis promeretur*, id eſt placatur, aut delectatur *Deus... Non enim veni.* Ratio datur verſus duodecimi, non decimitertii: q. d. Proprium officium meum eſt, eſſe medicum: non ergo miremini, ſi cum ægrotis verſer. Non enim in mundum miſſus ſum, ac *veni vocare juſtos, ſed peccatores*, ubi exponit, ut ante, juſtos,

u-

utique ſanos; peccatores autem appellavit ægrotos, inquit Auguſt. de natura & gratia cap. 19. Græcus hic, atque etiam Latinus apud Lucam addit, *ad pœnitentiam:* quod tamen ſatis indicatur per verbum, *vocare*, ſi proprie ſumatur. Vocatio enim juxta Apoſt. ad Rom. 8. verſ. 30. præcedit juſtificationem. Eſtque illud primum beneficium, quo homo invitatur a tenebris ad lucem, a peccatis ad Deum, id eſt, ab ægritudine ad ſanitatem, propter quod Chriſtus in mundum venit, alias non venturus, & quo jam juſti non indigent.

14. *Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Joannis*, a Phariſæis ſurbornati, ut per os eorum, jam æmulatiuncula aliqua adverſus Chriſti diſcipulos laborantium, reſponſum Chriſti refellerent: nam Marcus & Lucas indicant Phariſæos ſimul acceſſiſſe. *Dicentes: quare nos et phariſæi ieiunamus frequenter?* jejuniis non ipſius Legis, quæ ab omnibus obſervabantur, ſed ſpecialibus, magiſtrorum juſſu, vel inſtituto ſuſceptis. Unde Phariſæus ille: *Jejuno bis in ſabbato*, ideſt, in quacumque hebdomada. *Diſcipuli autem tui non ieiunant.* Plus ſignificare volunt, quam dicunt, quod Lucas expreſſit, cum eos dixiſſe notat, *Diſcipuli tui edunt, & bibunt*, id eſt, indulgent genio, cum Publicanis & peccatoribus manducando. Nam hac de cauſa vocatus fuit ipſe Chri-

ſus *homo vorax*, & *potator vini*, infra cap. 11. verſ. 19. Itaque ſenſus calumniæ eſt: Convivia tua cum peccatoribus excuſas, prætextu miſericordiæ; cur ſaltem diſcipulos tuos non doces perfectionem, quam nos profitemur? Sperabant enim Phariſæi ſic fore, vel ut diſciplinam Joanis omnibus probatam damnare cogeretur, vel ſuam, quibus urbaniſſime reſpondet:

15. *Numquid poſſunt filii ſponſi lugere?* Sponſum ſe opportune vocat, quia ſic ab eorum magiſtro vocatus fuerat, Joan. 3. verſ. 29. Filii autem ſponſi, Græce *filii thalami nuptialis*, dicuntur phraſi Hebraica (ſicut *filii lucis*, *tenebrarum*, *regni*, &c.) qui ad thalamum nuptialem pertinent, id eſt, qui ſponſo velut comites honoris gratia dati familiariſſime adhærent; cujuſmodi triginta dati fuerunt Samſoni, Judic. 14. & vocantur *amici*, ac *pronubi*, verſ. ultimo. Hi ergo non poſſunt *lugere*, id eſt, indecens eſt, ut in ſordibus ac luctu, ſeu in actionibus triſtitiæ verſentur, quamdiu durant tempora nuptialia, quæ lætitiæ plena ſunt: quaſi diceret, hæc indulgentia diſcipulorum meorum tempori congruit.

Venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus, per mortem ſcilicet, vel aſſumptionem in cœlos: *et tunc jejunabunt*, id eſt, lugebunt, ſeu luctuoſis incumbent actionibus, ſicut factum indicant

A-

Acta Apostolorum. Et hinc est, quod commode ante dies ablationis Sponsi nostri Quadragesimam jejunamus, ut notat August. Serm. 74. de diversis cap. 3. Eademque de causa Feria 6. & Sabbato olim jejunare solebant, ut idem Epist. 86. & Clemens Romanus lib. 5. Constitut. Apostolicar. cap. 17. Ut autem non solum ex temporis ratione, sed etiam ex magno artificio, sic cum suis discipulis agendum intelligerent, duas addit similitudines ex veste & utribus.

16. *Nemo autem*, nisi insipienter agere velit, *immittit commissuram panni rudis*, id est, insuit frustum panni adhuc impexi, & impoliti, prout a fullonibus prodit, *in vestimentum vetus*, id est, ad reparanda m detritam vestem, ac laceram. Nam illa talis commissura, seu pannus ille rudis *tollit plenitudinem a vestimento*, scilicet veteri, id est, tollit integritatem, seu id, quod adhuc plenum & integrum erat in veste veteri, *et pejor*, seu major, ac restauratu difficilior *scissura fit*. Cum enim pannus ille rudis sit durus, ac fortis, vestimentum autem vetus tritum, ac pœne putridum, mox laceratur. Addit Lucas aliud incommodum, *Alioquin & novum rumpit*, scilicet vestimentum, quia Lucas præmiserat, hanc commissuram, seu hoc frustum panni novi vulsum fuisse ex vestimento novo. Huic omnino similis est comparatio de vino,

&

& utribus: nam vini novi & bullientis violentia disrumpit utres vetustate infirmos, & pœne putridos, & utraque pereunt. Iste est cortex utriusque parabolæ, qua significat juxta Chrysost. Hom. 30. & Theophil. etiam se imprudenter facturum, si discipulis suis adhuc infirmis, & veteri assuetis homini, grave & rigidum vitæ genus imponeret: periculum enim fore, ne & hujusmodi institutum sine fructu periret, & tyrones novæ vitæ austeritate territi desperatione quadam resilirent a virtutis perfectioris via, quam sectari cœperant, & ita pejores fierent ex eo ipso, quo meliores fieri debuerant.

17. *Sed vinum novum in utres novos mittunt*, qui vim vini ferant, ne ferveſcente musto rumpantur. *Et ambo conservantur*, vinum & utres: q. d. Simili modo cum innovati fuerint discipuli mei Spiritus sancti gratia, vis rigidioris disciplinæ eis committenda erit, eamque cum fructu ferent: nam, ut Augustin. Serm. 186. De tempore, carnalitas vetustas est, gratia novitas, spiritualia non capit carnalis, quanto homo melius fuerit innovatus, tanto amplius capit, quod verum sapit.

18. *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit.* Marcus *Archisynagogum*, Lucas cap. 8. *Principem synagogæ* quod idem est, vocat, nomine Iairum. Erant hu-

jus-

juſmodi præfecti ſynagogæ, ad quos ſpectabat populi convenientis, lectionis Scripturarum, prædicationis, &c. moderatio, ut patet Actor. 13. verſ. 15. & Lucæ 13.14... *Et adorabat eum*, genuflexione, vel corporis proſtratione, ut Marcus & Lucas, *dicens: domine filia mea modo defuncta eſt.* Marcus ajt, *in extremis eſt*; Lucas, *& hæc moriebatur*, id eſt, animam agebat: quo ſignificat uterque nondum fuiſſe modo defunctam, poſtea enim defuncta nuntiabatur. Itaque, vel utrumque dixit Iairus ſub disjunctione, & Matt. ſolum alterum expreſſit, vel, ut Auguſt. 2. de conſen. Evang. cap. 28. alii poſuerunt, quid dixerit Iairus, Matthæus vero brevitatis causa, quid voluerit, atque cogitaverit: illi verba, hic voluntatem, cui debent verba ſervire, eo quod certum ſit, eum ſaltem audito ſuorum nuntio de morte ejus hoc cogitaſſe & voluiſſe.

20. *Et ecce.* Interponitur hic alia hiſtoria, qua confirmaretur fides vacillantis Iairi, & oſtenderetur, nunquam a benefaciendo otioſum fuiſſe Chriſtum, quæ quia accuratius tractatur a Marco, eo explicationem ejus remittimus.

23. *Et cum vidiſſet JEsus tibicines*, quia, ut Ambroſ. lib. 8. in Lucam, mos erat Gentilium ad luctum tibicines adhibere, ad quorum modos hiſtriones canebant funebria carmina, tundebant pectora,

&

& ejulabant, ut Lucanus in Dialogo de luctu. Unde Ovidius 4. Fast.

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Hoc autem a Gentibus ad Judæos videtur fluxisse: vide Jerem. 9. vers. 17. & 18. Unde hic addit, *et turbam tumultuantem*, id est, multitudinem miserabili lamentatione deplorantem puellæ mortem. Nam Marcus dicit *tumultum*, & (hoc est) *flentes, & ejulantes multum*: & Luc. *Flebant autem omnes & plangebant illam.* Turbis igitur illis *licebat*:

24. *Recedite*, cum toto illo luctus & planctus apparatu: *non est enim mortua puella*: scilicet, sicut vos putatis, ut in morte maneat, sicut cæteri mortui, neque sit spes reviviscendi. *Sed dormit*, quia mox expergefactam videbitis, quam lugetis, ut mortuam: somnus igitur est, non mors. Unde quod multi dicunt, *Non est mortua*, quia omnia vivunt Deo, non videtur huic loco convenire: sic enim nullus mortuus diceretur, cum tamen aliquid peculiare videatur Christus de hac puella dicere, quod non de omnibus. Unde nec illo modo dicitur hic puella *dormire*, quo omnes mortui, Dan. 12. vers. 2. vel peculiariter Sancti dicuntur in morte dormientes, propter spem futuræ resurrectionis; sed potius ad illum plane modum, quo Joan. 11. v. 11. dicit Christus: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a somno excitem eum.*

Quod

Quod cum non intellexissent, addit, *mortuus est*, indicans se eum a mortuis velle suscitare. Usus est autem hic isto loquendi modo eadem de causa, qua mox præcepit, ut nemo sciret, videlicet ut hac urbana ambiguitate minus miraculum turbis innotesceret: *et deridebant eum*; quia ignari istius consilii divini, & apud quos de vera morte puellæ nulla erat dubitatio.

25. *Et cum ejecta esset turba.* Ut pompam & inanem gloriam declinaret apud turbam, secreti continendi nescia, patrem tamen, & matrem puellæ, ut Marc. & *vos, qui secum erant*, id est, ut explicat Luc. Petrum, & Jacobum, & Joannem tamquam testes adsumpsit secum. *Et tenuit manum ejus.* Addunt alii, eum dixisse, *Puella surge*, ut ipso quodammodo gestu & voce ageret tamquam cum dormiente, quem manu & voce excitare solemus. Unde eadem facilitate, qua e somno excitata *surrexit*, ut Marcus, *ambulabat*, & *jussit illi dari manducare*, ne phantasma putaretur. Quamvis autem, eodem teste, vehementer illis præciperet, ut nemo id sciret, calcandæ scilicet inanis gloriæ studio, & documento; tamen, quia fugientes sequi solet.

26. *Exiit fama hæc in universam terram illam*, Galilæam scilicet, ubi contigit, omnibus rem tam stupendam & inexpectatam eo magis certatim divulgantibus.

Ad-

Addit hoc, ne quis a se miraculum confictum putet, cujus testis fuit tota regio.

27. *Et transeunte inde JEsu, secuti sunt eum duo cæci*, accepto miraculi istius rumore in spem sanitatis erecti, *dicentes: miserere nostri*: qua voce indicant se de potestate ejus non dubitare, sed tantum gratuitam poscere voluntatem: q. d. Velis tantum quia potes, *fili David*, ille scilicet Davidi promissus & ex Davide expectatus. Nam quamvis eo tempore multi essent ex Davide procreati, hoc tamen peculiariter Messiæ cognomen & periphrasis fuit: atque ita est hæc luculenta fidei & fiduciæ professio. Distulit eos tamen, donec

28. *Venisset domum*, scilicet in Capharnaum, ubi domicilium elegerat: idque tum, ut fides eorum augeretur, vel probaretur, tum ut ostentationem fugeret, doceretque fugiendam. *Et dicit eis*, ut examinaret naturam fidei illorum, & imitandam proponeret tamquam sanitatis eorum causam, qua magis quam eorum miseria permotus fuisset: *creditis quia hoc possum*, non precibus meis impetrare, ut Prophetæ, sed *facere vobis*? id est, mea auctoritate & potestate præstare? hanc enim penes se esse significat. Fides igitur, quam postulat, non est de voluntate faciendi, multo minus de facto jam exhibito; non enim dicit:

Cre-

Creditis me hoc velle facere, vel me facturum, vel me feciſſe? qualem fidem hæretici poſtulant de remiſſione peccatorum: ſed, Creditis, quia hoc poſſum facere? Eſt enim fides de divina virtute ſua, quæ fides non eſt fiducia, ſed verus mentis aſſenſus, qui tamen per fiduciam conjunctam ſolet operari. Unde cum dixiſſent, *utique*, id eſt, indubitanter credimus, reſpondit eis:

29. *Secundum fidem veſtram fiat vobis*: id eſt, Si ſic creditis, habeat hæc fides per fiduciam, quam clamando & ſequendo profeſſi eſtis, effectum ſuum.

30. *Et aperti ſunt oculi eorum*: quantum ad effectum videndi, hoc eſt, viderunt. Periphraſis eſt videndi, Hebræis familiaris, etiam cum oculi non ſolum patent, ſed neque viſu carent; ſic enim primorum parentum, & Agar, Geneſ. 20. verſ. 19. oculi aperti dicuntur, quando adverterunt. Vide infra capite 20. verſ. 33. & Joan. 9. verſu decimo & ſeqq. ſæpius. Sic & aures dicuntur aperiri, vel patere, quando ſurdi audiunt, ut Marci ſeptimo verſ. 35. Utriuſque exemplum Iſaiæ 35. verſ. 5. *Et comminatus eſt illis, dicens: videte ne quis ſciat*: Græce *Enebrimisato* acriter & cum fremitu quodam interminatus eſt. Unde Joan. 11. verſ. 33. exponitur, *infremuit*.

31. *Illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa*, id eſt, factum divul-

garunt, & famam ſparſerunt. Ubi obſervat S. Gregor. 19. Moral. cap. 14. alias 18. hac in re Chriſtum ſervis ſe ſequentibus exemplum præbuiſſe, ut ipſi quidem virtutes ſuas occultare deſiderent, & tamen, ut aliis proficiant, prodantur inviti. Occultentur ergo bono ſtudio, inquit, neceſſitate publicentur: ut eorum occultatio ſit cuſtodia propria: publicatio ſit utilitas aliena. Hujuſmodi igitur præcepta Chriſti non videntur fuiſſe vera præcepta, ad ſerio obligandum impoſita, ſed efficacis tantum deſiderii ſui declaratio, quod ſcilicet nullo inanis gloriæ ſtudio teneretur. Unde alii non peccarunt, virtutem ejus ex gratitudine debita laude proſequendo.

32. *Egreſſis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem*: id eſt, mutum a dæmone poſſeſſum; Non enim illud, *mutum*, referendum eſt ad dæmonium, ſed ad hominem, cujus lingua non naturaliter, ſed dæmonis maleficio ligata ſignificatur ex eo, quod ejecto dæmone loquebatur. Lucas tamen ipſum dæmonium vocat mutum, cap. 11. verſ. 14. ſcilicet effective, quia faciebat mutum: nam varii dæmones tardis nocumentis, & vitiis delectantur. Loco, *mutum*, Græce eſt *Kophos* quod vulgo magis ſurdum, quam mutum ſignificare notat Hieronym. ſed in ſcripturis indifferentur uſurpari. Hic mutus

ab

ab aliis offertur, quia mutus eum verbis orare non poterat, ut Chryſoſtomus, nec ab eo fidem exigit, quia muti ſimul & ſurdi eſſe ſolent. Tractat allegorice quatuor iſta miracula S. Hilarius can. 9. juxta quem Filia Principis ſignificat ſynagogam, Hæmorroiſſa Gentes, ſicut intelligit & Hieronym. Rurſum alia figura duo cæci ſignificant Scribas & Phariſæos, inquit Hilarius, dæmoniacus Gentes. Vide eum latius. Senſu tropologico Hæmorroiſſa eſt anima, multo tempore concupiſcentiis & vitiis diffluens, quam ſanare non poſſunt Medici, lex Moyſis, aut Philoſophi, ſed tactus fimbriæ, ſeu fides Incarnationis. Filia Principis duodennis eſt anima initio converſionis peccans, quæ facile ſanatur, ſi Princeps, id eſt, Paſtor Eccleſiæ, pro ea ſatagat. Duo cæci & mutus totius humani generis ſignificant ſtatum, cum primo oculi per fidem aperiri debent, ut deinde in Dei laudes lingua ſolvatur.

33. *Et miraræ ſunt turbæ*, quia videlicet *numquam apparuit ſic in Iſrael*, id eſt, nemo umquam in Iſrael fuit, qui tanta imperandi auctoritate, tanta celeritate & facilitate, tam varia & immedicabilia morborum genera ſanaret: non enim ad ſolum ejecti dæmonii miraculum, ſed ad præcedentia reſpiciunt. Atque

hæc erat ſimplex & candida turbæ, nullis invidiæ ſtimulis agitatæ confeſſio.

34. *Phariſæi autem*, livore cæci, cum facta negare non poſſent, malitiose calumniando, *dicebant: in principe dæmoniorum*, id eſt ope principis, ac præcipui dæmonum, hoc eſt, non divina virtute, ſed pacto & arte magica cum ſummo dæmone, *ejicit dæmones*, inferiores. Calumniam iſtam acerbiſſimam accurate refellit Chriſtus cap. 12. Nunc autem ea contempta pertranſit benefaciendo, et exercendo legationem Evangelicam ſuſceptam, circuitque *omnes civitates et caſtella*, Græce *Pagos*, id eſt, erga magnos & parvos nemine neglecto. In quo circuitu

36. *Videns turbas*, id eſt, miſeriam turbæ non modo corporalem, ſed maxime ſpiritualem, *miſertus eſt eis*: Græce *Epalgnithi* id eſt, internis viſceribus, ſummo affectu & commiſeratione ſuper malis eorum indoluit, *quia erant vexati*, id eſt, variis afflicti malis, *et jacentes, ſicut oves non habentes paſtorem*: quæ hac illac oberrando temere vagantur, nec paſtorem, nec caulam, nec gregem ſciunt quærere. Significat ergo Judaicum populum per diverſa vitiorum & errorum genera oberraſſe, ideoque diverſis malis a dæmonibus afflictum, nemine curam gerente ſalutis eorum. Itaque

37. *Tunc dicit diſcipulis: meſſis quidem mul-*

multa, ſcilicet populi Judaici: nam in illis a Prophetis ſeminatum fuerat, inquit Auguſt. Serm. 42. de Sanctis cap. 1. Unde Joan. 4. verſ. 35. de eodem populo dicit, *regiones jam albas eſſe ad meſſem*, id eſt, eos maturos eſſe, qui doctrinam ſalutis & Evangelicam accipiendo, incorporarentur Chriſto, & ex ſynagoga in Eccleſiam velut horreum transferrentur, quia finis legis Chriſtus. Et hinc eſt, quod reſpectu Judæorum non dicuntur Apoſtoli ſeminare (ut pote quod reſpectu Gentium eis magis competebat) ſed metere Joan. 4. verſ. 38. . . *Operarii autem pauci*: id eſt meſſores, qui operam ſuam collocent, ut meſſis in aream Eccleſiæ devehatur, id eſt, qui eis Evangelium regni, a Lege adumbratum, prædicent: ſolus enim erat Chriſtus & Joannes, quia necdum Apoſtoli miſſi erant.

38. *Rogate ergo dominum meſſis.* Se ipſum tacite indicat, inquit Chryſoſt. quamquam veriſimilius eſt indicari Patrem, cui ſua Chriſtus tranſcribere ſolet. *Ut mittat.* Ipſius eſt enim mittere; nam qui ſe ingerunt, non legitime ab ipſo miſſi, falcem in alienam meſſem mittunt, & ſacrilegii rei ſunt, ut omnes hæretici. *Operarios in meſſem ſuam*, qui re ipſa ſcilicet, non nomine tenus, tales ſint, fideles & idoneos, quia ipſe tales non ſolum mittit, ſed & facit.

CAPUT X.

QUod igitur Dominum rogandum esse dixerat, mox Christus ultro, non expectatis precibus, ex profusione ingenitæ pietatis ipse facit, mittendo scilicet operarios in messem suam. Nam

1. *Convocatis duodecim discipulis*; qui hactenus nonnisi discipuli fuerant, continui auditores doctrinæ, & spectatores operum, nunc eos mittere incipit ad colligendam messem, ad quod verbo & exemplo formaverat, atque ita hac missione eos Apostolos fecit, &, ut Luc. cap. 6. vers. 13. etiam Apostolos nominavit; q. d. Missos, quid generaliter in universum missi sunt: quamvis ex etymologia etiam aliis competat, sicut cæteris septuaginta duobus discipulis hoc tribuunt nonnumquam veteres. Ut autem hæc missio non esset potestate vacua, vel eorum doctrina novitate contemptibilis, vel prædicationis, tamquam legationis divinæ, potestas arrogata videretur, miracula velut sigilla commissionis & auctoritatis appendit. Nam *dedit illis potestatem spirituum immundorum*, id est, super spiritus immundos, nempe *ut ejicerent eos*. Vocantur *immun-*

di

di, non natura, ſed vitiis, quia omni immunditia delectantur, horrent & inſectantur ſanctimoniam, ex quo a divina puritate ceciderunt. Hæc autem poteſtas ejiciendi ſpiritus, curandi infirmitates non erat inhærens Apoſtolis, ſicut Chriſto, ſed ſtabiliter addicta, & aſſiſtens ex divina voluntate, quo conciliaretur eis, tamquam Legatis, reverentia, auctoritas, fides ex miraculis, quæ deerat ex ingenio, eloquentia, opibus, pompa, comitatu.

2. *Duodecim autem apoſtolorum.* Duodecim non caſu, ſed divino conſilio electi ſunt, ut ſatis indicatur Act. 1. verſ. 17. 21. & ult. Rationes tangunt veteres: primam, ut, quia duodecim tribus typus erant Eccleſiæ, ex omnibus Gentibus colligendæ, duodecim etiam Apoſtoli, quaſi alii duodecim Patriarchæ, & Patres eam generarent, ut indicat Iren. libro 4. capite 38. & Theophyl. hic, imo ipſe Chriſtus infra capite 19. verſ. 28. Alteram ſæpius tangit Auguſt. ut in Pſalm. 59. & alibi, quia duodenarius conſtat ternario, in quaternarium ducto: Apoſtoli autem Trinitatem in quatuor orbis partes erant prædicaturi. *Nomina hæc ſunt.* Nominatim recenſentur, ut conſtaret tum divinæ electionis ratio infirma mundi eligentis, tum firmitas teſtimonii ipſorum, quod de rebus maximis toti orbi reddere debebant.

Primus Simon; non ætate, quia ſenior

erat Andræas, ut Epiphan. Hæreſi 51. numer. 19. nec vocatione, quia idem Andræas imperfecta vocatione, ſcilicet ad credendum, prior vocatus fuit, Ioan. 1. verſ. 40. & 41. perfecta vero ad Apoſtolatum ſimul cum Petro, Matth. 4. verſ. 18. Nec etiam ſola neceſſitate numerandi primus ponitur; ſic enim qui ſequitur, ſecundus dici debuiſſet: neque caſu, quia utique ponitur Petrus in Evangeliis primus, cæterorum vero ordo mutatur. Itaque primus auctoritate, & electionis dignitate, ſicut Judas ſemper collocatur ultimus: q. d. & omnium Apoſtolorum primus, id eſt, præcipuus & quaſi vertex Simon, inquit Chryſoſtom. in caput 1. Act. Et ex hoc loco deſumpta videtur vox *Primatus Petri*, quam uſurpat Auguſtin. Tract. ult. in Joan. & alii veteres. Unde Beza, cæteris impudentior, hac voce perſtrictus, audet ſuſpicari ab aliquo Primatus Papæ fautore vocem *Primus* fuiſſe additam: *Qui dicitur Petrus*, ut diſtinguatur a Simone Chananæo: *Et Andreas frater ejus.* Matth. Apoſtolos recenſendo ſex binarios per copulativam efficit: unde videtur eos ita binos enumerare, ſicut a Chriſto conjugati & bini miſſi fuerant ad prædicandum, Marci 6. verſ. 7. Hinc fratres conjungit, ad ſignificationem concordiæ.

3. *Jacobus Zebedæi*: ſupple filius, ut ab-

ab alio Jacobo diſtinguatur. Dictus eſt etiam *Major*, propter ætatem; occiſus eſt ab Herode Act. 12. *Et Joannes frater ejus. Philippus*, nomen Græcum, ſicut & *Andreas*, a Judæis uſurpatum fuit, eo quod Gentibus per multas annorum centurias fuiſſent mixti: *et Bartolomæus*, quaſi dicas *filius Ptolomæi*, vel potius *Tholmæi*, quod habetur 2. Reg. cap. 3. v. 3. *Thomas*, Syriacum eſt ab Hebraica radice, ſignificante gemellum, nam *Taam*, ſignificat *geminare*: Græce dicitur *Didimus*, Joann. 20. verſu 24. *Et Matthæus publicanus*, quondam ſcilicet: nam humilitatis causa ſuperabundantem Chriſti gratiam prædicat, ubi peccatum abundaverat. Eadem de cauſa ſe Thomæ poſtpoſuit, cum alii præponant. *Jacobus alphæi*, ſcilicet filius. Dictus eſt *Minor*, Marci 15. verſ. 40. quia junior, cujus mater erat, ut ibid. & Joan. 19. verſu 25. Maria Cleophæ, ſoror matris Domini: unde & a Paulo ad Galat. 1. *Frater Domini* vocatur. Vita fuit ſanctiſſimus, Jeroſolymorum Epiſcopus, auctor unius ex Epiſtolis Catholicis. Hujus frater *Thadæus* vocatus eſt etiam proprio nomine *Judas*, ut utrumque conſtat ex initio Epiſtolæ, quam ſcripſit: unde a Luca vocatur *Judas Jacobi*. Dictus eſt etiam a Græcis hic *Lebbeus*, quaſi dicas corculum, ita ut trinominis fuerit. juxta Hieronymum.

4. *Simon Chananæus*: non a terra *Chanaan*, seu *Chananæa*, repugnat enim orthographia, tam Latina, Hebraica, quam Syriaca; sed a *Cana*, oppido vel vico Galilææ, ut Hieronym. unde rectius fortasse *Canæus* diceretur. Hoc autem nomen quia secundum etymologiam Hebraicam denotat zelum, nam *Kanne* significat *Zelari*: hinc a Luca cap. 6. & Act. 1. vocatur *Simon Zelotes*: quamvis Scaliger velit Zelotem esse dictum, quia a secta Zelatarum, de quibus apud Josephum, ad Christum conversus fuit. *Et Judas Iscariotes.* Ita vocatum volunt Hebraice, alii a marsupio, alii a mercede venditi Christi, alii a strangulatione per anticipationem, alii a tribu Issachar; sed horum pleraque meræ chimeræ sunt. Verissima videtur illa & simplicissima opinio, quæ, ut Hieronym. ab urbe deducit, nempe Carioth. in tribu Juda, Josue 15. versu 25. & Jerem. 48. vers. 24. & 41. quasi dicas, *Isch Kerioth*, *virum Carioth*, id est, Cariothensem: nam hac forma exprimunt Hebræi sæpe sua patronymica, ut *viri Bethleem*, *Anathoth*, pro Bethleemitis, Anathothitis, 1. Esdræ vers. 22. sequentibus.

5. *Hos duodecim misit JEsus*, tamquam Legatos altissimæ legationis annuntiandi regni cœlorum, *præcipiens eis: & dicens*, hoc est & mandata, tamquam instructionem legationis, dedit in hæc verba;

In

In viam gentium, id est, ad Gentes ducentem, *ne abieritis*, prædicandi scilicet causa, quia nondum salutis omnibus publicandæ tempus erat; quod tamen post resurrectionem eis præceptum est, infra cap. 18. vers. 19. quia juxta sapientissimam Dei ordinationem oportebat Judæis, tamquam filiis regni, & ad quos Messiæ promissio facta erat, primum loqui verbum Dei, cum vero repellerent illud, & se indignos judicarent æternæ vitæ, justissimo judicio, oportebat converti ad Gentes, ut explicat Paulus Act. 13. vers. 46. *et in civitates Samaritanorum ne intraveritis*: eadem de causa. Nam, & illi vere Gentiles erant, utpote in Judæam ex Chaldæa translati, ut patet 4. Reg. 17. v. 24. & seqq. sed quia propter cultum nonnullum veri Dei, & Messiæ expectationem, Joan. 4. vers. 20. & 25. medii videbantur inter Judæos & Gentes, hinc distincta fit eorum mentio.

6. *Sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israel*, id est, Gentis Israeliticæ, sub qua tot illam nationem comprehendit quae vocantur *oves pascuæ Dei*, Psam. 73. versu 1. quia populus a Deo peculiariter electus: *perditæ* autem, quia universum genus humanum in Adam perditum fuit, & sicut ovis erraverat. Isa. 53. & peculiariter illo tempore Judaei erant vexati & jacentes, sicut oves non habentes pastorem, ut supra cap. 9. Hic ergo di-

districtus figitur isti legationi. Unde eadem ex causa & sensu Christus a Paulo ad Roman. 13. vers. 8. vocatur *minister circumcisionis*: & ipsemet infra cap. 15. vers. 24. se non venisse profitetur, nisi ad oves domus Israel.

7. *Euntes autem prædicate.* Hic explicatur summa legationis, *quia appropinquavit regnum cælorum*, ut scilicet per pœnitentiam ad illud vos praeparetis, ut supplet Marcus cap. 6. vers. 12. Hoc autem comprehendit veteris vitae detestationem, & assumptionem novae. Vide de hoc supra, dicta capite tertio versu 2.

8. *Infirmos curate*, &c. His verbis actum jubendo, simul dat potestatem confirmandi, miraculis tamquam sigillis, legationem seu missionem suam: nec non ipsa quoque mandata legationis, hoc est, praedicationem suam; utraque enim erat valde nova. Simul autem indicat, miracula esse debere non tam curiosa vel terribilia, ut Moysis, quam benefica: ut ita praedicatio eorum fieret non tremenda, vel onerosa, sed beneficiis, tam spiritualibus quam corporalibus gratissima. Itaque *gratis*, id est, nullis meritis vestris aut pretio, sed mera Dei gratia, *accepistis*, potestatem illam, ideoque *gratis date*: non potestatem ipsam, quae ab eis dari non poterat, sed effectus illius potestatis, sanitatem, &c. His ergo verbis jactantiam simul & avari-

ritiam convellit, ſimulque tangit radicem, cur ſpiritualium iſtorum donorum venditio ſit illicita, quia ſcilicet poteſtas illa talis eſt, quae nullo humano labore, ſed ſola Dei gratia haberi poteſt. Ideoque magna ei ſit irreverentia, ſi ad vile pretium, contractuſque humanos deprimatur. Quamquam hiſce verbis etiam acceptio munerum, quae ex gratitudine Apoſtolis offerentur, vetari videatur quia indecora eſt & gratia Dei ſic ad quaeſtum videtur vertiti: unde Gieſi ea de cauſa reprehenſus eſt. Porro ſententia generalis eſt, ideoque tum ad alia ſpiritualia Dei dona, tum peculiariter ad ipſam praedicationem Apoſtolorum referri poteſt, ut refert Baſil. in cap. 8. Iſaiae. Non enim, inquit, ſermo Evangelii venalis eſt, ut verba Pythonum. Unde praecidens omnem venditionis & negotiationis cauſam ac praetextum,

9. *Nolite*, inquit, *poſſidere*. Graecum *Ktysythe* & Syriacum *Teknun* verti poteſt *comparare*, ſcilicet in viaticum; & hoc magis cum Luca & Marco convenit, qui dicunt, *Ne tuleri is in via*; & quia ſequitur, *in zonis veſtris*, id eſt, loculis, ex zona itinerantium & militum pendere ſolitis. *Aurum, neque argentum, neque pecuniam.* Graece *æs*: tres enim pecuniae ſpecies, etiam viliſſimam, ex aere, vetat.

10.

10. *Non peram in via*, Graece *peram in viam*, id est, peram viatoriam, ad recondendum cibum, continens pro contento; & sub *Pera* etiam poculum intelligitur. *Neque duas tunicas*, id est, vestimenta: unum, quo induti sitis, & aliud futurorum timore, ne forte sit opus, ut notat Hieronym. hic & August. lib. De consensu Evang. cap. 30. Nam si necessitas postularet, duobus vestimentis indui potuisse, patet exemplo Christi, qui duobus indutus fuit, Joan. 19. vers. 23. *neque calceamenta*: nempe duplicia, sicut de tunicis dictum est. Ita Caiet. & Maldonat. & olim cecinit Juvencus poëta: vel verius fortassis vetat non calceamentis indui, sed non possideri seu portari calceamenta in viam; curam scilicet prohibens, inquit August. qua ideo portanda cogitantur, ut non desint. Et hoc videtur esse, quod Lucae capite 22. dicitur eos missos *sine sacculo*, & *pera*, & *calceamentis*, id est, sine provisione in futurum, & tamen nihil eis defuisse. Hinc Marci cap. 6. vers. 9. permittuntur non portare, sed *indui sandaliis*, id est, soleis, quae solas plantas tegerent: quibus & Petrus indutus fuisse indicatur, Graece, Actor. 12. vers. 8. Quamquam *epodymata* quae hic *calceamenta* vocantur, revera nihil aliud sonent Graece, quam quasi subligacula, quia subligantur. Multi tamen putant hic vetari cal-

calceos, qui totum pedem tegant, tamquam mollitiei vel curae carnis teſtimonium; permitti vero ſandalia, quae ſolas plantas. Cujus diverſitatis myſticam dat rationem Auguſtin. ut ſcilicet nec occultaretur Evangelium, nec terrenis commodis inniteretur: & per duas tunicas intelligit vetari duplicitatem. *Neque virgam.* Marcus ajt, *niſi virgam tantum:* ſed Matth. per *Virgam*, intelligit arma defenſiva aut offenſiva, juxta illud, *Reges eos in virga ferrea;* nam divinae providentiae ac tutelae praedicatoribus armorum uſus non convenit. Unde Ambroſ. *Virgam* vocat ulciſcendi inſtrumentum doloris, & in verbis humilitatem doceri tradit, libr. 6. in Lucam. Marcus vero permittit baculum itinerarium, quo ſe ſuſtentent, qui Hebraice proprie dicitur *Miſgheneth*, vel *Miſgan*. Auguſtinus putat Marcum intelligere *Virgam* metaphorice, pro poteſtate ſumendi neceſſaria a diſcipulis ſeu auditoribus; Matthæum vero proprie, q. d. Ne minimas quidem res in futurum neceſſarias providete. Nam omnium datur una generalis ratio: *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo*, id eſt alimento, quo ſuſtentetur in opere gratis adminiſtrato. Unde *Cibus* pro omnibus ſuſtentationi vitæ neceſſariis, tamquam pars pro toto ſumitur, quorum proviſionem prohibuerat. Atque ita ſatis clare indicat,

cur

cur eos omnia iſta poſſidere, ac ferre noluerit, non quaſi non eſſent neceſſaria, inquit Auguſt. loc. cit. ſed quia ſic eos mittebat, ut demonſtraret, ab eis iſta ſibi deberi, quibus Evangelium annuntiarent, tamquam ſtipendia militantibus, tamquam fructum vineæ plantantibus, tamquam lac gregis paſtoribus, ut ſcilicet ita eſſent, & expediti ab impedimentis omnibus ad prædicationem, & ſecuri de ſuſtentatione. Lucas pro cibo *Mercedem* ponit, non ut ſignificet ſuſtentationem eſſe adæquatum pretium operis, ſed eſſe operi gratis facto debitam, eoque magis, quo opus eſt nobilius & magis gratuito exhibetur: ſic enim & majoris meriti eſt & magis debetur ſuſtentatio, ut pote ex juſtitia & ex gratitudine, nempe ut operarius in opere, nullius rei temporalis conſideratione maculato, vel pretio compenſabili, poſſit ſuſtinere. Unde Auguſt. lib. de paſtoribus cap. 2. Non ergo eſt, inquit, venale Evangelium, ut pro temporalibus prædicetur: ſi enim ſic vendunt, magnam rem vili vendunt. Accipiunt ergo ſuſtentationem neceſſitatis a populo; mercedem diſpenſationis a Deo. Non enim redditur, quaſi merces illis, qui ſibi in charitate ſerviunt, ſed tamquam ſtipendium, quo, ut poſſint laborare, paſcantur. Hæc ille. Itaque hoc agebat Chriſtus cum diſcipulis,

quod

quod Apostolus apertius dixit 1. ad Corinth. 9. vers. 14. *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Ubi tamen mox adjiciens, *Ego autem nullo horum usus sum*, utique ostendit potestatem datam, non impositam necessitatem. Atque ita facile intelligitur, & præcepta ista non isti unicæ legationi Apostolorum fuisse posita, ut quidam putant, sed perpetua: & tamen sine eorum violatione Paulum potuisse manuum labore vivere, & Apostolos a mulieribus ali, ne gravarent populum, & Christum Dominum loculos circumferre, in quibus id, quod populus dabat, asservaretur. Ex iis, quæ hactenus diximus, satis intelligitur, hæc Christi præcepta non ad istam unicam, & primam missionem Apostolorum pertinere, ut multi recentiores volunt, sed etiam ad illam universalem in totum orbem. Nam veteres pene omnes non aliter intelligunt, quam hic informari virum Apostolicum, & perfecte a divina providentia suspensum.

Quia igitur sic institutis occurrere poterat, an quivis promiscue sustentationis causa esset adeundus, præoccupat Christus.

11. *In quamcumque civitatem aut castellum*, id est, vicum aut pagum, *intraveritis*, prædicandi causa, non inquirendum vobis de hospitio meritorio, aut quis dives

aut opulentus, ſed *quis in ea dignus ſit*, hoſpitio veſtro, qui ſcilicet morum integritate, beneficentiaque ſpem præbeat promptæ hoſpitalitatis. Fama hoc inquiri vult, inquit Hieron. ne prædicatoris dignitas ſuſcipientis infamia detorqueatur, atque ita, ut Ambroſ. libro 6. in Luc. mutandi hoſpitii neceſſitudiniſque violandæ cauſa non ſuppetat. *Et ibi manete, donec exeatis*, ſcilicet illa civitate aut caſtello; quod Lucas clarius dicit, *Nolite tranſire de domo in domum*. Alienum eſt enim, ut idem Ambr. a prædicatore regni cœleſtis, curſitare per domos, & inviolabilis hoſpitii jura mutare: nam levitatis vel appetentiæ menſæ lautioris ſpeciem habet, & hoſpes primus contriſtari aut offendi ſolet.

12. *Intrantes autem*, &c. *ſalutate eam*, ut humanitate hoſpitis animum praeveniatis, *dicentes*: *pax huic domui*. Formula ſalutandi eſt Hebraeis uſitata, inquit Hieron. *Pax tecum*: quae ſubinde ſignificat adventum eſſe pacificum, ſine animo bellandi aut nocendi, ut patet Geneſ. 43. verſ. 23. & Judic. 6. verſ. 23. Plerumque vero per eam omnia laeta proſperaque imprecantur, ſicut Latini dicendo *Ave* & *Salve*. Pax enim eſt omnium deſideriorum finis: Chriſtus autem vulgi verbis intelligi cupit Evangelicam, quam praedicabat, aeternae vitae pacem.

13.

13. *Et siquidem fuerit domus illa digna*, pace Evangelica, quam fueritis apprecati. Lucas ajt, *Si fuerit ibi filius pacis*, id est dignus pace, sicut dicitur *filius mortis*, id est, morte & supplicio dignus. Dignum autem intelligit August. lib. de correct. & gratia cap. 13. per prædestinationem divinam. Quo pacto enim Evangelica pace jam dignus fuerit ante annuntiatam pacem? Si igitur digna domus fuerit, id est, talis, quam Deus ad pacem secum præordinaverit: *veniet pax vestra super eam*, id est, proderit domui, quia Deus effectum dabit verbis vestris. *Si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos*, id est, inquit August. vobis proderit hæc prædicatio, non autem illi. Quo sensu hæc dicta erunt; vel ad consolationem annuntiantium pacem, dum viderint apud multos optato effectu carere verba sua: vel, ut, S. Remigius in Catena, ad explorationem dignæ domus seu hospitis: q. d. Salutate, offerendo pacem. Si domus fuerit digna pace Evangelii, quam annuntiatis, & consequenter hospitio vestro, acceptabunt eam, Deo effectum benedictionis præstante: sin minus, vos ex illa repulsa nullum patiemini detrimentum.

14. *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros.* Unum est explicatio alterius; unde Lucas solum dicit,

cit, *Quicumque non ſuſceperint vos*, non admittendo ſcilicet prædicationem Evangelicæ pacis, pœnitentiæ, & regni cœlorum. *Excutite pulverem de pedibus veſtris.* Quod Auguſt. quæſt. 7. ſuper Matth. juberi putat, vel ad conteſtationem terreni laboris, quem pro illis inaniter ſuſcepiſſent; vel ut oſtenderent, uſque adeo ſe ab ipſis nihil terreni lucri quærere, ut etiam pulverem de terra eorum ſibi non paterentur adhærere: quas duas rationes & Chryſoſt. tangit. Proxime tamen videtur hoc fieri in ſignum anathematis, ac maledictionis eorum, utpote cum quibus, velut maledictis, nec pulverem quidem velint habere communem. Hoc eſt enim quod Luc. cap. 10. ajt *Etiam pulverum*, ſcilicet rem viliſſimam & minimam: qui quia addit, *extergimus in vos*, id eſt, contra vos, & quia Paulus & Barnabas ad litteram hoc obſervantes, Act. 13. verſ. 51. dicuntur excuſſiſſe pulverem pedum in eos, id eſt, contra eos: manifeſtum eſt, hanc ceremoniam adhiberi, quemadmodum Marc. ajt, *in teſtimonium*, & ut Lucas cap. 9. *in teſtimonium ſupra illos*, nempe rebellionis & condemnationis eorum, atque ita ad terrorem rebellium: talis enim actio ſignificantior & efficacior eſt, quam verba. Unde ne putetur eſſe inane terriculamentum, adjicit:

15. *Tolerabilius erit terræ Sodomorum*, &c.

&c. *quam illi civitati.* Quia illis pœnitentia ac promiſſio regni cœlorum, & ſalutis aeternae non fuit praedicata, nec dum miraculis ac virtutibus confirmata: haec tantam liberalitatem Dei non fide tantum, ſed nec audientia dignatur, quae impietas ſine dubio eſt graviſſima: unde eadem illa ratio tangitur cap. 11. verſ. 23. & 24.

16. *Et ecce ego mitto vos.* Putant quidam haec non eſſe dicta Apoſtolis in hac prima miſſione, eo quod ſine periculis & perſecutione fuerit: ſed refelluntur ex Luca cap. 10. verſ. 3. ubi certum eſt de prima miſſione agi. Itaque etſi non fuerint in illa paſſi perſecutionem, praemoneri tamen, & praemuniri eos decuit ſimul, & ſemel adverſus ea, quæ & tunc contingere poterant, & poſtmodum ad Gentes miſſis contigerunt. Itaque *Ecce ego*, qui novi, quid faciam, qui luporum rabiem arcere, ſiſtere, moderari, & in utilitatem patientium convertere ſcio, *mitto vos ſicut oves*: quibus nihil imbecillius, ſimplicius, innocentius, magis inerme, & ab omni praeſidio defenſionis imparatum. Explicare enim videtur verſum decimum, quomodo mittantur ſine virga. *In Medio luporum*: quibus nihil eſt rapacius, & ovibus magis infeſtum. Significat enim haec phraſi tum luporum ſeu perſequentium undique circumdantium multitudinem; tum

perſecutionum futurarum crudelitatem, tum defenſionis impotentiam & imparitatem.

Eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Græce *akeraii*, quod hoc loco videtur a *keras* deduci, quaſi diceres *ſine cornibus*, hoc eſt placidi: eſt enim epithetum animalium, quæ natura non armavit cornibus ad injuriam depellendam. Cum quo reipſa convenit, ſi transferas cum aliis *finceri*, vel *innocentes*. Nam antiqui unanimiter volunt hic ſignificari innocentiam ad non iuferendum malum. Senſus eſt ergo: Cum velut oves mittamini inter lupos, ovis vero valde ſtolida ſit, arma veſtra erunt prudentia ſerpentis, ut inſidias & mala caveatis; columbæ ſimplicitas, ut nemini noceatis: ita ſcilicet, inquit Nazianzenus Orat. 19. ut, nec prudentia in verſutam improbitatem, nec ſimplicitas in ſtoliditatem degeneret, ſed ex ambabus una abſoluta virtus fiat. Nam, ut Tertull. cap. 2. lib. contra Valentinianos, nocentiſſimi, qui non ſunt ſimplices; ſicut ſtultiſſimi, qui non ſapientes ſeu prudentes. Simili fere modo Hilar. lib. de Synodis ſignificari dicit ſerpentinam prudentiam, columbæ ſimplicitate temperandam; & columbæ ſimplicitatem prudentia ſerpentis inſtruendam, ut fiat ſimplex ſapientia, & ſapiens ſimplicitas. Serpens enim cum ſe hominibus exo-

ſum,

sum, quasi natura sentiat, nunquam fidit, sed magna semper sollicitudine & insidias eorum cavet, & actus declinat. Addunt veteres fere omnes, Aug. Quæst. 8. super Math. & lib. 2. de doctrina Christiana cap. 16. Hieron. Chrysost. Theophil. hic, Ambr. lib. 3. de fide, cap. 6. quod serpens totum corpus capiti, ubi vita est, custodiendo objiciat, & per angustias se coarctando vetustatem exuat: ita inquiunt in persecutione luporum caput, id est, Christum seu fidem Christi esse custodiendam, & per angustam portam ad vitam esse intrandum. Sed quia ad eamdem serpentis prudentiam pertinet, venenum in persequentes jaculari, hæc malitia per columbæ simplicitatem temperanda est: quam in eo sitam esse fere conveniunt, quod nemini omnino, sive homini, sive bestiis noceat: usque adeo, inquit August. ut nullum omnino animalium necet, non solum grandium, contra quæ vires non habet, sed nec minutissimorum quibus etiam perparvi passeres aluntur. Imo nec nocentibus nocent, nec direptoribus nidi se opponunt, læsæ redeunt, de ipsis lædentibus bene merentur, felle carent. Addit pulchre idem August. Serm. 19. de diversis, quod societate gaudent, ubique simul volant, simul pascuntur, charitatem servant, gemitibus amoris murmurant, osculis filios generant,

amant etiam quando de nidis rixantur. Quæ facile eſt applicare. Hic ergo genuinus videtur loci ſenſus. Nam cum ſimplicitas columbina quid ſibi vellet, ſatis omnibus eſſet manifeſtum, obſcurior vero ſerpentina prudentia, ſtatim illam explicans Chriſtus, adjicit:

17. *Cavete autem ab hominibus*: q. d. In eo vos prudentiam illam adhibere volo, ut caveatis ab illis, quos jam lupos nominavi, hoc eſt, ut caute proſpiciatis, quibus vos credatis, ut eorum inſidias declinetis, quia homo homini lupus erit. *Tradent enim* vos, examinandos, judicandos, puniendos, *in conciliis*, Græce *is ſunedriæs* unde Sanedrin ſupremum Judæorum Concilium dictum eſt: *et in ſynagogis ſuis flagellabunt vos.* Synagogæ etiam proprie erant Judæorum, quæ intelliguntur hic eſſe publicæ totius populi Judaici conciones.

18. *Et ad præſides ducemini*, qui proprie erant Romanorum, unde Cyrinus, Pilatus, Feſtus, &c. erant Præſides Cyriæ vel Judææ. *In teſtimonium*: hoc eſt, ut ita hac occaſione martyres ſeu teſtes ſitis, *illis et gentibus*, id eſt, Judæis & Gentilibus: teſtes, inquam, tum Evangelicæ veritatis verbo & facto (intelligent enim non eſſe rem inanem, pro qua tam conſtanter mori parati ſitis;) tum juſtæ condemnationis eorum in die judicii.

Et

Et quia homines rudes atque idiotæ merito rogare poterant, quid regibus & Conciliis eſſent reſponſuri, cogitationem illam prævenit.

19. *Cum autem tradent vos*, quia ignari quid a Judicibus quærendum ſit, *nolite cogitare*: Graece *my merimnyſyte*, ne anxia ſollicitudine diſtracti cogitetis: de quo verbo diximus cap. 6. verſ. 25. unde Luc. 12. verſ. 11. *Nolite ſolliciti eſſe.* Eodem Graeco verbo ac ſenſu dicit Marc. cap. 13. verſ. 11. *Nolite præcogitare*, ſcilicet illa anxia ac diffidenti ſollicitudine. Non enim vult eſſe negligentes defenſionis, ſed ſecuros ac fidentes Deo. *Quomodo aut quid loquamini*, id eſt, quid in defenſionem allaturi ſitis, & quomodo hoc dicturi: quorum illud ad ſapientiam, hoc ad oris elocutionem pertinet, & de utroque qui cauſam dicunt, anxii eſſe ſolent. Unde quod hic ſimpliciter dicitur: *dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini*, Lucae 21. verſ. 15. diſtincte utrumque promittitur, his verbis, *Ego dabo vobis os*, id eſt, facundiam oris, & *ſapientiam*, id eſt, rationibus vos inſtruam.

20. *Non enim vos eſtis, qui loquimini*, id eſt, non vos eritis, qui loquemini: praeſentia pro futuris, *ſed ſpiritus patris veſtri*, & conſequenter meus, *qui loquitur*, ſeu loquetur, *in vobis*: non quaſi ipſi non eſſent locuturi, ſed quia Spi-

ritus ſanctus & conſtantiam dicendi inferet, & rationes ſuggeret, & verba dictando ipſam linguam diriget, ut ipſi loquantur. Quo ſenſu dicitur ad Rom. 9. *Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Non quaſi homo non velit, & currat, ſed quia Deus miſerendo, & hominis voluntatem praeparando, facit, ut homo velit & currat, ut Aug. in Enchiridio cap. 33. q. d. Ergo, cauſa non eſt veſtra, unde nec vos anxii ſitis: mea eſt, meum erit ejus patrocinium.

Et hactenus quidem contra perſecutiones externorum eos praemuniit; nunc contra domeſticas, quae niſi praedictae fuiſſent, ſimplices animos maxime perturbare potuiſſent.

21. *Tradet frater fratrem in mortem*, &c. nempe infidelis fidelem: quia in iis, quorum diverſa eſt fides, nullus affectus etiam naturalis fidus erit. q. d. Ea quae aliis praeſidio & ſolatio eſſe ſolent, affectus naturae, & vinculum ſanguinis, in majoris miſeriae acceſſionem ceſſura ſunt vobis, ac diſcipulis meis. Nam, ut notat Tertull. cap. 9. Scorpiaci, mixtim de perſecutionibus Apoſtolorum ac caeterorum loquitur. Itaque

22. *Eritis odio omnibus hominibus*, i.e., omni hominum generi, Judaeis & Gentibus, viris & fœminis, Principibus, populo, con-

consanguineis, extraneis, non propter culpam aliquam, sed tantummodo *propter nomen meum*: hoc est, propter nomen Christi quod creditis: quod prædicatis, & profitemini, seu quia Christiani estis, ut explicatur 1. Petri 1. vers. 14. & 16. *Nomen* enim hic fidei, cultus, ac professionis est symbolum. Tacite autem eos hoc verbo consolatur, quia, ut ibidem indicatur, honoris & gloriae, & virtutis Dei est, pro illo nomine pati. Unde plenius consolando adjicit, *qui autem perseveraverit usque in finem*: non in bonis operibus, de hac enim perseverantia proprie non agitur hoc loco, sed in ista tolerantia persecutionum: Graece enim est *ho hipomeinas* id est, ut vertitur Marci 13. vers. 13. *qui sustinuerit*, scilicet adversitates illas constanter, nec unquam usque ad finem mortalis hujus vitae cesserit. Unde Tertull. eo modo legens loco cit. Scorpiaci, Quid sustinendo, inquit, nisi persecutionem, traditionem, occisionem? Nec enim aliud est *sustinere in finem*, nisi pati finem. *Salvus erit*, aeternae vitae salute. Non enim coepisse, sed perfeciisse, virtutis est, quia sola in bene coeptis perseverantia coronatur.

23. *Cum autem persequentur vos.* Haec est altera pars prudentiae serpentis scilicet insidiis persequentium se subtrahere per fugam. *Cum* ergo *persequentur*

vos

vos in civitate ista, non sinendo ibi Evangelium praedicari: *fugite in aliam*: tum ut ipsis persecutoribus consulatis; tum ut periculum declinetis, quod non est ultro accersendum; tum vero ut in alia spargatis Evangelium. Quando ergo non est alia manendi ratio, sive charitatis sive justitiae, tum fuga licita, imo praecepta est: unde hoc *praeceptum* vocat Nazianz. Orat. 1. contra Julianum, quae est numero tertia, & Athanas. pro fuga sua. Noluit enim Christus, ut Apostoli statim primo se praelio morti objicerent, sed longe lateque conarentur fidem spargere. Nam cum Evangelium, ipsum, seu fructus ejus, propter quem aliquando non est fugiendum, postulat, ut fugiamus, tunc fugere non timiditas, ut Athanasio exprobrabant Ariani, sed pietas est: non fugere vero non fortitudo, sed pertinacia. Multo vero saepius licita est fuga, etsi non praecepta: unde August. Epistol. 180. dicit subinde quod istis verbis Christus fugam suis sive praecepit sive permisit. Atque ita ex hoc loco collegerunt Sancti citati & sentit Ecclesia licitam esse fugam in persecutione, non solum Apostolis in prima illa missione, sed etiam in alia & aliis. Nam illa verba, *fugite in aliam*, Apostolis quidem occasione primae missionis dicta sunt, sententia tamen eorum generalis est, ideoque a citatis generaliter intel-

le-

lecta, contra Chryſoſtom. Theophyl. Hieron. ac Tertull. qui eam ad primam Apoſtolorum miſſionem reſtrinxerunt. Patet enim etiam in Actibus Apoſtolorum eos perſecutiones fugiſſe. Unde Tertulliani ſententia, opinantis illicitam eſſe fugam, reprobata eſt. Quomodo autem non repugnent iſti permiſſioni alia Chriſti verba, improbantis mercenarium, qui vidit lupum venientem, & fugit, & de aliis iſtius quæſtionis anfractibus, vide præclare diſputantem Auguſt. Epiſtol. hac de re ſcripta ad Honoratum, quæ eſt 180. Nam pro diverſitate temporum, perſonarum, obligationum fuga nunc illicita, nunc licita, nunc præcepta eſt. Sed quia Apoſtoli cogitare poterant, quo tandem ituri eſſent, ſi ubique perſecutiones fugerent, addit: *non conſummabitis*, id eſt, non abſolveritis pererrando omnes *civitates Israel*, *donec veniat*, poſt reſurrectionem ſuam, immortalis *filius hominis*, qui vos alia legatione ad Gentes miſſurus eſt. Ita Beda, & inclinat Chryſoſtom. ſed quia adventus Chriſti fere poni ſolet pro illo notiſſimo adventu ad judicium, aptior videtur ſententia Hilarii Can. 10. qui per illud, *fugite in aliam* concedi fugam intelligit in civitates Gentium, & ne mirarentur ſuos Judæos a ſe poſſe deſeri, præmonet plenam Judæorum converſionem ſuo adventui ad judicium deberi. *Non*

con-

consummabitis igitur *civitates Israel*, id est, non perducetis ad fidem & Evangelii perfectionem Israelitas, *Donec veniat filius hominis*, scilicet ad judicium, quo tacite futuram Judæorum incredulitatem insinuat.

24. *Non est discipulus super magistrum*, &c. Proverbiales sententiæ erant inter Judæos, non solum tunc, sed etiam postea usitatæ: unde reperiuntur etiamnum in Thalmud, Tract. de Benedictionibus cap. 9. in Commentariis Aben-Esræ super Oseam. Significatur illis hoc loco, non quales discipuli & servi esse soleant; sæpe enim magistros ac dominos suos superant, sed quali conditione contenti esse debeant: q. d. Nolite vos melioris conditionis putare, quam ego fui, qui calumnias, persecutionem, mortem Evangelii causa patior.

25. *Si patremfamilias* me scilicet familiæ hujus vestræ, totiusque Ecclesiæ, veluti domus meæ caput, patrem ac dominum *Beelzebub vocaverunt*: a *Baal*, id est, *Dominus* (quo nomine Gentes Orientales fere Deos suos appellabant) & *Zebub*, *Musca*, quasi diceres *Dominum Muscarum*. Erat famosum idolum Accaronitarum, 4. Reg. 1. ita dictum, quod vel propter aspersum victimarum sanguinem esset muscis plenum, vel potius quod adversus muscarum infestationem invocaretur. Nam simili ratione Plinius

lib.

lib. 10. Natur. hiſt. cap. 28. Cyrenaici Achorem Deum invocant, muſcarum multitudine peſtilentiam adferente, quæ protinus intereunt, poſtquam litatum eſt illi Deo. Ubi in *Achore* veſtigia apparent *Accaronis*. Et Clemens Alexander in Protreptico teſtatur, Eleos Jovi *Apomyio* Romanos autem Herculi Apomyio, id eſt, muſcarum depulſori, ſacrificaſſe; quem Pauſanias in Arcadicis Myagrum vocat. Quæ omnia plane idem ſunt, quod Beelzebub. In deteſtationem hujus ſpurciſſimi idoli, inquit Hieron. Principem dæmonum eodem nomine videntur appellaſſe, & ignominiæ causa ipſum Chriſtum, tamquam qui pietatis eſſet hoſtis, inſtar Beelzebub vel qui Beelzebub opera ad pellendos dæmones uteretur.

Quanto magis domeſticos ejus? vos ſcilicet, vobiſque ſimiles quos humanitatis causa *domeſticos* potius, quam *ſervos* vocari notat Chryſoſt. ſicut & Joan. cap. 15. v. 5.

26. *Ne ergo*, &c. quia communis erit vobis & mihi, diſcipulis & magiſtro, ſervis & domino conditio, *timueritis eos*, ut propter convitia & perſecutiones ab Evangelii mei prædicatione deſiſtatis. *Nihil enim eſt opertum, quod non revelabitur*, &c. Et iſtæ adagiales locutiones ſunt, uſu vulgi tritæ: unde & Chriſtus iis in diverſis locis, & propoſitis uſus eſt, ut patet Lucæ 12. v. 2. Præſenti autem loco

ſic aptandæ ſunt, ut contineant rationem, cur timere non debeant hominum convitia, probra, & blaſphemias: q. d. Brevi apparabit, poſt propagatum Evangelium, etiam in hoc mundo, ut Chryſoſt. vel certe in die judicii, ut Hilar. & Hieron. innocentia & virtus veſtra, & perſecutorum impietas, & omnium rerum veritas, quæ vulgo temporis filia dicitur, *Nihil enim opertum, &c.* Quæ cum ita ſint, *ne timueritis*, ſed potius libere conſtanterque

27. *Quod dico vobis in tenebris*, id eſt, privatim & inter domeſticos parietes, *dicite in lumine*, id eſt, palam in lucem proferte: *et quod in aure auditis*, id eſt, quod ſecretis colloquiis, quaſi in aurem vobis inſuſurratum fuit, *prædicate ſuper tecta*: id eſt, publice clara voce omnibus prætereuntibus divulgate. Loquitur enim juxta morem Palæſtinæ, ubi in tectis planis ambulare, & colloqui etiam cum tranſeuntibus poterant.

Cum ergo adversus infamias eos ſic muniviſſet, nunc etiam adverſus mortem malorum omnium terribiliſſimum.

28. *Et nolite timere*, timore ſcilicet illo præpoſtero, quo a libertate credendi, vel confitendi, vel prædicandi fidem meam decidatis, *eos, qui occidunt corpus*, partem viliorem, miſeriarum ſeminarium brevi ſponte moriturum, & glorioſius ipſis invitis reparandum:

a-

animam autem, partem digniorem, *non possunt occidere*: quia nec naturalem ejus vitam auferre possunt, cum immortalis sit, neque supernaturalem, quia est ipse Deus. *Sed potius*, nempe si aliquis timendus est (mavult enim ali quin suos Christus agi amore quam timore:) *timete eum, qui potest animam et corpus*, id est, totum hominem, irrecuperabiliter scil. & viventem, *perdere*. Plus est enim ita perdere quam occidere: carnales quippe homines mallent more brutorum corpore & anima occidi, quam viventes perdi. *In gehennam*, Græce *in gehenna*, id est, a Deo vera vita animæ separatum, æternis corporis & animæ suppliciis addici. Itaque, ut Chrysost. notat, non promittit eis liberationem a morte, sed velut adamantinos reddit, atque ipsa morte superiores. Ne vero putarent per tantam persequendi, imo & occidendi licentiam impiorum, se a Dei providentia esse derelictos, mox adjicit:

29. *Nonne duo passeres*, Græce *duo passerculi*, *asse veneunt*? unus enim præ vilitate vix invenit pretium, Græce est diminutivum *Aparion* quod Euthymius vult esse minimi oboli genus: alii dimidium assis quem testatur Plinius lib. 33. c. 3. percusum lege Papiria. Porro *Assis* erat ærei nummi genus, quorum decem valebant denarium, scilicet argenteum.

Sed aliquando asses ita minuti fuerunt cusi, juxta Budæum lib. 5. de Asse, ut non nisi sextantem aut unciam appenderent, qui alioqui libram æris continebant. *Et unus ex illis*, id est ne unus quidem eorum, *non cadit super terram*, id est, humi cadit: Hebraica periphrasis, pro, perit, scilicet ut aves occisæ in terram cadendo solent. *Sine patre vestro*, id est, sine ejus scientia, voluntate ac decreto. Significat enim, inquit Augustinus 5. de Genesi ad lit. c. 21. vilissimas corruptibilis mundi, abjectissimasque particulas divina providentia regi. In voce autem, *Patre vestro*, vis argumenti a minore, quod Christus v. 31. applicat, tacite augetur, quia passerum non est pater.

30. *Vestri autem*, non solum vita, ut passerum, sed *capilli*, Græce efficacius (*Kai ai trichei*) &, seu *etiam capilli*, qui abjici & contemni solent, *numerati sunt*, id est, velut numeratos & custodiæ suæ concreditos habet, ne vel unus eorum pereat. Quo singulariissimam & plane mirabilem Dei de hominibus, maximeque illis, quorum non tantum creator, ut passerum, sed & pater est, curam inculcat, ne vel timeant irruentes persecutiones, vel aliquid sibi sine Dei nutu accidere posse suspicentur, cum *multis*, seu infinitis, *passeribus meliores*, id est, pretiosiores sint apud Deum Patrem suum.

32. *Omnis ergo, qui confitebitur me*, id eſt, qui abjecto pudore & timore, atque amore temporalium, mihi doctrinæque meæ libere, ingenue, conſtanter, teſtimonium perhibuerit, *coram hominibus*, hoſtibus ſcilicet fidei veritatem extorquentibus. Nam ultro fidem publicare, non tam eſt confiteri Chriſtum, quam profiteri, quod non perinde neceſſarium eſt, vel laudabile.

Confitemur autem Chriſtum, non ſolum quando verbis profitemur, Chriſtum eſſe Deum, ſed etiam cum quamlibet doctrinæ Chriſti partem confitemur: imo cum facto quoque a præceptorum ejus obedientia vi perſecutionum avelli non poſſumus. Non minus enim Chriſti Martyres ſive teſtes ſunt, qui propter virtutis Chriſtianæ profeſſionem, ore vel opere factam, moriuntur, ut Joannes Baptiſta & ſimiles, quam qui confitendo, quod ſit Meſſias aut Deus. Hinc factum, ut apud Cyprian. & alios antiquos, qui profeſſionem fidei ſuæ coram perſecutoribus ediderant, vocarentur *Confeſſores*, & ipſæ profeſſiones fidei *Confeſſiones*, ſi non ſequeretur mors.

Confitebor et ego eum, id eſt, viciſſim agnoſcam eum publice pro meo, *coram Patre meo*; ſupple, in die judicii: ideo enim addit Marcus cap. 8. verſ. 38. *Cum venerit filius hominis in gloria Patris ſui.*

33. *Qui autem negaverit* me: negando

ſcilicet ore vel me Chriſtum, vel ſe Chriſtianum, vel quamcumque doctrinæ meæ partem: vel facto a virtute qualibet, aut ab obedientia mea vi perſecutionis recedendo, etſi corde credat. Unde Marcus non ſolum dicit, *qui me*, ſed addit, *qui verba mea confuſus fueris*, id eſt, erubuerit. Quo verbo utitur ibi Chriſtus, quia, ut Tertull. c. 9. Scorpiaci, ſciebat a confuſione vel maxime formari negationem, mentis ſtatum in fronte conſiſtere; priorem eſſe pudoris, quam corporis plagam.

Porro ne mirarentur Apoſtoli, qui fieri poſſet, ut princeps pacis Chriſtus & Evangelium pacis tot perſecutiones adversus ſe concitare poſſet, cum Prophetæ paſſim tranquillitatem & abundantiam pacis futuram prædicent, præoccupat objectionem Apoſtolorum:

34. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram.* Quo indicat ſe loqui de terrena in rebus infimis pace, quam ſcilicet ſolam mundus novit. & æſtimat pacem, ut quoquomodo in rebus & commerciis temporalibus etiam cum vitiis concordes agant: nam ſæculi pax & lætitia non eſt aliud, quam nequitia impunita, ut alicubi Auguſt. . . *Non veni pacem* hujuſmodi *mittere, ſed gladium*, id eſt, bellum, diſſenſiones, ac ſeparationes, quorum gladius eſt inſtrumentum & ſignum. Ad hoc autem ſe veniſſe dicit,

cit, quia eorum occasio, non causa fuit. Nam illa ex prædicatione cœlestis doctrinæ, cui multi nollent acquiescere, ita vidit consecutura, ac si idcirco veniisset, quia etsi prævideret, tamen venit. Sic enim Christus dicitur Lucæ 2. versu 34. *Positus in ruinam multorum.* Similis locus est Joan. 9. v. 39. Quamvis etiam proprie ad hanc dissensionem faciendam veniisse dici possit, quatenus fidelis ab infideli dissentit ac separatur. Unde de tali separatione intelligi potest, quod sequitur:

35. *Veni enim separare hominem*, filium scilicet *adversus patrem suum*, &c. Exprimit autem tria paria domesticæ conjunctionis, sub quibus omnes conjunctissimi naturæ & societatis gradus intelliguntur: ut sciant omnes concordiæ nexus & affectus quantumvis potentes fide & religione sua diruptum iri, tam ab iis, qui non credent, pertinaciter repugnando fidei, quam ab iis, qui credent constanter sibi per quorumlibet contemptum adhærendo.

36. *Et inimici hominis* erunt *domestici ejus*, quia alter alteri propter fidem contrarius erit, infidelis fideli, & consequenter fidelis infideli; inimicum enim esse relativum est. Verba sunt Michææ Prophetæ capite 7. de temporum ejus calamitatibus dicta, quæ Christus accommodat proposito suo. Quia vero durissimum

mum videbatur id, quod dixerat, se veniſſe, ut etiam conjunctiſſimi a ſe invicem deſſiderent, rationem ſubjicit. Nam

37. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me*, id eſt, qui eos mihi prætulerit, ita ut propter ipſos me, doctrinam meam, aut præcepta mea verbis aut factis negare malit, *non eſt me dignus*, id eſt non eſt dignus nomine, diſcipulatu, promiſſis meis: Lucas enim ajt, *Non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Non ergo amorem parentum vetat, ſed ordinat, ut ſcilicet in neceſſitatis & comparationis articulo, quo vel parentes, vel Chriſtus deſerendus eſt, inferior potiori cedat: tunc enim, inquit Hieronym. odium in parentes, pietas eſt in Deum, de qua re latius Auguſt. Epiſtol. 89. verſus finem. *Et qui amat filium aut filiam*, &c. Creſcit gradatim oratio: longe enim potentior eſt parentum in liberos, quam in parentes liberorum affectus, quos tamen omnes affectus amori ſuo jubet cedere. Imo vero nec ille eſt *me dignus*.

38. *Qui non accipit*, id eſt, qui non parato animo ſuſcipit & amplectitur *crucem ſuam*, id eſt, quamcunque afflictionem & cruciatum, etiam ipſum ſupplicium crucis, omnium diriſſimum & ignominioſiſſimum, ſibi divinitus deſtinatum. Videtur enim alludere ad crucem, quam ipſe humeris portaturus erat: q. d. Qui non eſt paratus mecum etiam crucifigi: hoc enim ſibi videtur velle id, quod

adjicit, *et ſequitur*, id eſt imitatur, *me*, tam in cruce ferenda, quam ferendi modo; ut ſcilicet patienti, æquo, imo libenti animo, & juſtitiæ cauſa propter Deum ferat. Multi enim ut fures & latrones crucifiguntur, & crucem ferunt ſine fructu.

39. *Qui invenit animam ſuam*, ſcilicet in hoc mundo, ut alibi additur, id eſt, qui invenerit ſe ipſum, negatione ſcilicet nominis mei, ſeu qui nolendo crucem ſuam ſibi deſtinatam accipere, ſeipſum ſalvum in hoc mundo morti & rebus adverſis eripuerit, *perdet eam*, id eſt, in futuro æternum ſeipſum perditurus eſt. *Et qui perdiderit animam ſuam*, ſcilicet in hoc mundo, id eſt, qui vitæ temporalis jacturam fecerit, & ita carnalium hominum oculis ſeipſum perdiderit, *propter me*, addit Marcus c. 8. verſ. 35. & *Evangelium*, quod ſupra Matth. cap. 5. verſ. 10. dixerat, *propter juſtitiam*; Martyrem enim Chriſti facit non pœna, ſed cauſa. *Inveniet eam*: Marc. d. cap. 8. & Lucas 9. *ſalvam faciet eam*, id eſt, ſe ipſum ſalvum lucrifaciet in futuro.

Eædem vel ſimiles ſententiæ repetuntur Matth. 16. Marc. 8. Lucæ 9. & 17. & Joan. 12. ſimili ſenſu: in quibus *Anima* non poteſt accipi pro vita corporis, quia etiam, qui in futuro perdunt animam ſuam, vita corporis vivent. Itaque alii accipiunt pro animæ ſalute, ſive corpo-

rali, sive æterna. Nos commodissime accipi posse indicavimus per synecdochen pro toto homine, phrasi apud Hebræos & in veteri Testamento usitatissima, ut patet Levit. 5. vers. 1. 2. 5. &c. Et hac de causa sæpe in novo Testamento, ubi nos legimus *teipsum*, *seipsum*, & similia, translatio Syriaca usitato suo idiotismo legit *animam suam*, vel *animam tuam*, ut patet infra c. 22. vers. 39. Et cap. 27. vers. 40. pro, *Salva temetipsum*, legit, *Salva animam tuam*. E contrario vero id, quod Matth. 16. v. 26. dicitur, *Animæ vero suæ detrimentum patiatur*, Lucas proprietatem Hebraicam explicans dixit, *Se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat*. His igitur sententiis vinculum, quod nos arctissime devinctos tenet, & Christi amorem impedit, disrumpit, perversum scilicet amorem sui, quem usque ad mortis ipsius contemptum perducit. Alioquin enim hoc non esset amare se, sed odisse; non invenire, sed perdere. Nam, ut August. Tract. 15. in Joan. si male te amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti.

40. *Qui recipit vos.* Post tot prædictas calamitates, & odium omnium, hoc tandem solatii loco adjicit, austeritatem præceptorum spe temperans promissionis, inquit Hieron. ne scilicet ab omnibus prorsus se deserendos esse vererentur. Itaque his verbis partim significat, quantam

tam eorum esset habiturus curam, qui ipsiusmet personam sustinerent, partim spe præmii domos eis totius orbis aperit, inquit Chrysost. quod ipsum late deducit Homil. 26. quia *quivos*, tamquam Legatos meos, *recipit* hospitio, honorifice, humaniter benigneque tractatos, *me recipit*, id est, perinde reputabo, ac si in personam meam esset collocatum ut clarius explicat Matth. 23. & 40. Honorem enim Legato, ut tali exhibitum sibimet ipsis Reges exhibitum putant. *Et qui me recipit, recipit eum, qui misit me*, id est, Deum Patrem, qui honorem mihi a se misso impensum sibi præstitum putat. Neque vero honorifica tantum, sed & fructuosa eis erit ista hospitalitas. Nam

41. *Qui recipit Prophetam*, id est, doctorem Evangelii, de quo hic sermo est, *in nomine Prophetæ*, eo nomine, seu titulo, quo est Propheta, seu annuntiator verbi Christi, ac Dei. Nam his verbis retorquet intentionem hominis in Christum, ac Deum, ut clare indicat Marcus cap. 9. vers. 40. ut scilicet non maneat in ipsa persona Prophetæ & justi, multo minus hæreat in aliis mortalibus caducisque considerationibus, ut quia Iudæus, affinis, cognatus, potens, eloquens, doctus. *Mercedem Prophetæ accipiet*, id est talem, inquit Chrysostomus, qualem ipse Propheta, quia scilicet eum, ut talem diligit, & Prophetæ of-

ficio cooperatur. Nam opus, quo alterius operi, sive bono, sive malo, communicamus, sicut illius naturam imbibit, ita & illius præmium accersit, aut supplicium. Unde mox idem extendit ad eum, qui recipit quemlibet, *justum in nomine justi*, id est, eo nomine, quod justus est, seu intuitu justitiæ & pietatis. Et quia non omnium est, Prophetas, aut justos, seu spectatissimæ virtutis viros hospitio recipere, & magnis afficere beneficiis, ad infimos, & ad infima beneficia descendit.

42. *Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis*: scilicet qui in me credunt, ut exprimitur cap. 18. v. 6. vel fratribus meis, vt cap. 25. hoc est, ex infimis inter fideles, & contemptissimis. Quo simul indicat id, quod Apostolus docet ad Galat. 6. v. 10. quamvis ad omnes bonum operari debeamus, maxime tamen ad domesticos fidei. *Calicem aquæ frigidæ* vel aliquod abjectissimum ministerium exhibuerit; *Frigidæ* enim dicit, vt observat Hieron. ne & in calida, paupertatis ex penuria lignorum occasio quæreretur. *Tantum in nomine discipuli*, quod Marcus dicit cap. 9. *in nomine meo*, *quia Christi estis*: hoc est ergo, mei intuitu, seu eo tantum nomine, quia Christianus est, quia Christi doctrinam sectatur, aut profitetur, sive justus ille sit, sive injustus. Unde Hilar. in fine Can. 10. putat signi-

fi-

ficari, quod probitatem obſequentis, fallentis de ſe probra non lædunt, eo quod mercedem ſuam a dantis fide, non autem ſumentis mendacio conſequatur. Itaque illud, *tantum*, etiam ad præcedentia referri poteſt: *amen dico vobis*, id eſt aſſeveranter dico, ne cui hoc incredibile videatur, *non perdet mercedem ſuam*: quæ pro divina ſcilicet liberalitate tali operi repoſita eſt: magis enim Deus ad affectum dantis, quam ad rei datæ magnitudinem reſpicit.

CAPUT XI.

CVm conſummaſſet JEſus præcipiens, id eſt, cum finem feciſſet præcipiendi, ſeu inſtruendi, & ordinandi, ut eſt Græce; pleraque enim non fuerant præcepta proprie dicta, ſed inſtructiones & prædictiones; *tranſiit inde*; ab Apoſtolis, periculum legationis facturis, ſeſe ſeparando. Hoc enim factum eſſe indicatur Lucæ 9. verſ. 6. & 10. nimirum, ut ſic inciperent ſine cortice natare, & ne præſentia ſua eorum auctoritatem minueret aut miracula obſcuraret. *Ut doceret et prædicaret*, etiam ipſemet, non ſolum per vicarios ſuos, *in civitatibus eorum*. Quidam ad Apoſtolos referunt; quaſi diceret, in omnibus civi-

vitatibus, ubi Apoſtoli prædicaſſent: ſed hoc durius, & ſignificat Lucas loco cit. Apoſtolos potius ad Chriſtum rediiſſe. *Eorum* igitur, id eſt Judæorum: refertur enim ad id, quod remote præceſſit, atque ex narrationis ſerie & ſenſu ſatis intelligi datur, eo quo juſſiſſet Apoſtolos ad oves domus Iſrael pergere.

2. *Joannes autem cum audiviſſet.* Videtur hæc hiſtoria non narrari ordine ſuo, eo quod ex Lucæ 7. verſ. 18. veriſimiliter videatur contigiſſe ante miſſionem duodecim Apoſtolorum. Legationis hujus cauſam indicat interrogatio iſta:

3. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Ex qua colligit Tertull. Joannem de Chriſto certum eſſe deſiiſſe, ut loquitur cap. 8. lib. de Præſcript. deficiente ſcilicet in eo ſpiritu Prophetiæ, poſt totius ſpiritus tranſlationem in Dominum, ut ajt cap. 10. libr. de baptiſmo. Sed, ut recte dicit Ambroſ. libr. 6. in Luc. aut inſolentiæ fuiſſet, antea ei divina tribuere, quem neſcias, aut de Dei filio dubitaſſe perfidiæ eſt. Hieron. ponderat, non dici, *Tu es, qui veniſti*, ſed, *qui venturus es*, ſcilicet ad inferos, quo Joannes mox erat deſcenſurus; ut ſcilicet ſcire poſſet, non utrum eſſet Meſſias, ſed utrum & inferis Chriſtum deberet nuntiare. Cum quo conſentiunt Gregorius Homil. 1. in Ezechiel. & illi, qui dubitaſſe volunt apud Ambroſ d. libr. 6. in

Lu-

Lucam, utrum esset moriturus. Sed longe rectius Hilar. Can. 11. & Chrysost. Homil. 37. in Matth. sentiunt, Joannem nullo modo de Christo dubitasse, sed potius discipulos ejus, putantes forsan, quod Joannes modestiæ causa Christum ita prædicasset, & sibi prætulisset. Nam eos adversus Christum aliquid, ut Hieronymus loquitur, mordacitatis, ac livoris habuisse, & pro magistro suo fuisse æmulatos, satis patuit supra cap. 6. vers. 26. ubi dicunt, *Ecce hic baptizat*, Christus scilicet *& omnes veniunt ad eum*: quasi dicerent, nos deserimur, ad illum turba confluit. Unde ex Lucæ 7. vers. 18. constat, hanc legationem ea occasione contigisse, quod discipuli Joannis narrarent ei miracula Christi, cum quadem scilicet æmulatione. Itaque ut eorum infirmitati & ignorantiæ consuleret, illam ipsam in se suscipit: ut ita ipsi liberius interrogarent: *Tu es, qui venturus es?* Græce *erchomdios* Tune es ille venturus? id est, ille qui a gente Judaica, juxta vaticinia Prophetarum, expectatur venturus, scilicet Messias? sed quia in illa ipsa hora, ut testatur Lucas, multa miracula patrasset JEsus, non tam verbis quam factis, quæstionem solvere, eosque convincere voluit, eo quod minus esset obnoxium calumniæ, Respondit igitur:

4. *Euntes renuntiate Joanni:* prudenter dissimulans id, quod Joannes fecerat,

ne

ne vel incredulitatis, vel ignorantiæ eis insimulando, difficilius se instrui paterentur: *quæ audistis*, de me narrari. Nam quod hic dicitur, *mortui resurgunt*, non viderant ipsi, sed recenter factum audiverant, *et vidistis*, scilicet ista, quæ tunc facta fuisse Lucas tradit.

5. *Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt*, &c. Alludit ad locum Isaiæ 35. v. 5. & 6. ubi ad litteram hæc miracula, & simul per ea spiritualis a vitiis liberatio per Christum futura significatur. *Pauperes evangelisantur*, Græca phrasis, pro *pauperibus evangelizatur*, id est, Evangelium, seu promissio regni cœlorum pauperibus prædicatur; maxime enim mirabile, pauperibus promitti regnum. Et hoc vaticinium ex Isaiæ 61. vers. 1. citat: q. d. Respondete Joanni ea quæ Prophetæ de Messia prædixerunt, vos vestris oculis vidisse compleri. Porro pro, *pauperes*, textus Hebraicus & Vulgatus legunt (*Ghanavim*), *mansueti*: quod *lxx.* verterunt *pauperes*, propter summam vicinatem utriusque vocabuli *Ghanavim*, & *Ghanum*, in lingua Hebraica, sicut & significationis: nam pauperes, nempe non solum opibus, sed maxime spiritu & animo, qui scilicet iis non apponunt cor, simul mansueti & humiles esse solent, & propterea magis capaces prædicationis regni cœlorum, divites vero feroces, ac superbi; ut propterea Augustin. Homil. 13. & alibi

bi sæpius dicat, Vermis divitiarum superbia.

6. *Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me*, id est, qui nulla re offensus fuerit ex me, quo minus mihi tanquam salutis auctori credat & adhæreat. Nam uti nunc, ita & olim alios aliud in Christo offendit, nascendi ex muliere abjectio, crucis ignominia quasi stultitia, conversationis humilitas, doctrinæ severitas, &c. qua de causa Christus dicitur, *Lapis offensionis*, & *Petra scandali*, 1. Petri 2. vers. 8. & *positus in ruinam multorum*, Lucae 2. sed non credentibus. Notat autem Hieronym. tacite Christum notasse discipulos Joannis, tamquam scilicet qui essent scandalizati in ipso, quasi non ea severitate viveret, qua Joannes, ut patuit etiam supra capite 9. vers. 14.

7. *Illis autem abeuntibus*, ne Joannem coram discipulis laudando assentator videretur, *cæpit dicere ad turbas*, quæ non intelligebant mysterium hujus legationis, & ex ea facile suspicari poterant Ioannem, qui olim, Ioan. cap. 1. & 3. magnificum Christo perhibuerat testimonium, mutasse sententiam, aut certe in Christo fuisse scandalisatum, ac cœpisse dubitare. *Quid existis in desertum videre?* q. d. Quid causæ fuit, quod ante certatim, relictis domibus atque oppidis, in desertum spectatum curretis? An ut spectaretis *arundinem vento agitatam?* Quæ sci-

li-

licet cujuslibet venti impulsu huc illuc fluctuat, id est, hominem arundinis instar levem, & in sententia inconstantem? q. d. nequaquam; sed omnes, vel hoc ipso facto unanimiter judicastis, esse hominem, ut vitæ severitate, ita & mentis constantia admirabilem. An ut spectaretis

8. *Hominem mollibus*, vestimentis, *vestitum*? id est, qui deliciis vestium, aut ciborum enervatus mollem quoque mentem gerat, vel qui luxus cupiditate antea alicui adulari soleret? q. d. nullo modo id sensistis de Ioanne. Nam *qui mollibus vestiuntur*, id est, qui vestium, totiusq. vitæ luxum sectantur, non in desertis quærendi sunt, ubi omnia inculta, austera & squallida, sed *in domibus regum sunt*, id est, sectantur Principum palatia. Longe ergo abesse judicastis a Ioanne omnem levitatis & inconstantiæ suspicionem,

Quid ergo *existis videre? Prophetam?* Hic tandem exprimit, quid senserint Ioannem esse; nam, ut est infra cap. 12. *Omnes habebant Ioannem sicut prophetam.* Itaque prudenter Christus praemunit turbas, ex propria earum opinione, quam ne quis velut popularem contemneret, ipse primum comprobat, dicendo *Etiam dico vobis*; quia tanquam Propheta nemine indicante Messiam cognovit, & post se venturum praedixit. Deinde ex

sua

ſua ſententia addit, *et plus quam Prophetam.* Ratio eſt: *hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt*, &c. q. d. quia tantus eſt Ioannes, ut non ſolum prophetaverit, ſed de eo tanquam de nobiliſſimo Propheta ab aliis prophetatum ſit.

10. *Ecce enim ego mitto angelum meum*, non natura, ſed miniſterio, id eſt, nuntium illum antonomaſtice præclariſſimum miraculoſa ſcilicet conceptione, circumciſione, vitæ puritate & auſteritate inſtar Angeli admirabilem. Unde eum Angelum, non hominem fuiſſe exiſtimatum, tradit Euſeb. lib. 9. de Demonſtrat. Evang. cap. 5... *ante faciem tuam*, id eſt, proprie, ante te. Nam ſicut ſex menſibus ante Chriſtum conceptus & natus eſt, totidem circiter ante prædicare cœpit. *Qui præparabit viam*, prædicatione baptiſmi & pœnitentiæ, & regni cœlorum appropinquantis juxta dicta cap. 3. verſ. 3... *ante te.* Græce *emprothen ſoi* coram te, in conſpectu tuo. Qua repetitione, *ante faciam tuam*, &, *ante te*, videtur fieri alluſio ad duplicem hominum conſuetudinem: unam, qua Regi venturo quiſpiam præcurrere ſolet, qui vias & hoſpitium parari curet, ut prægnitus Rex majori cum pompa recipiatur: alteram, qua nobiliſſimus aliquis jamjam venientem præcedit, qui ſecedere de via jubens, Regem jam præſentem oſtendit. Utroque officio Ioannes functus

eſt, & ex utroque capite oritur, quod dicitur eſſe pluſquam Propheta, quia jam olim prophetatus, vitaque purus, inſtar Angeli, Chriſtum Regem non ut cæteri prophetæ, e longinquo vaticinatus, ſed mox venturum nuntiavit, Matth. 3. verſ. 11. & venientem præſentemque digito oſtendit, *Ecce Agnus Dei*, &c. Joan. 1. v. 38 & manibus ſuis ſuis baptizavit.

11. *Non ſurrexit inter matos mulierum*, id eſt, non eſt exortus inter homines, ex muliere non virgine natos; nam mulier hic pro corrupta ſumitur, ut notant Hieron. hic & Ambroſ. in Pſalm. 43. itemque lib. 5. in Lucam. Major enim, inquit, fuit iis, quibus æqualis eſſe poterat ſorte naſcendi. Cum quo reipſa convenit id, quod alii dicunt, inter eos, qui communi ſorte naſcendi per concubitum prodeunt. Quamquam nullum ſit incommodum quocumque modo natos intelligere, quia comparatio non ſit niſi cum viris, iiſque Prophetis Veteris Teſtamenti, non cum Beata Virgine, aut Chriſto, qui ad Novum pertinebant. *Major Joanne Baptiſta*, Lucas c. 7. v. 28. addit, *Propheta*, & hoc in Matth. ſupplet Hilar. Can. 11. Non ſurrexit ergo major Propheta, ſive ſcilicet ſpectes munus prophetandi, utpote cui licuit Chriſtum mox venturum prædicere, & monſtrare præſentem; ſive cætera prædictionis

ejus,

ejus, conceptionis, ſanctificationis in utero, nativitatis, & ſanctiſſimæ converſationis privilegia, ut latius expendit Chryſoſt. Quod ſi nullus Propheta eo fuerit major, qui tamen erant maximi, ergo nullus omnino. Negando igitur quemquam majorem, permittit ei aliquem eſſe æqualem, ut notat Auguſt. libr. 2. contra adverſarium Legis & Prophetarum cap. 5. & Hieron. hic. Quamquam quia verba iſta ſunt declaratio illius, quod eſſet plus quam Propheta, negativa iſta videatur tacite affirmativam inſinuare.

Qui autem minor eſt in regno cœlorum, major eſt illo. Non pauci veterum ſic intelligunt, Qui minimus eſt in cœlo, ſive homo, ſive Angelus, utpote jam triumphator cum Deo exiſtens, major eſt illo, qui adhuc corruptibile corpus gerens, conſiſtit in prælio. Aliud eſt enim, inquit Hieronym victoriæ coronam poſſidere, aliud adhuc in acie dimicare. Et ita iſtud, *in regno cœlorum*, cum præcedentibus jungi debet. Sed quia non videtur iſte ſenſus multum facere ad propoſitum Chriſti, veriſimilior eſſe videtur, quem tradit Hilar. Can. 11. Chryſoſtomus & Theophyl. hic, qui jungunt ea verba cum ſequentibus, hoc modo: Ille, qui inferior eſt Joanne Baptiſta, tum ætate, tum opinione veſtra, major eſt illo, virtute, poteſtate,

divinitate, majestate, claritate, inquit Augustin. initio Tract. 13. in Joan. ubi hunc sensum præferre videtur, etsi utroque modo jam dicto dixisset, rectissime intelligi posse, libr. illo 2. contra adversi. Legis superius citato. *In regno cœlorum*, id est, in Ecclesia justorum, sive terrena, sive cælesti: vel etiam *in regno cœlorum* annuntiando, quod Joannes primus quidem, sed nequaquam tanta efficacia & fructu, quanto Christus prædicavit. Sic ergo Christus summa cum modestia, ne sibi Joannem prætulisse videretur, confirmat ipsius Joannis de se testimonium, quod supra vidimus cap. 3. v. 11. Et regni cœlorum sic intellecti facta mentione, sicut hoc est supra c. 3. v. 2. exposuimus, valde apte subjungit Christus:

12. *A diebus autem Joannis Baptistæ*, id est, a quo tempore ipse primus prædicatione sua vexillum erexit, ad regnum cœlorum, velut bravium certaminis, rapiendum, *usque nunc*, quo ego in eadem prædicatione succedo, *regnum cœlorum vim patitur*, id est, vis illi infertur, seu vi facta invaditur & extorquetur aliis alios, certatim conantibus antevertere. Unde Lucas dicit cap. 16. *Omnis in illud vim facit*, id est, omnes vi & eruptione facta illud diripere conantur. Itaque significatur partim ardor, ac studium properantium ad diripiendum illum thesaurum re-

regni cœlorum propalatum; partim multitudo confluentium; partim quod illi, qui a regno prorsus alieni videbantur, ut Gentiles, Publicani, & peccatores, deturbatis heredibus & filiis regni tamquam ignavis, in illud irruerent, & quasi aliis debitum sibi raperent. Postremam hanc considerationem late ponderat Hilar. Can. 11, & secutus est Nazianz. Orat. 40. omnes autem tres Ambros. in fine libr. 5. in Lucam. *Et violenti rapiunt illud*, id est, & qui talem vim inferunt regno, illi obtinent, ac diripiunt illud. Sed quia talis violentia non potest, inferri regno, nisi quis etiam sibimetipsi vim inferat: hinc consequenter indicatur eos, qui ardore regni cœlestis assequendi violentiam naturæ inferunt, omnesque vitiosas refænant cupiditates, regnum illud vi ista facta velut violentos prædatores invadere, inquit Augustin. lib. 2. Quæstionum Evangel. quæst. 37. quæ est expositio multorum antiquorum, Irenæi libr. 4. cap. 72. Basilii lib. de vera virginit. & in princ. Proverbiorum, Hilar. hic, & aliorum post ipsos.

13. *Omnes enim Prophetæ*, seu Prophetarum scripta, *et lex*, Moysis, *usque ad Joannem prophetaverunt*, id est, usque ad Joannis prædicationem suo functi sunt munere, prophetandi scilicet, seu prædicandi, promittendi & obscuris figuris adumbrandi Christum, & regnum ejus.

Finis enim legis totius Christus. Relinquitur hic tacite supplendum id, quod Lucas supplet c. 16. v. 16. *Ex eo vero tempore regnum Dei annunciatur*, id est, jam non futurum esse, sed appropinquasse nuntiatur, omniaque cælestia de Christo mysteria propalantur. Sic ergo datur optima ratio, cur a Joanne, ac deinceps regnum cœlorum vim pateretur, quia scilicet post Joannem Christus jam, & regnum ejus palam omnibus prædicatur & præsens sistitur.

14. *Et si vultis recipere, ipse est Elias*, non persona, sed officio, quia scilicet, ut Angelus interpretatur Lucæ 1. v. 17. præcessit Christum in spiritu & virtute Eliæ, convertendo scilicet corda filiorum ad Patrem, sive, ut August. Tract. 4. in Joan. quia præcessit in eodem spiritu vis Eliæ: quod enim Elias secundo adventui, hoc Joannes primo fuit, & secundum præfiguravit. *Qui venturus est*, juxta Malachiæ vaticinium & Scribarum vestrorum doctrinam, Lucæ 17. vers. 10. q. d. Non est, quod propterea putetis regnum Dei, & Messiæ nondum advenisse, eo quod Elias nondum apparuit, quia Joannes ipse est Elias. Additur ab aliis, *si admittitis*; partim ut significet ab eorum arbitrio pendere, quod esset ipsis Elias, quia ad Deum, sicut Elias, ipsos conversurus esset officio præcurrendi, si vellent credere; partim ut indi-

cet

eet ſermonem eſſe parabolicum, adeoque figuraliter tantum verum, eo quod eſſet vera, & viva figura Eliæ ſpiritu, virtute prædicatione, præcurſione totoque officio: ut ſic quaſi benevole ipſos invitet ad attendendum & intelligendum, & æquo animo accipiendum id, quod diceret. Unde addit

15. *Qui habet aures audiendi*, id eſt intelligendi, *audiat*, id eſt, diligenter attendat & perpendat id, quod dico: myſticum enim erat, inquit Hieron. & egens intelligentia. Eſt familiare Chriſti epiphonema, quo continetur exhortatio ad audiendum, ſimilis illi, *Qui legit intelligat: qui poteſt capere capiat.* Simul autem indicat, non omnes habere illas aures, de quibus loquitur, id eſt donum illud Dei, quo auditur id, quod dicitur. Quod donum ſubinde conſiſtit in intelligentia eorum, quæ dicuntur, ut in hoc loco, quæ ſæpe ex voluntatis rectitudine proficiſcitur, plerumque vero, quando de rebus faciendis Chriſtus loquitur, conſiſtit in obedientia. Unde Aug. lib. de dono perſeverantiæ c. 14. Aures audiendi ipſum eſt donum obediendi. Et Baruch. 2. v. 31. utrumque complectens, ait: *Dabo eis cor, & intelligent: aures, & audient.*

Et hactenus quidem laus Joannis, quæ tacite tendebat eo, ut Joannis de ſe jam olim teſtificanti crederent, nec ſenten-

tiam mutaſſe ſuſpicarentur. Sed cum Phariſæi Joannem ſpernerent, ut Lucas indicat c. 7. v. 30. hinc Chriſtus ad increpandam duritiam eorum, omnibus modis inflexibilem, convertitur.

16. *Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam?* id eſt, Cui rei comparabo hoc hoc hominum genus, Scribas & Phariſæos, tam præfractos & contumaces? *Similis eſt pueris*, &c. id eſt, ſimiliter agitur, ſeu ſimile quid accidit in hoc hominum genere, ac ſi pueri, ludentes in foro, in duos ſe choros dividant, alteri alteris *coæqualibus*, ætate ſcilicet, ſeu coætaneis & ſociis, acclament, & pervicaciam moroſitatemque exprobrent:

17. *Cecinimus vobis*, Græce *tibia cecinimus*, nempe læta, tripudioque congruentia. *Et non ſaltaſtis*, id eſt, non eſtis provocati ad lætitiam. *Lamentavimus*, id eſt, lugubria, ſeu funebria cecinimus: alludit enim ad morem Judaicum, in funebribus uſitatum, ut ſupra cap. 9. vidimus, *et non planxiſtis*, id eſt, non eſtis provocati ad luctum & planctum: q. d. Tanta eſt moroſitas veſtra, ut neque læta, neque triſtis cantio vobis placeat. Juxta quam expoſitionem non eſt neceſſe, ut revera fuerit talis puerorum luſus, ſicut quidam volunt, de quo nihil certi conſtat: ſed poteſt eſſe efficta, ut ſæpe fieri ſolet, comparatio. Quam Chriſtus ipſe mox eleganter applicat, ſed ita,

ut

ut Joannes & ipſemet reſpondeant pueris, fruſtra præcinentibus, propter ſimplicitatem ſcilicet & innocentiam: Joannis vero auſteritas lamentationi, Chriſti facilitas cantui.

18. *Venit enim Joannes, neque manducans, neque bibens*, id eſt, tanta vivens auſteritate ac temperantia, ut abſque cibo, & potu vitam ſuſtinere videretur. Atque ita totius vitæ ſeveritas ac pœnitentiæ, tamquam luctus, prædicatio erat lamentationi ſimilis, eo tendens, ut Judæos ad pœnitendum, velut ad lugendum, traheret. *Et dicunt: dæmonium habet*, id eſt, dæmonis virtute fert rigorem illum.

19. *Venit filius hominis manducans et bibens*, id eſt, communi cum hominibus converſatione, more cæterorum, promiſcuo cibo & potu vivens: ſupple, ut iſto facili vivendi genere & comitate, velut lætiori cantu Judæos ad virtutem, ac Deum provocaret, qui non fuerant Joannis auſteritate commoti. *Et dicunt*, humanitatem vertentes in contumeliam & calumniam: *ecce homo vorax et potator vini*, qui ſcilicet delicias ſuas ponit in vino & conviviis. *Publicanorum, et peccatorum amicus*: q. d. nebulonum & perditorum hominum ſocius, & conſequenter illis ſimilis, *et juſtificata eſt ſapientia*, Dei ſcilicet, id eſt, ſapientiſſima Dei providentia, quæ in hoc duplici modo

consulendi pervicaciæ Judæorum eluxit, probata & laudata est seu justa declarata. Videntur enim hæc verba respondere illis Lucæ: *Omnis populus audiens, & Publicani justificaverunt eum:* id est, laudaverunt & glorificaverunt eum. *A filiis suis*, scil. sapientiæ, hoc est, idiotismo Hebraico, a sapientibus, nempe Apostolis, inquit Hieron. vel potius generalius ab omnibus, quotquot vere in hoc populo sapientes fuerint, sive Apostoli, sive Publicani, sive populus, qui scil. isti consilio Dei vel meæ prædicationi crediderunt.

20. *Tunc cœpit exprobrare*, id est, ingratitudinem objicere, & probris afficere, quod scilicet beneficia illa plurimarum virtutum, seu miraculorum, sine fructu pœnitentiæ, quem spectabat, percepissent. Luc. c. 10. v. 13. indicat, hæc esse dicta, cum ad prædicandum discipuli mitterentur, sed quia hæc exprobratio optime cohæret præcedentibus de duritia Judaeorum, & Matth. addit *tunc*, videntur bis fuisse dicta, de quo Aug. lib. 2. de consensu Evang. c. 23.

21. *Væ tibi Corozain.* Corozain, Bethsaida, Capharnaum, tres fuerunt urbes praecipuae Decapoleos, sibi valde vicinae: inter quas *Corozain* erat in dimidia tribu Manasse, in ulteriori Jordanis ripa: *Capharnaum* e regione ejus, in citeriori ripa, in tribu Nephtalim; *Bethsaida* vero, un-

unde orti erant SS. Petrus & Andreas, in tribu Zabulon, quae tres tribus circa ingreſſum Jordanis in lacum Geneſareth, ſunt conterminae, omnes ſunt in ripa iſtius lacus Geneſareth, omnes florentes opibus, omnes ex hac Chriſti comminatione ita funditus everſae, ut Corozain tantum ruinae ſuperſint; reliquarum vix ſeptem domus aut tuguria. *Quia ſi in Tyro et Sidone*, Et hae conterminae ſunt Galileae, in tribu quidem Aſer, ſed numquam a Judaeis poſſeſſae, ideoque Gentiles & idololatrae, in littore maris mediterranei, mercimoniis totius orbis opulentiſſimae, ideoque deliciis, Deique contemptu plenae, de quibus vide Iſaiae 23. & Ezech. 26. & 27. Unde quia vicinae, impietate, & vitiis nobiles, ideoque Judaeis deteſtabiles, ut eos magis pungat Salvator, aſſerit eas tamen a Corozain & Bethſaida impietate ſuperari: quia ſi in illis *factæ eſſent virtutes*, id eſt, miracula, ſub quibus univerſam praedicationem ſuam, quam confirmabant, comprehendit: *olim*, id eſt, jam diu ſimul ac factae eſſent, non cum tanta dilatione, *in cilicio et cinere pœnitentiam egiſſent*, id eſt, magnae humilitatis pœnitentiam. Ille enim erat vetus, paenitendi et lugendi ritus, ut induerentur cilicio, quod hic Graece & ſemper Hebriace vocatur *Saccus*, veſte nempe vili, rudi, aſpera & carnis afflictiva, ad teſtandum dolorem

& simul vindictam sceleris, & aspergerentur *cinere*, in humiliationis suae testimonium. De his in Scripturis passim sermo est, & Gentiles etiam ritum illum imitati sunt Jonae 3. v. 6. Ex quo apertum est pœnitentiam aliquid aliud inferre, quam novam vitam, ut haeretici contendunt.

In his autem verbis docet August. lib. de dono perseverantiae cap. 9. altius nobis mysterium praedestinationis ostendi. Si enim quaeritur, cur ergo non est Tyriis & Sidoniis cum tot virtutibus praedicatum, si credidissent & egissent pœnitentiam? Respondet eod. lib. 14. quia alto illo praedestinationis judicio non erant a perditione separati. Quia enim ut crederent, inquit, non erat eis datum, etiam unde crederent, est negatum, hoc est, ut infra explicat, si tales, uti Tyrii, altiore Dei judicio a perditionis massa non sunt gratiae praedestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quae possent credere, si audirent utique talia, vel viderent.

22. *Verumtamen dico vobis, Tyro et Sidon remissius erit*, id est, tolerabilius seu mitius punientur, quia, ut Hieron. Tyrus & Sidon naturalem tantummodo legem calcaverant, Judaei vero & naturalem & scriptam, ac tot praedicationes Christi & miracula contempserant. Nam illa eorum infidelitas ac duritia non de

ignorantia, ſed de libera voluntate veniebat, aut Auguſt. ibidem cap. 9.

23. *Et tu Capharnaum numquid uſque in cælum exaltaberis?* Lucas & Graeca etiam hic legunt ſine interrogatione, *uſque in cœlum exaltata es*, nempe opibus, gloria (erat enim caeteris longe praecellentior) itemque praeſentia mea, praedicatione, miraculis. Cum interrogatione vero legendo ſenſus eſt; Numquid putas te ſemper ſublimem divitiis, & gloria in caelum evehendam? Locutio enim eſt hic hyperbolica. *Uſque in infernum deſcendes*: Graece *deprimeris*, *vi proſterneris*: quo quamvis urbis quoque deſolatio, maxime tamen aeterna civium damnatio ſignificatur, cujus magnitudinem mox attexit: *Quia ſi in Sodomis*, quae ſcelerum & ſuppliciorum omnibus exemplum fuerunt celebratiſſimum, *factæ fuiſſent* illae *virtutes*, *forte manſiſſent uſque in hanc diem*: Graece eſt, *utique manſiſſent*, vel *manere potuiſſent*. Similis plane locutio cum ea verſ. 21. *pœnitentiam egiſſent*: ubi interpres illud, *an*, reliquit intactum. Unde illud, *forte*, vel eſt ſuperfluum, & erit plena aſſertio, tamquam de re ſecundum Dei praeſcientiam certo furura: vel ſumi debet, ut reſpondeat Graecae particulae potentiali, quatenus ſignificet, non certo eos interituros fuiſſe, ſed manere potuiſſe uſque in praeſentem diem, nempe quia tot miraculis incitati egiſſent pœ-

ni-

nitentiam. Et ſic vulgari modo de futura eorum permanſione & pœnitentia fuiſſet locutus, ad indicandam iſta comparatione maximam Judæorum obſtinationem.

25. *In illo tempore*, quo exprobrabat civitatibus illis, *reſpondens JEſus*, id eſt, in verba prorumpens, *dixit:* Phraſis eſt Hebræis frequentiſſima, juxta quam, *Reſpondere* ſumitur ut Hebraicum *Ghanah*, pro ſermonem ordiri vel proſequi, etiamſi nemini jam locuto reſpondeatur: maxime ſequente verbo *dixit*, ut videre licet non ſolum hic, ſed cap. 17. verſ. 4. & cap. ult. verſ. 5. & Lucæ 14. verſ. 3. *Confiteor tibi*, id eſt, laudo & gratias ago; nam hoc ſenſu verbum *Confitendi* eſt in Scripturis uſitatiſſimum, maxime in Pſalmis. *Pater domine cæli et terræ.* Pulcherrima interpunctione, inquit Athanaſ. lib. 3. contra Arianos, differentiam Patris ac Domini docuit. Nam & Patrem ſuum dixit, & creaturæ Dominum, ut conſtaret eum a tempore indutæ carnis Patrem ſuum quoque Dominum appellare: quod idem notat Amb. libr. 5. de fide cap. 3. *quia abſcondiſti hæc*, id eſt, quod abſconderis hæc myſteria regni cælorum, prædicata, *a ſapientibus et prudentibus*, hujus mundi, id eſt, eis qui ingenio, doctrina, ſapientia ſæculari pollent, ſcil. Scribis, Phariſæis, Capharnaitis. Abſcondit autem, non illuſtrando mentem illorum

rum interna gratia, ut credant & intelligant & convertantur. *Et revelasti ea*, seu, quod revelaveris ea, infuso Spiritus sancti lumine, *parvulis*, Græce, *infantibus*, id est, idiotis, qui nulla sæculi sapientia aut prudentia clari sunt, & instar infantium ac stultorum contemnuntur: nam opponuntur sapientibus, de quibus dixerat. Unde Apostolus idem consilium Dei explicans, eos vocat *stulta*, *ignobilia*, & *contemptibilia mundi*, 1. ad Corinth. 1. v. 27. & 28. Ostendit igitur Christus his verbis status inferioris homines citius quam Scribas, Pharisæos & divites hujus sæculi credidisse, & credituros esse, ut ajt Ambr. Serm. 17. in Psal. 118.

26. *Ita Pater.* In Luca vertitur, *etiam Pater.* Est autem modus loquendi, quo Christus vehementer aliquid confirmare solet, ut patet Lucæ 11. vers. 51. ibid. c. 12. v. 5. q. d. Plane Pater, sic fecisti; & rectissime, *quoniam sic fuit placitum ante te*, id est, quia sic placuit tibi, cujus beneplacitum est lex omnis æquitatis: ita docens nos, abjecto omni fastu & meritorum præsumptione, in scrutando isto secretissimo illuminationis unius & excæcationis alterius, electionis & rejectionis consilio, non ad rationes humanas, sed ad Patris beneplacitum recurrere, & illi humiliter acquiescere. Ne vero

po-

poteſtatem revelandi parvulis myſteria a ſe removiſſe videretur, mox occurrit.

27. *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*, id eſt, Omnium rerum imperium ac diſpenſatio meæ quoque voluntati ac beneplacito tradita eſt a Patre, nempe per hypoſtaticam humanitatis cum divinitate unionem, ut ſcilicet tamquam Salvator omnia inſtauraret, ut indicat Iren. lib. 4. capite 37. & clare tradit Athanaſ. in illud, *Omnia mihi tradita ſunt*, &c. Intellige igitur, tradita tamquam homini, cui Deitas juncta eſt in unitate ſuppoſiti. Qui ſenſus involvit alium, quem ſecutus eſt Hilar. Can. 11. & Auguſt. lib. 3. contra Maximinum cap. 12. quod omnia ei tamquam Filio Dei tradita ſint a Patre per æternam generationem. Gignendo enim ei, quem genuit de ſubſtantia ſua, tradidit omnia, quæ habet in ſubſtantia ſua. Sed hoc non omnibus perſpectum eſt. *Nam nemo novit Filium*, id eſt, me eſſe Filium, divinam ſcilicet meam generationem, naturam, majeſtatem Patri æqualem, *niſi Pater*, qui genuit. Addunt hic nonnulli, & *cui voluerit Pater revelare*: Sed non debet additum quia jam præceſſit, quod Pater revelat parvulis myſteria; tum maxime, quia hoc involvitur in eo, quod ſequitur, *et cui voluerit Filius revelare*: quia dum revelat Filius, etiam per Filium revelat Pater, tamquam per Verbum ſuum, ut

ob-

obſervat Auguſt. 7. De Trinit. capite 3. Si enim, inquit, hoc verbum, quod nos proferimus, & ſe ipſum oſtendit, & illud, de quo loquimur, quanto magis Verbum Dei per quod facta ſunt omnia? Proinde tam Pater quam Filius revelant, & conſequenter omnia prorſus myſteria etiam a Patre, ſed per Filium revelantur tamquam per mentis noſtræ lumen, ut idem explicat in Quæſtionib. Evangel. lib. 1. quæſt. 1. Proinde & in traditione omnium, & in mutua illa cognatione oſtendit ſe Patri prorſus æqualem. De Spiritu ſancto nihil expreſſe dicit, ſive quod illa ultima verba, *Et cui voluerit, &c*, etiam ad illum referenda ſint, utpote cui Filius omnia divinitatem tradendo revelet; ſive quod propter inſeparabilitatem, unitatemque Trinitatis, ea, quæ ſingulis perſonis tribuuntur, etiam cæteris convenire intelligantur, ut Auguſt. 1. De Trinit. capite 8. & 9. & Baſil. libro 5. contra Eunomium. Unde alibi dicitur, *Et nobis revelavit Deus per Spiritum ſuum.* Cum ergo tantus ſim,

28. *Venite*, non pedibus, ſed affectibus fidei, ſpei, & charitatis *ad me*, tamquam ad eum, cui omnia tradita ſunt, hoc eſt tamquam ad fontem omnium bonorum, revelatorem omnium myſteriorum, *omnes qui laboratis*, ſub jugo veteris hominis, moleſtiarum perpellione afflicti & fatigati, nempe ut novum induen-

do non laboretis. *Et onerati estis*, oppressi scilicet onere seu jugo peccatorum, concupiscentiarum, miseriarum hujus vitæ, ac denique veteris Legis: nam & isti oneri seu jugo videtur jugum suum, id est, Evangelicum mox opponere, juxta Hilar. & Theophil. *Et ego reficiam vos*, id est, refocillabo & recreabo a molestiis, Græce est *anapavso* requiem & liberationem ab oneribus illis tribuam: unde mox vertit nomen inde deductum, *invenietis requiem*. Fiet autem hoc eo, quo sequitur, modo:

29. *Tollite jugum meum*, id est, suscipite Legem meam, seu Evangelium, quod annuntio, excusso totius veteris hominis jugo. Nam, ut August. Sermone 9. De verbis Domini capite 1. Jugum illud tollere & ferre non est aliud, quam pie vivere in Christo: cujus doctrina seu Evangelium, sicut & lex Dei, & imperium hominis, vocantur in Scripturis *Jugum*, Psalm. 2. vers. 2. Jerem. 2. versu 20. Genes. 27. versu 40. quia subditos per modum jugi, quod bobus imponitur, subjicit & continet. *Et discite a me*, id est, disciplinam meam subite. Videtur enim esse explicatio ejus, quod immediate præcessit; & ratio subditur: *Quia mitis sum, et humilis corde*, id est, quia non sum iracundus aut arrogans, instar tyranni, qui quemquam repellam, sed benignitate, mansuetudine & humi-

li-

litate cuivis expositus. Communior tamen interpretatio est maxime August. Serm. 10. de verbis Domini, & lib. De vera Virgin. cap. 35. *Discite a me*, id est, exemplo meo, non mundum fabricare, vel in eo mirabilia facere, sed *quia mitis sum*, id est, quod mansuetus ac placidus, minime morosus aut difficilis sum, *et humilis*, non verbis tantum aut gestibus, externaque specie, sed *corde*, totoque animo. Duas istas exprimit virtutes, tum quia inter eas summa cognatio, & non minima sunt jugi Christi pars: tum quia ad suscipiendum, ferendumque jugum maxime prærequisita, (superbia enim jugum Christi velut abjectum maxime aversari solet, asperitas & impatientia etiam susceptum excutere:) tum quia mortalibus, quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est, tam magnum & arduum est esse parvum seu humilem, ut nisi a tanto magistro disci omnino non possit; unde humilitas proprie virtus Christi & Christianorum: tum denique quia nullæ virtutes magis præstant refectionem seu requiem, quam jam promiserat. Unde effectum earum explicans, addit: *et invenietis requiem*, non corporibus, sed *animabus vestris*. Nihil enim inquietius asperitate & superbia: nam sicut ista radix est & princeps omnium omnino cupiditatum, ita quoque omnium bellorum ac tumul-

tuum, quibus mundus, major & minor, intus & extra perturbatur. Ne vero nomine jugi, quod moleſtum eſſe ſolet, deterrerentur, docet ſuum eſſe alterius rationis.

30. *Jugum enim meum.* Jugum & Onus idem ſunt, Lex videlicet Chriſti. *Suave eſt*, Græce *Chrison* id eſt, *blandum* ſeu *commodum*, ſcilicet non aſperitate moleſtum, ut juga jumentis eſſe ſolent, neque grave, ut onera, ſed *leve*, id eſt, portatu facile. Mira ſane doctrina, cum præcepta Chriſti ſint difficillima, & perfectiora præceptis Legis, & omnibus, qui pie vivunt, perſecutiones promittantur. Rationem tamen reddit Nazianzen. Oration. 42. quia ſpes & merces moleſtiis hujus vitæ longe uberior eſt. Sed amplius voluit Chriſtus. Rectius igitur Auguſt. Sermon. 9. De verbis Dom. hoc dictum eſſe docet propter tres rationes. Prima eſt, quia Chriſtus ſuos exoneravit ſarcinis ſeu onere innumerabilium obſervationum, quod erat revera grave jugum duræ Judaicæ cervici convenienter impoſitum, ut idcirco S. Petrus dicat Actor. 15. v. 10. *Quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus.* Secunda eſt, quia loco illius jugi non niſi facilitatem ſimplicis fidei, bonæ ſpei, & ſanctæ charitatis impoſuit, hoc eſt, non niſi ſolam bonam voluntatem. Nihil enim tam facile eſt bonæ voluntati, quam ipſa ſibi: & hæc ſufficit

Deo.

Deo. Nam, ut latius explicat Epiſt. 45. Ibi labor eſt, ubi multa quæruntur & diliguntur, quibus adipiſcendis atque retinendis voluntas non eſt ſatis, quia conſequentem non habet facultatem. Jſta vero vita, cum volumus, adeſt, quia ipſam plene velle juſtitia eſt. Nec plus aliquid perficiendum juſtitia requirit, quam perfectam voluntatem. Vide, ſi labor eſt, ubi velle ſatis. Unde divinitus dictum eſt: Pax hominibus bonæ voluntatis. Ubi pax, ibi requies, ibi finis appetendi, & nulla cauſa laborandi. Hæc ibi. Tertia eſt, & præcipua, præcedenti affinis, quia, ut idem lib. De nat. & gratia, c. 69. *Omnia levia ſunt charitati*, vel potius ipſa charitas eſt ipſum jugum, quod leve eſt. Chriſti enim præceptum ſeu jugum non eſt aliud, niſi ut diligamus Deum & proximum: & ipſe venit, non jam legem ac timorem ſed ipſam dilectionem in cordibus noſtris diffundere per Spiritum ſanctum. Quidquid autem amatur, dulceſcit amantibus, nec ſentiunt quod laborant: imo tunc ab eis plus laboratur, quando a labore prohibentur, ut ajt Serm. 47. De diverſis c. 1. Et hoc ſenſu dicit S. Joannes Epiſt. 1. c. 5. v. 3. *Mandata ejus gravia non ſunt.* Gravia enim ſunt timori, levia amori, & quidquid propter illa toleratur.

CAPUT XII.

1. *IN illo tempore abiit Jesus per sata sabbato.* Sabbat seu *Sabbaton* (nam utroque modo Hebraice, & exinde Græce dicitur) proprie significat cessationem seu quietem & ulterius diem quieti a Deo destinatum, nempe septimum hebdomadæ, in quo nihil operis fieri poterat, non solum servilis, sed neque necessarii ad parandos cibos, quia præveniri poterat, Exodi 35. v. 3. qua severitate observabatur etiam dies expiationis, Levit 23. v. 30. & 31. Extensum est inde vocabulum ad omnia cætera festa, ibid. v. 32. quibus non ab omni opere, ut die septima, sed a servili tantum cessabatur: quæ differentia videtur notari Levit. 23. versu 3. collato cum versu 7. & 8. Denique per catachresin *Sabbaton* pro tota hebdomada usurpatur: unde Feria secunda, tertia, &c. Hebræis dicitur secunda & tertia Sabbati, id est, hebdomadæ, 1. ad Corinth. ult. v. 2. & Marci ult. versu 2. Nisi sensum esse velis, prima, secunda, &c. post Sabbaton. Hoc loco videtur intelligi *Sabbaton* proprie dictum, quo cibos parare non liceret: nam inde est orta quæstio, & Christi responsio satis indicat, discipulos aliquid feciſſe, quod ex-

extra neceſſitatem non licuiſſet Sabbato. Sed Lucas c. 6. vocat illud Sabbaton *ſecundo-primum*, quod verbum infinitas peperit ſententias. Quibus omiſſis, omnium videtur probabiliſſima S. Chryſoſt. initio Homil. 40. qua dicitur ſecundo-primum quaſi bis primum ſeu bis ſolemne, eo quod Sabbaton & aliud feſtum concurreret in eundem diem. Cum autem hoc contigerit eo tempore, quo ſegetes habebant ſpicas, neceſſe eſt conſequenter incidiſſe hoc Sabbaton in primum vel ultimum diem Azymorum, qui erant ſimiliter etiam feſti, vel in diem Pentecoſtes. Nam quod Janſenius in Concordia, Franc. Lucas & alii putant, etiam ratione incidentis Neomeniæ potuiſſe eſſe duplex, falluntur, quia Neomenia non erat feſtum in populo, ſed tantum in templo, ut diximus Levit. 23. Multo vero magis fallitur Maldonatus, dum putat non potuiſſe ſpicas haberi niſi in feſto Pentecoſtes, eo quod tunc Deuteron. 16. verſu 9. falx in meſſem mitteretur. Eſt enim certiſſimum, manipulum ſpicarum offerri ſolitum, tamquam primitias meſſis inchoatæ, ſecunda die Azymorum, hoc eſt in feſto Paſchatis, Levit. 23. verſu 10. & 11. & locus Deuteron. expreſſe refutat ipſum Maldonatum: nam neque tunc fruges meti incipiebant, ſed ſeptem ſeptimanis ante: neque primitiæ ſegetis ſeu frugum tunc offerebantur, ut ipſe videtur putare,

ſed panum ex frugibus jam demeſſis, Levit. 23. v. 17.

Diſcipuli autem eſurientes, ſive quod præ populi concurſu nec ſpatium habuiſſent manducandi, Marc. 3. verſ. 20. ſive quod audiendi Salvatoris aviditate nec de neceſſariis fuiſſent ſolliciti: *cæperunt vellere ſpicas*. Permittebat hoc expreſſe Lex in agris alienis, Deuteron. 23. v. ult. quod etiam Sabbato Iren. vult licuiſſe l. 4. c. 20. etſi tunc non liceret metere. *Et manducare*. Quod auſterioris vitæ indicium eſſe notat Hieronym. utpote non præparatas epulas, ſed cibos ſimplices quærentium.

2. *Phariſæi autem*, qui potius carpendi quam diſcendi causa ſequebantur, *dixerunt ei: ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet facere Sabbatis*: nempe vellendo & conficiendo ſpicas, cibum parare, hoc enim licebat quidem aliis feſtis, Exodi 12. v. 16. non tamen Sabbatis, ut ſupra diximus. Diſcipulos autem arguunt, ſed impetunt magiſtrum: quaſi dicerent, ex factis diſcipulorum tuorum patet doctrina tua.

3. *Ad ille dixit eis*: *non legiſtis, vos*, qui de ſcientia Legis inflati, me & diſcipulos accuſatis, *quid fecerit David*, quem non audetis reprehendere, utpote virum ſecundum cor Dei, *quando eſuriit ipſe, et qui cum eo erant*, ſupple *eſurierunt*; hoc eſt cum ſimili neceſſitate premerentur: nam

nam excusatio ista petitur ex necessitate, quæ non habet legem. Unde Marcus 2. versu 25. dicit, *quando necessitatem habuit.* Cum autem Christus hic dicat, eos, qui cum ipso erant, esuriisse; & Lucas addat, eum dedisse panem iis, qui cum ipso erant; & David ipse dicat, se condixisse pueris in illum & illum locum; necesse est dicere aliquos fuisse comites Davidis, non quidem præsentes, sed certo loco condictos, ut ita concordent verba David cum Achimelech, 1. Reg. 21. vers. 1. & 2. Nam quamvis David posset dici mentitus, ut vult Jansenius, non tamen mentitus dici potest Christus.

4. *Quomodo intravit in domum Dei*, atrium scilicet circumdans tabernaculum. Nam hoc fuisse ibi satis patet ex loco 1. Reg. cit. etsi arca non esset ibi, sed in Gabaa, 1. Reg. 7. versu 1. & 2. Reg. 6. v. 3. *Et comedit panes propositionis*, id est, propositos: Hebraice *Panes facierum* ita dictos, quod duodecim panes in tabernaculi parte Septemtrionali coram facie Domini, in Sancta Sanctorum habitantis, erant semper propositi, ut significaretur duodecim tribus a Deo semper ali. *Quos non licebat ei edere*, prohibente scilicet expresse Lege communi, Levit. 24. v. 9. Ne vero dicerent, ei tamquam Regi & Prophetæ forsitan id licuisse, addit: *neque his qui cum eo erant.* Primum itaque argumentum & excusatio

discipulorum petitur a majori, seu longe graviori facto David, quod tamen non fuit peccatum. Sequitur nunc secunda.

5. *Aut non legistis in lege*, Moysis, non solum referente, sed & expresse jubente offerri sacrificia, & consequenter mactari, excoriari, purgari animalia, ligna ferri, ignem accendi; quæ omnia in se spectata opera sunt servilia Sabbatis prohibita: & ita *Sabbatis* (quæ maxime præ cæteris festis observationem requirebant) *Sacerdotes* (quos maxime decebat Sabbatum colere) *In templo* (ubi maxime coli oportebat) *Sabbatum* non solum non observant, sed *violant*, externa scilicet specie, & ea faciendo, quibus, nisi Dei cultus excusasset, violabatur. *Et sine crimine sunt*, transgressæ scilicet Legis de sanctificando Sabbato. Unde Judæorum traditio, In Templo est Sabbatum.

6. *Dico autem vobis, quia* seu quod *templo major est hic.* Græce *in hoc loco*, utpote dominus templi; cui ut ministrent, & regnum Dei propaganti cooperentur discipuli mei, spicarum grana comedunt: q. d. Si templi ministerium excusat, ego multo magis, qui dignior ac sanctior templo sum.

7. *Si autem sciretis*, &c. id est, Quod si animo impressum haberetis, quid sibi velit ista Dei sententia, *misericordiam vo-*

lo

lo et non ſacrificium, id eſt, magis probo, quam ſacrificium; phraſi Hebræis uſitata, qui quod poſtponunt, hoc negant. Sub ſacrificio autem tamquam præcipuo omnem externum Dei cultum comprehendit, etiam obſervationem Sabbati. *Numquam condemnaſſetis*, Legis Dei tranſgreſſæ, *innocentes*. Itaque non tam arguit eos ignorantiæ ſpeculativæ, quam practicæ, quæ a voluntate pendet: hoc eſt; taxat inhumanitatem & immiſericordiam eorum, quod homines terentes obvias aliquot frumenti ſpicas, ut eo tam crudo cibo famem urgentem pellerent, judicarent eſſe profanatores Sabbati. Tertia eſt iſta excuſatio, quam ſequitur quarta.

8. *Dominus eſt enim.* Nova hæc eſt ratio, cur innocentes ſint, & non condemnandi, quia *dominus eſt filius hominis, etiam Sabbati*, id eſt, Filius hominis, quo inſpectante & conſentiente hæc agunt, eſt Dominus etiam Sabbati, ut pote natura Deus, creator, & inſtitutor omnium rerum, legiſlator etiam Sabbati: qui proinde poteſt pro libitu rigorem ejus moderari, diſpenſare, penitus abrogare, & violatores a peccato eximere. Itaque ſicut quatuor modis purgat diſcipulos ſuos, ita quatuor modos interpretandi poſitivas leges tradit, nempe ut cedant vel legi naturæ, vel alteri legi magis particulari, vel humani-

ta-

tati ac dilectioni proximi, vel denique auctoritati legitimæ dispensantis aut abrogantis.

9. *Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum*, non eodem die, sed alio Sabbato, ut ajt Luc. c. 6. versu 6.

10. *Et ecce homo manum habens aridam*, id est, emortuam, & ita inutilem ad opus, *et interrogabant eum*, &c. non ut discerent, sed ut carperent eum, vel violati jam Sabbati, si licere affirmaret & sanaret; vel violati antea in vellendis spicis; vel certe inconstantiæ aut inhumanitatis, si negaret. Porro Marcus & Lucas dicunt Christum interrogasse Pharisæos, *Utrum liceret Sabbatis benefacere, an malefacere.* Quod intellige Christum fecisse, ut quæstionem jam sibi ab eis propositam alia quæstione solveret. Indicat enim, quod, qui non benefecerit, & non salvaverit proximum laborantem, quando potest, censeatur malefecisse eumque perdidisse. Per se autem est manifestum, non licere malefacere vel perdere hominem: unde relinquitur esse benefaciendum curando. Quod cum declarasset similitudine ovis, cui ipsimet fatebantur die Sabbati posse præstari beneficium liberationis ex fossa, concludit primo particulatim respondendo ad quæstionem Pharisæorum,

12. *Quanto magis*, Græce *Peso un* quanto igitur *melior est homo ove?* & conse-

quen-

quenter quanto magis misero homini in Sabbato beneficium curationis conferre licet, si licet misero animali? Deinde generatim respondet ad quæstionem. *Itaque licet Sabbatis benefacere*, curationem scilicet & cujusvis alterius rationis beneficium proximo afflicto præstare. Verum ut non verbis tantum ineptiam refelleret, sed facto multo maxime:

13. *Tunc ait homini*, nempe, ut Marcus c. 3. v. 5. addit, cum eos *cum ira*, id est, vultu ad indignationem composito, respexisset, & simul *contristatus* esset, seu condoluisset animo super cæcitate cordis eorum, qui livore cæci res apertissimas in quæstionem vocabant. *Extende manum*, &c. q. d. Non ego te tango, non inspuo, sed solo verbo sano: nimirum, ut, sicut hoc notat Athanas. Hom. de semente, omnis calumniæ umbra evanesceret. Loqui enim nec ipsi quidem, qui quæstionem loquendo proposuerant, vetitum esse, vel cogitare audebant. Et hæc est causa cur refutationis evidentia confusi, neque mutire ausi coram populo, consilium *perdendi*, id est, occidendi illum, agitarunt. Christus vero noluit contendere cum illis potentia, vel miraculis se defendere, sed tamquam infirmis exemplum præbens

15. *Recessit inde*, id est, declinavit eorum insidias, ac cessit furori, & nihil acer-

cerbatior continuando ſuam in benefaciendo facilitatem, omnibus expoſitam, *curavit omnes*, qui ſequebantur.

17. *Ut adimpleretur, quod dictum eſt per Isaiam*, qui ſcilicet prædixit Regem Chriſtum non vindicta promptum, non pompa, faſtuque ſæculari nobilem, non vulgi contemptorem, non urbes & vicos implentem ſtrepitu & tumultibus, ut ſolent Reges, ſed patientia, manſuetudine, humilitate, beneficentia in pauperes, & contemptu mundi fore commendatum: hoc enim ſibi vult prophetia ſequens.

18. *Ecce puer meus, quem elegi.* q. d. Attendite conditiones pueri (Hebraice ſervi) mei, qui ratione carnis, qua formam ſervi accepit, & ratione miniſterii ei impoſiti, ſervus meus eſt, quem præ omnibus creaturis elegi, ut eſſet mihi filius, & regnum meum in hominibus reſtauraret. Videntur enim eſſe verba gloriantis de tali ſervo, cujuſmodi ſunt & Job. 1. verſu 8. & cap. 2. v. 3. *Dilectus meus, in quo complacuit animæ meæ*, ſeu mihi, id eſt quem totis viſceribus diligo: vide dicta in fine capitis 3. *Ponam ſpiritum meum ſuper eum*, id eſt, dabo ei non de ſpiritu meo, ſicut cæteris, quaſi ad menſuram; ſed ſpiritum meum ſeu plenitudinem ſpiritus mei, ut ſcilicet cum omnibus donis ſuis requieſcat ſuper eum, tum in conceptione, tum viſibiliter in

bap-

baptiſmo: & illo plenus, *Judicium gentibus nunciabit*, hoc eſt, id, quod juſtum & rectum eſt, legem ſcilicet meam Evangelicam: tamquam legiſlator prædicabit, non Iſraeli tantum, ſed univerſis *gentibus*, idque non ſtrepitu verborum tantum, uti Moyſes, ſed illam ſpiritu illo ſuo ſcribendo in cordibus eorum. Modus autem annuntiandi illius judicii hic erit.

19. *Non contendet*, id eſt, non litigabit cum adverſariis ſuis, *neque clamabit*, contentiose ſcilicet & iracunde, *neque audiet aliquis in plateis vocem ejus*, nempe murmurationis & querelæ de perſecutoribus, ut vult S. Thom. in Commentario: alii autem intelligunt vocem jactantiæ & oſtentationis in circulis platearum: alii prodigioſum illud ſilentium in Paſſione. Quamquam Hebraica repetitione videatur idem ſignificari, quod in præcedentibus, ſcilicet ſumma Chriſti in voce & moribus modeſtia, placiditas, & ſuavitas, ſine vi ac tumultu regnum propagantis.

20. *Arundinem quaſſatam*, id eſt, concuſſam, jam frangi cœptam, *non confringet* omnino, veluti contemnens illam præ vilitate, *et linum fumigans*, Syrus *lucernam*, id eſt, ellychnium lucernæ, vicinum extinctioni, utpote flamma jam amiſſa, in quo ſcilicet reſtet adhuc aliqua ſcintilla ſpei reparandi lumen, *non*

ex-

extinguet penitus, ſed fovebit potius, ut ardeat. Quibus metaphoris ſignificatur incredibilis Chriſti humanitas & manſuetudo, ſive quod Judæos perſecutores, calamo quaſſato, propter perditam integritatem, & lino fumiganti, propter lumen amiſſum, comparatos, non contriverit, nec extinxerit, ut vult Auguſt. libro 20. de Civit. cap. 30. & Chryſoſt. hic Homil. 41. ſive quod imbecilles, ſemifractos, & fidei lumine ſemiextinctos, in quib. adhuc aliquid eſſet bonæ fidei reliquum, non contempſerit, ſicuti Reges ſolent, nec iracunde oppreſſerit, ſed potius manſuetudine toleraverit, foverit, ac promoverit. *Donec ejiciat ad victoriam judicium*, id eſt, donec efferat ſeu proferat judicium illud noviſſimum, quo adverſarios ſuos vincat: ita conſequenter Aug. vel potius, ut illud, *donec* non tam ſignificet limitationem temporis, quam eventum rei: qu. d. donec manſuetudine ſua hoc efficiat, ut illud judicium, ſeu Evangelium, quod nunciavit, & cui mundus magnopere reluctabitur, tandem ubique vincat & obtineat.

21. *Et* ita *gentes*, Evangelio ſcilicet ſubactæ, *in nomine ejus ſperabunt*, id eſt, ab ipſo ſalutem expectabunt, & eum velut ſuæ ſalutis auctorem colent. Quod ſenſu convenit cum Hebræo, in quo legitur, *Legem ejus inſulæ expectabunt*, id eſt, gentes inſularum, a continente ſcilicet

Ju-

Judææ, remotiſſimæ, Evangelium iſtud avide ſuſcipient, & ſalutis aſſequendæ cauſa, utpote cujus capitalis doctrina eſt, non aliud nomen eſſe ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat eos ſalvos fieri, Act. 4. v. 12. Totum hunc locum citavit Matth. partim ex Hebræo, partim ex *lxx.* quædam omittendo, quædam etiam quoad ſenſum aliter reddendo, ut propoſito ſuo magis conveniebat.

22. *Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus et mutus*: non naturæ vitio, ſed dæmonis maleficio. Unde factum eſt, ut, cum *curaſſet eum*, ſcilicet a dæmonio (nam Luc. c. 11. ubi idem narrat, ajt, *Cum ejeciſſet dæmonium*) *loqueretur et videret.* Idem efficit ſpiritualiter dæmon in hominibus, occupat ſcilicet, ut Auguſt. notat lib. 1. Quæſt. Evang. q. 4. viſum & linguam, ne credat, fidem, ne confiteatur, aut det laudem Deo, quo expulſo, primo fidei lumen aſpiciunt, inquit Hieron. deinde in laudem Dei tacentia prius ora laxantur.

23. *Et ſtupebant omnes turbæ.* Cauſam ſtuporis indicat Marcus in ſimili miraculo c. 1. v. 27. quia ſcil. *in poteſtate ſpiritibus immundis imperabat.* Hoc enim ita mirabile eſt, ut propterea plerumque, cum Chriſtus dæmones ejiceret, eamdem admirationem Evangeliſtæ notaverint, ut patet etiam Lucæ 9. v. 44. Unde & hic incipiunt inde dubitare, utrum non eſſet

Filius David, ille ſcilicet promiſſus Davidi Meſſias. Nam ex hujuſmodi operibus Chriſtum agnoſcendum ſatis indicavit ſupra c. 11. v. 5. ex Iſaia.

24. *Phariſæi autem*, odio, & invidia excæcati, *audientes*, tam honorificas de Chriſto voces, magicis incantationibus rem tribuunt, quaſi per inſignem, & *principem*, ſeu præcipuum dæmonem Beelzebub, talia exerceret, de quo vide dicta c. 10.

25. *Jeſus autem ſciens cogitationes eorum*, id eſt, mentem, ex qua prodirent illa verba, nempe ad avertendum ab ipſo & ab Evanglio, & a ſalute populum: niſi ſignificatum velit, ſola cogitatione hoc dixiſſe Phariſæos. *Dixit eis: Omne regnum*, imo, omnis civitas vel domus, ſeu privata familia, *diviſum contra ſe*, id eſt, inteſtinis diſſidiis diſtractum, *deſolabitur et non ſtabit*, id eſt, neceſſe eſt, ut brevi pereat, neque perſiſtere poteſt. Quam generalem propoſitionem omnino experientia, & omnium hominum judicio veriſſimam applicat regno Satanæ, ſubſumendo:

26. *Et ſi Satanas*, pro, *ſed ſi*, vel, *itaque* ſi Satanas: juratus ſcilicet hominum adverſarius, & propterea ſtudioſiſſime tyrannicum regnum in homines propagare ſtudens, meo miniſterio *Satanam ejicit*, vi ſcilicet & invitum, ut homines prorſus diabolicæ poteſtati erepti reſti-

ſtituantur Deo; ſicut me videtis facere. *Adverſus ſe diviſus eſt*, id eſt, pugnis beliſque unus ab altero diſſidebit, dum hic lædere homines, ille liberare volet. *Quomodo ergo ſtabit regnum ejus?* Cum ipſemet illud deſtruat, cujus conſervandi propagandique ſimul peritiſſimus & avidiſſimus eſt. Quando ergo ex colluſione aliqua dæmoni dæmon cedit, quod aliqui contra hanc primam Chriſti rationem objiciunt, tunc non inviti ejiciuntur, ſed ſponte exeunt; nec eripiuntur homines dæmoni reſtituti Deo, ſed tum ipſi, tum alii erroribus implicati arctius poſſidentur, & ita non ſunt inter ſe diviſi dæmones, ſed animo ſtudiiſque colligati.

27. *Et ſi ego in Beelzebub ejicio dæmones, Filii veſtri in quo ejiciunt?* Hæc eſt ſecunda ratio, in qua per filios intelligunt recentiores fere exorciſtas Judæorum: de quibus Act. 19. v. 14. & Joſephus 8. Antiquitatum cap. 2. quos per Salomonem inſtitutos refert. Plerique tamen veteres, ut Athanaſ. tractatu de communi eſſentia, Hilar. Chryſoſt. Theophyl. hic, quod magis probatur, & Hieron. per filios intelligunt Apoſtolos, ac diſcipulos ſuos gente Judæos, qui jam dæmones expulerant: & ita argumentum erit a conceſſis, ut explicat Chryſoſt. q. d. Expulſionem dæmonum in Apoſtolis ac diſcipulis meis tamquam opus divinæ virtu-

tis commendatis, cur ergo in me traducitis? Hoc enim ſignum eſt, non perſonam ex operis iniquitate, ſed opus ex perſonæ odio condemnari. *Ideo ipſi judices veſtri erunt*: condemnantes vos invidiæ in me, & blaſphemiæ in Deum, ex ipſa veſtra inconſtantia. Quamvis Hieron. eo ipſo hoc referat, quod eos judices futuros velit, cum ſedebunt ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſrael.

28. *Si autem ego in ſpiritu Dei*, ſeu per Spiritum ſanctum Dei cooperantem, *ejicio dæmones, igitur pervenit in vos*, non regnum Beelzebub, ſeu diaboli, cui vos me cooperari dicitis, ſed *regnum Dei*, de quo cap. 3. verſ. 2. dictum. Senſus eſt: Ergo verum eſt id, quod Joannes Baptiſta, Apoſtoli mei, & ego prædicavimus, appropinquaſſe ſcilicet, & veniſſe regnum Dei, deſtructo regno diaboli, quia tot miraculis Spiritus Dei prædicationem noſtram veram eſſe teſtatur.

29. *Aut*, id eſt, alioquin, niſi hæc vera ſint, *quomodo poteſt quisquam intrare in domum fortis?* Tertia ratio petitur a comparatione duorum inter ſe bellantium: in qua *domus* intelligitur arx munita, quam alter eorum cuſtodit; *vaſa*, arma quibus confidit, itemque ſuppellex univerſa in ſpolium victoris ceſſura. *Fortis* igitur parabolice eſt diabolus, quia non eſt poteſtas ſuper terram, quæ compa-

re-

retur ei, Job 41. & quia ut Auguſt. qu. 5. libr. 1. Quæſt. Evang. nemo ab illo ſe poteſt ſuis viribus eripere, ſed per gratiam Dei: *domus ejus* eſt hic mundus, in quo dominabatur, vel, quod in idem redit, regnum ejus: *vaſa* ſunt arma, quibus utitur ad tuendum regnum ſuum, voluptas, tentatio, conſuetudo. &c. vel potius ipſi homines infideles, quos tamquam vaſa & ſupellectilem ſuam poſſidet, quibus utitur ad voluntatem ſuam, ut explicat Hieron. hic Baſil. lib. de Spiritu ſancto cap. 8. & Iren. diverſis locis, lib. 3. c. 8. & lib. 5. c. 21. Hos ergo tamquam ſpolia nemo ei eripere ac diripere poteſt, transferendo illos a vitiis ad virtutem atque in regnum Dei. *Niſi prius alligaverit fortem* illum, id eſt, niſi ademerit ei prius poteſtatem impediendi voluntatem credentium, a ſequendo Deo, & obtinendo regno ejus: q. d. Hæc autem omnia videtis me tamquam fortiorem feciſſe ac facere prædicatione virtutis, miraculis, dæmonum ejectione. Conſtat igitur me Spiritu Dei, qui ſolus principe dæmoniorum fortior eſt, ejicere dæmonia, & fracto regno ejus regnum Dei conſtituere. Quæ cum ita manifeſta ſint;

30. *Qui non eſt mecum*, credendo me in Spiritu Dei iſta facere, & regnum ejus adducere, atque ita hærendo mihi, ille hac ipſa indifferentia & incredulitate *con-*

tra me est, hoc est, stat a partibus adversarii, quia tam manifesta Dei opera a Deo removet. Quod idem sequenti hemistichio repetit. *Et qui non congregat mecum*, id est, qui colligit homines, sed non mecum, seu non ita, ut adhæreat mihi, sed sibi, ut Pharisæi & omnes hæretici, ille *spargit*, quia separat illos a Deo. Unde ista sententia etiam a reliquo textu avulsa generaliter vera est. Quisquis enim non est Christi ac Dei, necessario est mundi ac diaboli, quia nihil nisi peccatum a Christo ac Deo separat. Itaque his verbis tollit Christus illam medietatem, quam quidam etiam olim parvulis non baptizatis, itemque adultis tribuerunt, qua putabant aliquos neque cum Christo, neque tamen cum adversario ejus, hoc est, diabolo esse posse: contra quos urget hanc sententiam Aug. lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, c. 28.

31. *Ideo dico vobis*, cum scilicet apertissimum jam factum sit, me non diabolica virtute ejicere dæmones; *Omne peccatum et blasphemia* (suppleri debet ex sequentibus *contra Filium hominis* commissa; non enim agitur de quolibet alio genere peccatorum, vel blasphemiarum:) *remittetur hominibus*, id est, facile remitti potest, quia facilius de illis obtineri potest spiritus pœnitentiæ. *Spiritus autem blasphemiæ* quæ scilicet a vobis committi-

tur,

tur, id eſt, blaſphemia contra Spiritum ſanctum, ſeu qua blaſphematur Spiritus ſanctus, ut exprimunt Marcus & Lucas.

Quæ ſit autem iſta *Spiritus blaſphemia*, & quis ſenſus loci, quæſtio ita difficilis eſt, ut Auguſt ſerm. 11. de verbis Dom. cap. 5. dicat forte nullam in omnibus ſanctis Scripturis eſſe difficiliorem. Hinc eſt, quod ipſe ſæpius de iſto loco diſputans, ſubinde ſententiam mutaverit. Nam cum lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 22. putaſſet blaſphemiam Spiritus eſſe, per malitiam & invidiam oppugnare fraternam charitatem, tamen libr. 1. Retract. cap. 19. addendum putat, ſi in hac tam ſcelerata mentis perverſitate finiverit hanc vitam. Unde poſtea non quinquies mutavit opinionem, ut ei quidam recentior imperite imponit, ſed ſemper eo inclinat, ut hæc blaſphemia Spiritus ſancti ſit perſeverantia in nequitia cum deſperatione indulgentiæ Dei, ut loquitur in fine expoſitionis inchoatæ in Epiſtola ad Rom. hoc eſt, ut eam vocat Sermone cit. cap. 12. & in fine Epiſtolæ 50. impœnitentia finalis, ſeu duritia cordis, uſque ad finem vitæ. Unde paſſim docet, ſciri non poſſe, utrum illa commiſſa ſit ante vitæ finem. Cauſa potiſſima, quæ ad hanc opinionem induxit Auguſtinum, eſt, quia clare dicitur hic, peccatum numquam remitti, & quod omnis alia blaſphemia remitti poſ-

sit. Itaque sic jungit Augustin. ista verba præcedentibus, non quasi Judæi ista dicendo jam commisissent illam Spiritus blasphemiam; sed ne pœnitentiam repellendo, quam Christus prædicabat, & propter quam miracula faciebat, perseverandoque in peccatis eam committerent, ut ajt in illa Expos. inchoata Epist. ad Romanos.

Sed quia Marcus clare notat, hæc ideo a Christo esse dicta, quia dicebant Judæi, *Spiritum immundum habet*, per quem scilicet operatur ista miracula: hinc textui congruentior videtur interpretatio multorum veterum, Hieronym. Chrysost. & Theophil. in hunc locum, Athanas. tractat. in istum locum, & aliorum qui blasphemiam istam Spiritus dicunt esse, qua manifesta opera Spiritus sancti, hoc est divinæ bonitatis & gratiæ, quæ Spiritui sancto appropriantur, tribuuntur Beelzebub, seu Spiritui immundo. Hoc est enim Deum facere diabolum, ut ajt Athanas. Quod forte indicare voluit & Christus supra, quando dixit, *Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt.* Istiusmodi ergo blasphemia *non remittetur*, quia difficile remittetur, ut Chrysostom. & plerique recentiores post ipsum, nempe quia extremæ est malitiæ: adeoque id oppugnat, ac tollit directe, quo ad pœnitentiam perducendi sumus, divinam scilicet bonitatem; propter quam offensam pœ-

ni-

nitendum est. Unde rariſſime, (ſi tamen umquam) Deus talibus Spiritum pœnitendi impertit. Explicans autem clarius ea, quæ dixiſſet, Chriſtus addit:

32. *Et quicumque dixerit verbum*, offenſivum & blaſphemativum, ſeu contumelioſum, *contra Filium hominis*, id eſt, qui humana offenſus ſpecie, atque infirmitate, de Filio hominis infra dignitatem ſentit, ac loquitur, ut vocando eum *voracem, vini potatorem*, &c. *remittetur ei*, id eſt, facile ei dabitur venia. Eſt enim aliqua excuſationis ratio, vel ignorantia latentis divinitatis, vel converſatio iſta tam promiſcua cum vulgo & peccatoribus, vel ſimile quid. *Qui autem dixerit contra ſpiritum ſanctum*, eo quo expoſuimus modo, *non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro*, id eſt numquam, ſeu, ut exponit Marcus, *Non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti.* Non quod remitti non poſſit agenti pœnitentiam, ſed quod, vel difficile & raro, vel fortaſſe numquam actu remittatur a Deo propter malitiæ enormitatem, ut ſupra dictum. Quæ ſententia & ad alia nonnulla enormia contra divinitatem, vel fraternam charitatem peccata forſan extendi poteſt; ſicut propter hunc locum variæ blaſphemiæ contra Spiritum ſanctum enumerantur, etſi ſcopus Chriſti non ſit de illis loqui. Porro quia dicitur, *neque in hoc*

ſæculo, &c. recte Auguſtin. colligit libr. 21. de Civit. cap. 24. & libr. 6. contra Julian. c. 15. non veraciter hoc poſſe dici, niſi eſſent, quibus, etſi non in iſto ſæculo, tamen in futuro peccata remitterentur. Quod non eſt aliud, quam ſtatuere ignem purgatorium poſt ſæculum, ſicut etiam ex iſto loco colligit Gregor. 4. Dialogorum cap. 39.

33. *Aut facite arborem bonam*, id eſt, aut ſtatuite me eſſe bonum, *et fructum ejus bonum*, aut contra, &c. q. d. Aut me ex operibus, quæ improbare non poteſtis, abſolvite, aut opera ex me, quem vituperatis, damnate. Oſtendit enim argumento, ut Hieronym. vocat, ineluctabili, ex naturis rerum petito abſurdam & aſyſtatam eſſe eorum calumniam, quod opera tam magnifica & benefica laudare cogerentur, auctorem vero damnarent. *Si quidem ex fructu*, tamquam notiori, *arbor cognoſcitur*. Nam, ut ſupra dixerat c. 7. *Omnis arbor bona bonos fructus facit*, &c. ſed radicem notans tantæ perverſitatis, nempe inveteratam & hereditate tranſmiſſam malitiam,

34. *Progenies*, inquit, *viperarum*, de quo cap. 3. *Quomodo poteſtis*, ſive poſſetis, *bona loqui*, de me & operibus meis, *cum ſitis mali*, animo ſcilicet invidia tabeſcente pleni. Significat autem non tam impoſſibilitatem quam difficultatem, ſeu id, quod natura comparatum eſt fieri; ſi-

ſicut & Jeremias, cum dixit, *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam*, &c. Quem ſenſum magis declarat familiari proverbio: *ex abundantia enim cordis*, ſive boni, ſive mali, *os loquitur*, id eſt, loqui ſolet bona, vel mala. Nam

35. *Bonus homo de bono theſauro*, qui eſt idem quod abundantia cordis, hoc eſt cumulus bonorum affectuum, & cogitationum in corde inſtar theſauri reconditus, *profert bona*, veluti fructum arbori congruentem.

36. Sed ut ſciatis, quale judicium de iſtis blaſphemiis ferendum ſit, *dico vobis, quoniam omne verbum otioſum*, eſt enim argumentum a minori. *Verbum* autem *otioſum*, Græce *Argon* quaſi *aergon* quod nihil efficit, eſt verbum fruſtra prolatum, hoc eſt, ut Hieronym. quod ſine utilitate loquentis dicitur & audientis, vel, ut Gregor. Paſtoralis Curæ p. 3. Admonit. 15. & Hom. 6. in Evang. quod ratione juſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. In quem ſenſum apte dicit Ambroſ. libr. 1 Offic. cap. 2. Tacere noſſe quam loqui difficilius eſt. Scio namque loqui pleroſque, cum tacere neſciant. Rarum eſt tacere quemquam, cum loqui ſibi nihil prodeſt. *Reddent rationem de eo*, id eſt, exigetur de eo ab eis ratio, etſi forte reddere non poſſint: otioſum enim eſt, quod ratione caret.

37.

37. *Ex verbis enim tuis*, id est, nam etiam ex solis verbis, & non tantum ex operibus, *justificaberis*, seu justus pronuntiaberis, & declaraberis. Non enim hic agitur de interna justificatione, sed de oppositа condemnatione quæ sequitur. *Et ex verbis tuis condemnaberis*, prout judicis examen de unoquoque feret.

38. *Tunc*, cum stupere, flecti, atque erubescere debuissent, nam admirantis esse notat Chrysost. *respondérunt ei quidam*, diversi ab iis, quorum jam calumniam refutaverat. *Magister, volumus a te signum videre, (de cœlo*, inquit Lucas,) cujusmodi fuerunt status Solis sub Josue, tonitrua sub Samuele, raptus Eliæ, descensus ignis, &c. id est, petimus miraculum aliquod insigne, quo cælestis magisterii tui auctoritatem asseras, ac te Dei, non Beelzebub virtute facere, quæ facis: quasi vero ea, quæ fecisset, non essent majora, & eis, quæ peterent, calumniari non possent. Quibus Christus:

39. *Generatio mala et adultera*, id est, genus hominum adulterinum ac degener (quod Daniel dicit cap. 13. v. 56. *Semen Chanaan, & non Juda:*) *signum quærit*, nempe *tentantes*, ut addit Lucas, id est, causa probandi potentiam meam, & ita calumniandi, non vero veritatem cognoscendi & credendi. Et ideo ad petitionem ejus, *signum non dabitur ei*, de cœlo scilicet, cujusmodi petit, sed de terra,

ra. Hoc enim ſibi vult, quod ſequitur, *niſi ſignum Jonæ Prophetæ*, id eſt, ſed ſignum in Jona præfiguratum, ſcilicet reſurrectionis. Nam, *niſi*, in Scriptura ſæpe non eſt exceptivum, ſed adverſativum, ut ad Galat. 2. verſ. 16. Objicit Judæis hoc idem ſignum multis aliis locis, ut infra cap. 16. verſ. 4. & Joan. 2. v. 10. nempe quia erat inſtar omnium certiſſimum, graviſſimum, maximum, quod nec Satanas, nec hominum, nec Angelorum quiſquam imitari poteſt, ſoli Deo poſſibile, numquam viſum, auditum, aut factum, quo maxime declarata fuit divinitas ejus, & ipſe eſſe Filius Dei in virtute, ut Apoſtolus ad Romanos 1. verſu 4. denique cujus pondere infidelitas Judæorum ita erat opprimenda, ut neceſſario ejus prædicationi, vel crederent, & pœnitentiam agerent, vel poſt quadraginta annos, tamquam poſt quadraginta dies perirent.

40. *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti*, ſeu in viſceribus balena, *tribus diebus, ac tribus noctibus*, ſupple ac deinde vivus evomitus eſt; ut hoc ſigno probaretur eſſe Propheta, miſſus a Deo ad prædicandam pœnitentiam. Hunc enim ſcopum ſpectare Chriſtum probat verſus 41. *Sic et Filius hominis in corde terræ.* Hebraiſmus pro, in medio, ſeu intimo terræ, quia cor in medio animalis. Apoſtolus ad Epheſ. 4. v. 9. hoc vocat *in inferioribus*, ſeu

ſeu infimis partibus terræ: per quod & ſepulchrum pro corpore Chriſti, & limbus pro ejus anima ſignificatur. Unde Tertullian. de anima cap. 55. *Cor terræ* vocat receſſum intimum, & in ipſa terra opertum, & intra ipſam cavatum, & interioribus adhuc abyſſis ſuperſtructum. *Tribus diebus et tribus noctibus.* Et iſta eſt Hebraica, Scripturiſque frequens, periphraſis trium dierum naturalium, qui die & nocte, ſeu luce & tenebris conſtant: q. d. fuit ibi per tres dies naturales, nempe ſynecdochice totum ponendo pro parte, quia fuit ibi parte diei ſextæ, toto Sabbato cum ſua nocte præcedente, denique nocte Dominicæ. Ita Hieron. ac diverſis locis Auguſt. ut lib. 1. Quæſt. Evang. q. 7. Epiſt. 49. qu. 6. & alibi. Ut proinde quæri non debeat, quomodo ibi per tres dies, ſeu luces, & rurſum per tres noctes etiam pro parte fuerit, cum non poſſint inveniri niſi duæ luces, & duæ noctes & adhuc non integræ; ſed tantum, quomodo ibi fuerit per tres dies naturales. Rursus autem hic ſuppleri debet quantum ad ſenſum: Ac deinde reſurgam vivus, & ita declaratus Filius Dei, prædicabo huic nationi pœnitentiam, ad quadraginta dies (diem pro anno ſumendo) & Jeroſolyma ſubvertetur. Hoc enim poſtulat ſimilitudo Chriſti cum Jona, cujuſmodi plures alias ſimilitudines pro-

proſequitur Cyrillus Catecheſi 14. Auguſtinus citata Epiſtola 49. quæſtione 6. Sed 41. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio*, id eſt, reſurgent reſumpta carne in die judicii extremo: ſignificatur enim judicium cum mortuorum reſurrectione fore conjunctum, ut obſervat Auguſtin. 20. de Civit. cap. 5. *Et condemnabunt eam*, non quia & ipſi judicabunt, ſed quia ex ipſorum comparatione iſti merito damnabuntur, inquit ibid. *Quia egerunt pœnitentiam*, Ninivitæ, non Judæi. *Et ecce plusquam Jonas hic.* Græce *hoc loco*, id eſt, aliquid amplius & præſtantius eſt hoc loco apud hanc generationem, quam Jonas fuit: ſupple quo tamen prædicante non agunt nec agent, viſo etiam ſigno reſurrectionis, pœnitentiam. Utitur autem neutro genere, ac tertia perſona, modeſtiæ causa. Porro exceſſus iſtius comparationis conſiſtit in eo, quod Jonas erat ſervus, extraneus a balena mortis umbra evomitus, nullo miraculo clarus, everſionem urbis paucis diebus predicans: Chriſtus vero Deus, ac Dominus, gente cognatus, e morte infernoque redivivus, innumeris miraculis & prophetiis commendatus, regnum cœlorum tot annos per ſe ſuoſque prædicaret: & Jonæ tamen Ninivitæ barbari & idololatræ pœnitentes crederent, Chriſtum vero Judæi prophetiis inſtructi impœnitentes occiderent.

42.

42. *Regina Austri*, quæ in Austro dominabatur. Quæ denominatio ab integra mundi plaga videtur majestatem Reginæ & amplitudinem regni ejus indicare. Est autem periphrasis Reginæ Sabæ, quam Josephus 8. Antiquit. cap. 5. vocat Reginam Ægypti, atque Æthiopiæ, quæ in Austro sitæ sunt. Non enim est ista Saba Arabiæ, unde Sabæi thure nobiles, sed Saba Æthiopiæ Regina, quam Cambises Persarum Rex, a sorore sua vocavit Meroen, ut idem 2. Antiquit. cap. 5. Meroën enim esse caput Æthiophiæ testis est Plinius lib. 2. cap. 73. Et hinc est, quod Isaiæ 43. v. 3. Ægyptus, Æthiopia & Saba conjunguntur. Nam & id quod sequitur, *venit a finibus terræ*, plane indicat, imperium ejus valde fuisse remotum a Judæa. Porro singula verba hic augent pondus comparationis, quod scilicet *Regina Austri*, id est, mulier gentilis, potentissima, regni curis distracta ex remotissimis orbis partibus, iter difficillimum arripuerit, solum ut audiret sapientiam terrenam hominis mortalis: Judæi Dei cultores, Legis doctores ipsam Dei Sapientiam, ultro ad ipsos in carne venientem, invitantem, & abscondita cœli mysteria depromentem spernerent. Unde hanc Reginam tamquam peregrinam, et incognitam gessisse typum Ecclesiæ gentium tradit Hieronymus in Psalm. 121.

43. Cum *autem immundus*, &c. Hoc tandem addit, ad terrendos ingratos & impœnitentes illos animos, pœnæ etiam hujus vitæ magnitudine, ut patet ex applicatione Chriſti verſ. 45. qu. d. Sed idcirco ſic agetur cum hac perverſa natione, ſicut agitur cum dæmoniacis, ſeu potius cum iis, quorum animam diabolus poſſidet. Nam *cum immundus ſpiritus exierit ab homine*, baptiſmi ſcilicet, vel divinæ gratiæ virtute fugatus, *ambulat per loca arida*, Luc. *inaquoſa*, id eſt, arentia, ac deſerta, & proinde habitationi prorſus inepta: *quærens requiem*, ut ſcilicet alicubi commodam habitandi ſedem inveniat. Loquitur enim in toto illo cortice parabolæ anthropopathos, id eſt humano more. Inſinuat autem diabolum non quieſcere, donec ſanctificatum aliquem inveniat, quem inhabitet, eo quod omnis alia inhabitatio ei ſqualleat.

44. *Tunc dicit, revertar in domum meam, unde exivi.* Majori enim fervet odio adverſus eos, e quorum animis per Dei gratiam pulſus eſt. *Et veniens invenit eam vacantem*, id eſt, vacuam ſpiritu Dei, diviniſque occupationibus. Unde Baſil. in Pſal. 44. & Nazianzen. Orat. 39. exponunt otioſam, ac deſidem; ſic enim aditus præbetur diabolo: imo *ſcopis mundatam et ornatam*, id eſt, paratiſſimam, & invitantem ſuo ornatu ad ingreſſum talis hoſpitis, cui otium, gratiæ neglectus,

& omnis immunditia veluti ornamenta placent.

45. *Tunc vadit eſt aſſumit*, ne ſcilicet iterum expellatur, *ſeptem alios ſpiritus ſecum*, id eſt multos, numerum certum ponendo pro incerto, ut etiam Iſaiæ 4. verſ. 1. Exprimit tamen illum numerum ſeptenarium, ut opponantur ſeptem ſpiritibus virtutis, de quibus Iſaiæ 11. verſ. 2. & Apocal. 1. verſ. 4... *nequiores ſe*, quo indicat ſeptuplo nequiores aliis fieri, & diabolo magis obnoxios, qui gratia excidunt. Ex qua conſideratione Auguſtin. dixit Epiſt. 137. Non ſum expertus pejores, quam qui in monaſteriis ceciderunt: optimi enim corruptio peſſima. Et ſic Deo ingratitudinem & perfidiam vindicante, *fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*: tum propter acriorem dæmonum incurſionem, tum propter majorem erroris firmitatem, ejuſque expugnandæ difficultatem, *quia ingreſſi habitant ibi*. Ita Nazianzen. Orat. citata. Plenius explicat ſenſum loci S. Petrus Epiſt. 2. cap. 2. verſ. 20. & 21. & Chriſtus ipſe Joan. 5. verſ. 14.

Sic erit et generationi huic peſſimæ. Hæc eſt applicatio parabolæ, quam variis modis exponunt veteres. Veriſimilis eſt quam dat Hieron. ex Hilario, ut videtur, Can. 12. Judæos a dæmone liberatos fuiſſe, cum data lege ab idololatria extracti, divinoque cultui dedicati per

Pro-

Prophetas exculti sunt: sed cum non inveniret diabolus in Gentilibus illam requiem, quam quærebat, sive quod jam antea illos possideret, sive quod postea per fidem Christi ab illis pelleretur, repetit Judæos, Christi contemptu optime paratos, & illos immissis spiritibus erroris, mendacii, blasphemiæ, odii, excæcationis, & impœnitentiæ arctissime possidet.

46. *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris*: non elatione, quasi dedignarentur ingredi, & audire prædicantem, ut aliqui voluerunt, sed, ut S. Luc. quia præ turba ingredi non poterant. *Fratres* autem dicuntur hic non natura, quia nullos habuit, nec gente, quia sic omnes Judæi adstantes fratres erant, nec ex prima uxore Joseph, ut quidam Græci putaverunt: sed cognatione, quia de una familia; sicut Abraham & Loth dicuntur fratres, Gen. 13. v. 3. & Sara dicitur soror Abraham, Genes. 20. vers. 12. Unde infra cap. 15. vers. 55. Jacobus & Joseph, Simon & Judas dicuntur fratres ejus, cum tamen Jacobus & Joseph essent filii Mariæ Cleophæ, ut patet Matth. 27. versu 56. collato cum Joannis 19. versu 25.

Quærentes loqui ei. Quæ causa fuerit tam importunæ interpellationis alii aliam conjectant: Chrisost. ac Theophyl. vanitatem, ut scilicet tanti viri viderentur

cognati; Auctor imperfecti inſtinctum diaboli, ne Chriſt. viſis carnalibus fratribus crederetur Deus: recentiores, ut caperent eum tamquam in furorem verſum. Sed omnia iſta a pietate ſaltem matris ejus aliena ſunt. Importunitas interpellationis potius ſuadet fuiſſe ſollicitudinem de ſalute ejus, ut vel indicarent ei conſilium inimicorum de perdendo eo, de quo verſ. 14. vel, ut ſpecie evocationis elaberetur, ne in ipſa apprehenderetur concione. Et hinc eſt, quod potius evocant eum per aliquem, quem ſubmiſerant, ut Marcus narrat, quam quod aliquis eorum conaretur intrare.

48. *At ipſe dicenti*, ſeu nuntianti, *ait: quæ eſt mater mea*, &c. non quod faſtidiret matrem, aut puderet eum cognationis ſuæ, ſed ut Ambr. quod paternis ſe miniſteriis amplius, quam maternis affectibus, debere cognoſceret. Cæleſtia enim negotia carnis & ſanguinis affectui præferenda ſunt. Unde

49. *Extendens manum in diſcipulos ſuos ait: Ecce mater mea*, &c. id eſt, ſpiritualem iſtorum cognationem carnali præfero, quanto ſpiritus præſtantior eſt carne. Nam & ipſa B. Virgo magis beata & dilectior mater ejus fuit, quia mente, quam quia carne eum tulit, ut ipſe indicat, Lucæ 11. verſ. 28.

50. *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei*: in quo numero & ipſam S. Ma-

Mariam incluſit. Itaque & maternum nomen, quia terrenum erat, in comparatione cæleſtis propinquitatis abjecit: & quo rurſum conſortio generalis Virgo illa cum cæteris Sanctis cohæreret, oſtendit, inquit Auguſtin. Epiſtola 38. *Ipſe meus frater, et ſoror, et Mater eſt*, id eſt, ipſum & fratris & ſororis, & matris loco habeo, & affectu diligo. Nova quippe ſpiritus nativitas, ſicuti novæ & præſtantioris cognationis vinculum adfert, ita & majoris mutuæ dilectionis incentivum. Quamquam Greg. Hom. 3. in Evang. ſingula magis myſtice explicando, fratrem & ſororem fieri unumquemque in utroque ſexu velit credendo, matrem, prædicando, quia Chriſtum auditorum mentibus infundendo quaſi parit. Allegorice vero idem, & Hieron. atque Hilar. ſignificatum putant ſynagogam & populum Judæorum, Chriſto in Eccleſia docente præ turbis gentium credentibus non intrare, eosque a Chriſto non agnoſci.

CAPUT XIII.

1. *IN illo die*, &c. *locutus eſt eis multa in parabolis*, id eſt, obſcure ſub comparationum & ſimilitudinum involucris. Parabola enim Græce eſt proprie compa-

ratio; ſed uſu Scripturæ ſæpe ſumitur pro ſermone obſcuro, qui aliud ſonat, aliud innuit, cujusmodi ſunt ænigmata & allegoriæ. Cauſa utendi parabolicis iſtis ſermonibus datur verſ. 13. Modus ita docendi Syris maxime familiaris eſt, & ad hoc utilis, quod res per exempla ſenſibilia jucundius irrepant animis hominum, moveant efficacius, hæreant tenacius: obſcuritas autem reddat auditores attentos, & ad intelligendum curioſos. Unde Auguſt. 12. contra Fauſtum cap. 7. & alibi ſæpius tradit obſcuritatem illam ænigmatum, in Scripturis adhiberi, propter exercitationem quærentium, & delectationem invenientium. Qua de cauſa & Chriſtus poſt parabolam de ſeminante, qua varietatem auditorum in iſta turba confluentem indicaverat familiari ſuo epiphonemate omnes ad diligentem animadverſionem excitat.

9. *Qui habet aures audiendi, audiat*, id eſt deſideret, coneturque intelligere & dijudicare, ex quo genere auditorum ſit, & ita ſatagere, ut inter optimos ſit. Aures enim audiendi hic eſt donum intelligendi & obediendi: vide dicta cap. 11. verſ. 15. Dicendo autem, *Qui habet aures*, indicat non omnes habere, nempe quia non omnibus dantur, ut eſt Deuter. 24. verſ. 4. Unde & ipſe Chriſtus explicans, cur *eis*, id eſt, turbis

10. *In parabolis* loqueretur: hoc eſt,

ita

ita obſcure, ut non intelligerent, cum ſibi, hoc eſt, diſcipulis ſuis, ita non ſoleret loqui, reſpondet:

11. *Quia vobis*, credentibus & intelligendi, obſequendique cupidis, *datum eſt*, ſingulari Dei dono, *noſſe myſteria regni cælorum*, id eſt, clare, ſine obſcuritatum involucris, audire & intelligere arcana, ad regnum cælorum pertinentia. Non enim hic loquitur de præceptis Evangelicis, quæ quia omnes noſſe debent, omnibus etiam turbis clariſſime expoſuerat cap. 5. 6. 7. *illis autem*, nempe non credentibus, ſeu non habentibus aures audiendi, utpote vel prodigia ſectantibus, vel ſciendi tantum' non obediendi curioſis, vel irridentibus vel'etiam calumniantibus, *non eſt datum*. Significat ergo iſtis verbis, cauſam iſtius diſcretionis pendere, a gratuita gratia Dei, penes quem æquitatis tam ſecretæ ratio eſt, excellentia poteſtatis, cum utriſque dare potuiſſet myſteriorum cognitionem, & utriſque negare. Sed tamen volens indicare, in iſta doni iſtius diſcretione habitam fuiſſe aliquam rationem præcedentis diſpoſitionis, etſi reſpectu primæ gratiæ nulla fuerit, adjicit:

12. *Qui enim habet*, id quod habere debet, ſive fidem, ſive diſcendi ſtudium, ſive obedientiam, ſive bonum uſum donorum Dei præcedentium (generalis eſt enim hæc ſententia) *dabitur ei*, magis

atque magis, *et abundabit*: Græcum etiam exponi poteſt, redundabit, abundanter affluet; ita ut continuis donorum incrementis ad ſummam perfectionem perducatur. Revera enim ſic Deus non modo cum Apoſtolis, ſed cum omnibus electis agit, ut paulatim eos, jam bene utentes primis donis, continua beneficentia cumulet. E contrario autem, *qui non habet*, id, quod habendum eſt, ut ſupra dictum eſt, *et quod habet, auferetur ab eo*, id eſt, etiam ſiquid habet reliquum, eo quoque in pœnam privabitur, ſicut videmus hoc Chriſtum exponere infra c. 25. v. 28. & 29. Sæpius eſt enim uſus hac ſententia, utpote proverbiali, & vulgi non ſolum ſermone, ſed & uſu agendi trita. Veriſſimum eſt enim ditioribus magis dari, pauperibus ſemper auferri.

13. *Ideo* (ergo) *in parabolis loquor eis, quia videntes* oculis corporis miracula mea *non vident*, oculis cordis, quid ſibi velint, innuant & ſuadeant. *Et audientes*, apertiſſima verba mea corporis ſenſu, *non audiunt*, cordis aſſenſu, inquit Aug. de dono perſeverantiæ cap. 14. Quod ipſe Chriſtus explicat, dum addit: *neque intelligunt*. Significat igitur, ſe eis in pœnam incredulitatis obſcure loqui: q. d. quia clariſſimis miraculis, quæ vident, & ſermonibus apertiſſimis, quos audiunt, nolunt credere & obedire, juſto judicio eis per parabolas loquor. Qui enim vi-

de-

dere nolunt, cum poſſunt, Deo puniente, etiam, cum volunt, videre non poſſunt. Nam, ut Aug. de nat. & gratia cap. 22. prævaricatorem legis digne lux deſerit veritatis, qua deſertus utique fit cæcus, & plus neceſſe eſt, offendat, & cadendo vexetur, vexatuſque non ſurgat: & ideo tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.

Sed difficultas oritur ex Marco, & Luca, qui per particulam finalem dicunt Chriſtum eis in parabolis loqui, *Ut videntes non videant, &c.* Cui reſpondetur, Matthæum cauſam ſupplicii meritoriam, alios non cauſam finalem, ſed eventum exprimere: quaſi dicerent: Ex quo fiet, ut videntes adhuc minus videant. Quamquam non deſint, qui etiam finem ſignificari velint. Sicut enim verum eſt, Deum quoſdam propter peccata velle damnare, & reipſa damnando nolle etiam, ut ſalvi fiant: ita etiam verum eſt, propter peccata quibuſdam obſcure loqui, ne Dei myſteria intelligant. Idque in quibuſdam, quia non vult illis dare gratiam convertendi, atque ita eos converti, & ſalvos fieri, quos juſto judicio jam ad interitum mox inferrendum adjudicavit, in quibuſdam vero, ut ſalvi fiant. Nam aliquibus, per miſericordiam Dei, ipſa cæcitas in ſalutis occaſionem vertitur, ut ſcil. quemadmodum

ait Aug. q. 14. ſuper Matth. cæcitate ſua ſibi diſplicentes, & ſe dolentes, atque ex hoc humiliati, ad confitenda peccata converterentur, veniamque mererentur: ſicut nonnullis uſque ad deicidium excæcatis poſt paſſionem contigit. Quorumdam enim ſuperbia debet ipſa cæcitate, & peccatis inde conſequentibus, edomari & frangi. Porro ne cui mirum videretur, ſic puniri populum, qui tanta aviditate Meſſiam promiſſum videre atque audire cupiebat, probat hoc prædictum a Propheta dicente:

14. *Auditu audietis*, &c. Loquitur autem Iſaias per imperativum, *audite audientes*, *et nolite intelligere:* partim quia imperativus idiotiſmo Hebraico ſæpe pro futuro uſurpari ſolet, ut patet c. 23. v. 32. *Et vos implete menſuram Patrum*: & clare Pſal. 36. verſ. 27. *Declina a malo*, & *fac bonum*: partim ad ſignificandum, quod ab irato ac deſerente Deo in pœnam ipſis continget id, quod ipſimet facturi ſunt. Ut ſit quaſi prolatio juſtæ ſententiæ: Omnino fiat ſic, *audite audientes*, &c.

15. *Incraſſatum eſt enim*, &c. Et hæc omnia per imperativum in Hebræo expreſſa ſunt, *Cor incraſſa*, *aures aggrava*, *oculos claude*. Itaque Hebræa, ſicut & Joan. c. 12. v. 40. & Paulus ad Rom. 11. v. 8. indicant, cæcitatem, & cordis duritiam, & ſimilia infligi ab irato Deo: *lxx.* vero in Iſaia & Matth. hic, & Lucas

Act.

Act. 28. verſ. 26. qui omnes eundem locum allegant, ſignificant illas ipſas pœnas culpabiliter a populi libertate proficiſci, hoc eſt, ut Auguſtinus, ait quæſt. illa 14. ipſos cauſam fuiſſe, ut Deus illis oculos clauderet &c. Nam ut idem ait lib. 5. contra Julian. c. 3. Cæcitas cordis & peccatum eſt, quo in Deum non creditur; & pœna peccati, qua cor ſuperbum digna animadverſione punitur, & cauſa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur. Quibus vero modis hujuſmodi pœnæ fiant a Deo, latius diximus in caput 9. Exodi de obduratione Pharaonis. Differre autem videtur obduratio cordis a cæcitate cordis, quod illa ſit quædam impotentia, ne moveatur ad bonum: hæc impotentia, ne videat bonum, quod agendum eſt. Sunt enim aliquid amplius, quam ſimpliciter nolle moveri, vel nolle videre. Cæcus, inquit Auguſt. de nat. & gratia cap. 51. putat, quod vult videre, ſed non poteſt: & lib. 1. contra Julian. imperf. Quis volens cæcus eſt corde, cum nemo velit cæcus eſſe vel corpore? Itaque obduratio eſt cauſa cæcitatis: eſt enim duritia, ſeu firmitas affectuum in malo, ſeu in amore rerum temporalium. Affectus quippe terrenis rebus immerſi & ebrii cor cæcum ad divina faciunt. Quod clare videtur indicare hoc loco. Nam cauſam reddens, cur videntes non videant,

in-

incraſſatum eſt enim, inquit, *cor populi*, id eſt craſſum & pingue redditum, Heb. *impinguatum eſt*. Qua metaphora ſignificat, quod, ſicut cor nimia pinguedine hebetatur & ſuffocatur: nam, ut Hieron. Epiſt. 2. *Pinguis venter non gignit mentem tenuem:* ita animus & affectus terrenis deliciis immerſus & impinguatus, ſtupidos & cæcos reddat ad res divinas. *Et auribus graviter audierunt*, id eſt, difficulter audierunt, quaſi ſemiſurdi ad divina mandata. Hebraice *aures aggrava*, ſeu *aggravatæ ſunt*, ſcil. quaſi ſordibus oppletæ: quæ rurſum nihil aliud ſunt, quam terreni affectus, quibus fit, ut vel audire tædeat res divinas, nedum eisobedire. *Et oculos ſuos clauſerunt*. ne ſcilicet attenderent & intelligerent in Meſſia, in operibus & verbis ejus id, quo corrigerentur, ſed potius id, quo magis perverterentur, id eſt, ultro excæcaverunt ſe malitia ſua. Nam cæcitas, ſeu impotentia illa videndi oritur, ut diximus, ex affectu ſtabiliter averſo a divinis ad terrena. *Ne quando videant oculis*. Hebr. eſt, *ne forte*, quomodo & Luc. reddit Act. 28. quo ſignificatur, vel ſimpliciter illum eſſe effectum craſſi, pinguiſque & cæci cordis, efficere ſcil. ut in poſterum non videant oculis, &c. vel certe eos hoc ipſum affectare, ne quid *videant, audiant, intelligant*, quo a rebus amatis abſtrahantur, & *convertantur* ad Deum, & per ju-

ſti-

ſtificationem *ſanentur* a Deo. Nam illum eſſe quorundam affectum patet ex Pſal. *Noluit intelligere, ut bene ageret*, id eſt, ne bene ageret: & Aug. de ſe lib. 8. Confeſſ. c. 7. At ego adoleſcens miſer valde e iam petieram a te caſtitatem, & dixeram, da mihi continentiam, ſed nolli modo: timebam enim, ne me cito exaudires, & cito ſanares a morbo concupiſcentiæ, quem malebam expleri quam extingui.

16. *Veſtri autem beati oculi*, nempe corporales, *quia vident*, me & opera mea: vident, inquam, corpore ſentiendo, & mente intelligendo. Nam quia diſcipuli hic præferuntur Judæis, neceſſe eſt includere viſionem mentis, ſeu intelligentiam, juxta v. 13. & quia mox iidem diſcipuli præferuntur Prophetis, neceſſe eſt non excludere viſionem corporalem. Idem judicium de auribus, quibus audiunt.

17. *Quia multi Prophetæ, et juſti*, deſiderio futuræ redemptionis flagrantes, *cupierunt videre*, oculis ſuis præſentia, quæ credebant futura, Salvatorem ſcilicet mundi, & opera ejus, *et non viderunt*: ſed ut Apoſtolus ad Hebr. 11. a longe aſpexerunt, & ſalutarunt. *Et audire, quæ auditis*, me ſcilicet regni cælorum myſteria pandentem.

19. *Omnis, qui audit verbum regni*, id eſt, ſi quis audit prædicationem de regno cælorum, ſeu Evangelii, *et non intelligit*, id

id eſt, non curat intelligere, ſeu non meditatur illud, & fovet corde velut in terra recondens, ut fructum ferat: culpa enim hic notatur: *venit malus*, Græce *ille malus*, antonomaſtice, nempe diabolus immutabiliter malus, qui per volucres cœli apte ſignificatur, tum propter locum, in quo verſatur, tum propter velocitatem, ſuperbiam, & perpetuam ſedulitatem, qua inſidiatur ſemini. *Et rapit*, procurata oblivione, vel detorto in alias curas animo, *quod ſeminatum eſt*, per aures, *in corde ejus*: *Hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt*, qui ſignificatur portione illa terræ, juxta viam publicam ſitæ, & pedibus prætereuntium calcatæ atque induratæ. Dicitur hic homo ſeminatus, non ſicut ſemen, quod paulo ante dicebatur ſeminatum, ſed ſicut ager ſemine conſperſus: unde & Sata dicuntur agri, qui ſeruntur. Significatur itaque cor iſtius hominis eſſe inſtar viæ publicæ peccandi conſuetudine induratum, nullo fructificandi deſiderio velut aratro ſciſſum ac præparatum, ideoque ſemen verbi Dei auribus, non animo recipiens.

20. *Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt*, id eſt, qui ſignificatur per terram inter petras excipientem ſemen, eo ſenſu, quo verſu præcedente, *hic eſt, qui verbum*, auditum, *continuo cum gaudio accipit*, id eſt, mox ut audivit prædicationem, delectatus illius veritate, pulchritudine, re-

rectitudine, in animum recipit, probat, credit, & in opera nonnulla velut herbam erumpit. Hoc enim sibi vult, quod in parabola dicitur *continuo exortum*, quia ad illam primam delectationem, veluti teporem Solis, mox gestit verbis factisque fructum aliquem polliceri.

21. *Non habet autem in se radicem*, id est profundum & constans propositum, quod Apostolus ad Epes. 3. v. 17. vocat *non esse in charitate radicatum & fundatum*: quod optime significatum fuit semine non habente terram multam seu quod intus latentibus petris sola superficie terræ tegebatur. Nam illa affectio pietatis superficialis est, neque intima cordis ipsius penetralia seu affectus mutati sunt, sed instar saxorum duri manent; ideo *est temporalis* id est, ut Lucas, ad tempus credit, quamdiu scilicet nihil eorum tangitur, quæ inveteratis & intimis illis ac profundis cordis affectibus diligit. Unde *facta tribulatione et persecutione propter verbum*, id est, propter fidei vel justitiæ professionem, veluti ad æstum Solis humore consumpto, *continuo scandalizatur*, id est, etiam solo timore amittendi, quæ diligit, offenditur, ac deserit fidem aut justitiam. Nam ut æstus Solis herbas humore & radicibus destitutas enecat, radicatas maxime promovet: ita persecutio infirmos dejicit, firmos perficit.

22. *Qui autem seminatus est in spinis*, id est,

est, terra spinosa figuratus, in quo ex parte terræ nihil deerat: neque enim vel prorsus induratus erat, sicuti primus: neque prioris vitæ vitiis tamquam petris plenus, ut secundus. *Hic est, qui verbum audit*: supple, & intelligit, atque in animum immittit, ut profundas radices agat. Præfertur enim hic præcedenti, neque germinatio, aut radicatio, aut culmus aliquis, sed solus ei fructus deest. Nam *sollicitudo sæculi istius*, id est, rerum quarumlibet, ad hoc sæculum pertinentium: nam Marc. dicit, *circa reliqua concupiscentiæ*. Sub his comprehenditur quidquid anxii homines in hoc mundo quasi innocenter conflectantur, præter regnum Dei, ut honores, splendores familiæ, lites pro temporalibus, voluptates, quas expressit Lucas, etiam divitiæ: sed quia istæ generalissimum publico hominum studio quæsitum & minime agnitum impedimentum sunt, hinc speciatim addit: *et fallacia divitiarum*, id est, fallaces & seductrices divitiæ, quia blanda spe promittunt id, quod præstare non possunt, quietam scilicet beatitudinem, cum tamen curis in acquirendo & conservando præsentem maxime turbent, futuram plerumque auferant. Porro hæc omnia spinæ sunt, quia sollicitudo rerum divinarum delinit animam, serenat, colligit. *Suffocat verbum*, quia totus affectus, & vigor & conatus animæ in illa de-

derivatur, & ita obruitur atque extinguitur affectus vitæ melioris.

23. *Qui vero in terram bonam seminatus est.* Bonam vocat non natura tantum, sed & cultu, id est, quæ & pinguis, & aratro subacta, & petris spinisque purgata est. Hæc item triplex est, sicut & infructuosa. Nam omnis quidem fructum adfert, sed *Aliud centesimum, aliud sexagesimum, et aliud trigesimum.* Græce est (*alius*) in genere masculino, quod referri potest vel ad *verbum* seu *sermonem*, vel ad *hominem:* Contextus congruentior videtur, si ad hominem seminatum seu semine conspersum referas. Noster retulit ad verbum, tamquam ad granum seminatum, quod in quibusdam fert fructum centesimum, &c. Græce clarius, *centum, sexaginta, triginta;* supple, pro uno grano, quod sparsum fuit. Quo indicatur, quod quemadmodum fertilitas terræ pro soli & cultus diversitate diversa est, ita ut una centuplum reddat, alia minus (numerus enim certus pro incerto ponitur) ita & profectus hominum in ferendis perseveranter fructibus bonorum operum. Quæ diversitas, quia non solum apparet in singulis electis cujuscumque status, sed etiam in statibus ipsis hominum, hinc est, quod multi Patres, ut Hieronym. hic & Epistol. ad Ageruchiam, Athanas. Epistol. ad Ammon. Monachum, & alii, cente-

simum fructum attribuant Virginibus; sexagesimum Viduis continentibus; trigesimum castis Nuptis. August. vero libro 1. Quæst. Evangel. q. 9. centesimum assignat Martyribus, sexagesimum Virginibus, trigesimum Conjugatis. Alii illas diversitates aliis modis applicant, quos vide enumeratos apud Aug. lib. De sancta Virginitate cap. 45.

24. *Simile factum est regnum cœlorum homini*, id est, Simile quid agitur in regno cœlorum, ac si homo seminaret semen bonum, & inimicus clam zizania superseminaret. Quem loquendi modum Evangeliis familiarissimum explicavit Marc. cap. 4. vers. 26. cum dicit, *Sic est regnum Dei, quemadmodum si jaciat homo sementem*, &c. In cujusmodi phrasibus, *Regnum cælorum* aut *Regnum Dei* intelligitur esse populus regnaturus, hoc est Ecclesia ad regnandum in cælis destinata. Apte autem jungitur hæc parabola præcedenti, ne quis putaret, bonum illud semen ita fructuum fertile futurum, ut nihil haberet mali seminis, unde zizania nasci possent, admixtum. Sed hæc est differentia utriusque parabolæ, quod ibi semen Christi est verbum Dei, hic vero homines, in quibus fructificat verbum Dei: ibi via & loca saxosa & spinosa sunt eadem quæ zizania. Explicuit autem parabolam ipse Christus, ita ut in ea ipsemet sit seminator boni seminis, *ager* mundus,

dus, id eſt, Eccleſia per totum mundum ſuſa: ut Aug. Ser. 18. De verbis Domini c. 9. & ex profeſſo libro ad Donatiſtas poſt Collationem c. 6.

25. *Cum autem dormirent homines*, id eſt, clam, tempore ſibi opportuniſſimo, cum negligentius agerent Prælati, vel etiam cum mortui eſſent Apoſtoli, ut Auguſt. quæſt. 12. in Matth. *inimicus ſuperſeminavit zizania*, id eſt, diabolus hæreticos in medio fidelium, qui aſperſis pravis erroribus, falſiſque opinionibus, præcedente Chriſti nomine, ſuperſeminantur, & corporaliter fidelibus mixti ſunt. Quamquam omnes omnino malos per zizania intelligat quæſt. cit.. *Et abiit:* quia per hæreſes diabolus fit occultiſſimus, inquit idem: omnes enim fallacias ſuas proponit ex Scripturis ſub nomine verbi Dei.

26. *Cum autem creviſſet herba, et feciſſet fructum ſuum, tunc apparuerunt et zizania.* Quo pulchre ſignificatur, quod cum homines proficere cœperint in Spiritu Dei, tunc incipiant malos ſentire, & hæreticorum errores cognoſcere, ut Auguſt ibid. & aliis locis notat.

27. *Accedentes autem ſervi patrisfamilias:* non Angeli, ſed homines boni, quibus offenſis tanta malorum & hæreticorum multitudine, ſuboritur voluntas eos de rebus humanis auferendi, dicendo:

28. *Vis, imus, et colligimus ea?* Quibus reſpondetur,

29. *Non*: idque non ut Eccleſiaſtica negligatur diſciplina, & ceſſet vindictæ medicinalis, & charitatis ſeveritas, ſed, *ne forte colligentes zizania*, ſeu malos, *eradicetis ſimul et triticum*. Quod periculum ſubeſt, quando zizania tritico ita ſunt ſimilia, ut certo dignoſci non poſſint, ut notat hic Hieron. Itemque, ut Auguſt. quando eſt periculum ſchiſmatis, & ne zizania infirmum triticum ſecum in perniciem trahant. Cum autem metus iſte non ſubeſt, ſed omnino de frumentorum ſtabilitate certa ſecuritas manet, ſatis inſinuatur, non debere dormire ſeveritatem diſciplinæ, de quo vide latius lib. 3. contra Epiſt. Parmeniani cap. 2. Itaque

30. *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem*, id eſt conſummationem ſæculi, ut ſcilicet interea vel ipſi Deo inſpirante corrigantur, vel ſaltem proficiant alii ex occaſione & comparatione, & exercitatione alieni erroris. *Et in tempore meſſis dicam meſſoribus*, id eſt, Angelis, quia eorum miniſterio finis adferetur rebus mortalibus, mundus ardebit, mortui ſuſcitabuntur. *Colligite primum zizania*, ſeparando malos a bonis, qui in regno Chriſti, per totum mundum ſparſo, hoc eſt Eccleſia, velut ſcandala & offendicula bonorum tam moribus quam doctrina permixti fuerunt, *et alligate ea in faſciculos*, ut non confuſe, ſed pro modo

per-

perverſitatis fuæ uniuſcujuſque erroris pertinacia puniatur, inquit Auguſt. Quæſt. illa 12. cit. Unde Serm. 39. de Sanctis, *Alligate in faſciculos*, id eſt, inquit, ſimiles cum ſimilibus, fures cum furibus, homicidas cum homicidis, &c.

31. *Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis.* Regnum cœlorum hic alii volunt eſſe Chriſtum, alii fidem Chriſti, alii Eccleſiam, alii Evangelium ſeu doctrinam Evangelicam: quod cæteris veriſimilius eſt. Quamquam in hujuſmodi locutionibus tantum ſignificetur, in regno cœlorum, ſeu in regno Chriſti ſimile quid accidere atque in ſemine, in grano ſinapis, in fermento, &c. ut jam v. 24. diximus. Hic ergo regnum cœlorum ratione doctrinæ Chriſti, ſeu ipſa doctrina Evangelica comparatur grano ſinapis. Conditiones ejus mirificas breviter tangit Plinius lib. 19. cap. 8. in fine: Acerrimum ſapore ignei effectus, ac ſaluberrimum corpori Sinapi. Latius autem exequitur lib. 20. cap. 22. virtutem ejus, ad pleroſque morbos curandos. Ex proprietatibus ejus Auguſtinus Quæſt. Evang. libr. 1. qu. 11. conſideravit fervorem, & quod venena expellat. Hilarius Can. 13. quod ſit acre ſemen, molle, minimum, cujus virtus preſſuris accenditur, nempe quia tritum vim ſuam exerit, ſicut Evangelium perſecutionibus. Quam-

vis ista vera sint, Christus tamen ipse similitudinem explicat, in eo sitam esse:

32. *Quod minimum quidem sit in omnibus seminibus*, id est, unum ex minimis omnium; nam semen rutæ & alia nonnulla minora sunt. *Cum autem creverit, majus est omnibus oleribus*, id est, maximum omnium, seu unum ex maximis omnium: ita scilicet, ut fiat *arbor*, id est arbuscula. Lignescit enim stipes ejus, & in locis maxime calidis longe supra humanam staturam assurgit: ita ut *volucres habitent - - in ramis ejus*, non tam nidulandi causa, ut quidam transtulerunt (neque enim nidos in eis faciunt) sed potius insidendi & vescendi; multum enim delectantur granis ejus. Alteram similitudinis partem supprimit Christus: q. d. Ita & doctrina Evangelica in mundo seminata inter omnes doctrinas abjectissima erit & minima, quantum ad pompam eloquentiæ, rationum naturalium apparatum, sæcularem prædicantium auctoritatem, utpote Judæis scandalum, Gentibus stultitia. Sed semel sparsa non ebulliet in folia & herbas, sicut doctrina Philosophorum, quæ nihil mordax aut vividum habet; sed crescet in arborem firmam, longe lateque fusam, quia firmitate, soliditate, celebritate, æternitate, & sectantium multitudine omnes omnino doctrinas superabit: ita ut volucres cæli, id est, Reges & Principes, vel quicumque ad cæ-

le-

leſtia ſubvolare volent, ſub umbra ejus victuri ſint. Idem ergo ſignificat hæc parabola, quod illa Danielis de lapide, qui crevit in montem implentem univerſam terram. Proprie enim hic ſignificatur Evangelii progreſſus a parvis initiis in prodigioſam magnitudinem. Efficacia vero ejus indicatur ſequenti parabola, qua eadem doctrina ſimilis dicitur

33. *Fermento, quod mulier abſcondit*, ſeu miſcuit, quia pinſere fere erat mulierum officium, ut indicatur etiam Levit. 26. v. 26. *In farinæ ſatis tribus.* Satum menſuræ genus, Hebr. *Seah*, tria faciebant Ephi, & tantum unica vice pinſi ſolebat, ut patet Gen. 18. v. 6. Significatur ergo, quod, ſicut modicum fermenti ingen i maſſæ farinæ mixtum ſuo ſapore univerſ m pervadit, in ſe convertit, acore elevat, levem reddit, & ſapidam: ita Evangelium quamvis humile occulta vi univerſum orbem afficiet, & in ſuam naturam convertet. Singula ſingulis applicat Aug. l. 1. Quæſtion. Evang. qu. 12. ut mulier ſit ſapientia, fermentum, dilectio, quia fervere facit & excitat: ſata tria, cor, anima & mens, vel tria hominum genera, Noe, Daniel & Job, id eſt, Eccleſiarum Præpoſiti, continentes & conjugati. Plures alios ſenſus vide apud Hieron.

34. *Hæc* igitur *omnia in parabolis loquebatur.* Cauſam videtur Marc. indicare,

cum addit, *prout poterant audire.* Quo non significatur, Christum se attemperasse captui ipsorum, aut ut facilius parerentur ad mysteriorum captum, ut quidam intelligunt, sed potius, sicut ipse Christus supra late indicavit, prout digni erant; ut scilicet qui posset capere, caperet, & ad interrogandum suscitaretur, in cæteris vero sub parabolarum cortice cælestis doctrina, sine profanatione lateret: ita ut hac ratione

35. *Impleretur quod dictum erat per Prophetam*, qui typum gerebat Christi Domini, sive David ille fuerit, sive Asaph, cui attribuitur Psalmus ille 77. *Aperiam in parabolis os meum.* Quo significat ea, quæ in Psalmo illo narrantur, tamquam in populo Hæbræo gesta, esse typos & parabolas rerum futurarum, absconditaque continere Sacramenta, ut Hieron. hic, imo Apostolus 1. ad Corinth. 10. v. 11. in quo ipso parabolico loquendi modo indicatur Christus ei similis futurus. *Eructabot abscondita a constitutione mundi.* Idem significatur quod præcedenti hemistichio, id est, instar scaturiginis ore meo profundam mysteria regni cælestis, quæ nemini ab initio creationis mundi patefacta sunt.

44. *Simile est regnum cælorum thesauro.* Duabus præcedentibus parabolis significata fuit virtus, & efficacia Evangelicæ doctrinæ; duabus sequentibus ejus

pre-

pretium. Itaque thesaurum absconditum Hieron. putat esse verbum Dei absconditum in carne, August. duo testamenta. Vel congruentius ad præcedentia, eadem doctrina & sapientia Evangelica de regno cœlorum, quia inæstimabilis pretii est, *abscondita in agro*: quia revera a sæculo in mysterio abscondita fuit, per typos tantum & parabolas in veteri Testamento significata, & revelata postremis temporibus. *Quem qui invenit homo abscondit*, id est, absconditum esse sivit, tacuit, nemini aperuit, ne scilicet sibi præriperetur. Quo significatur, thesaurum illum Evangelicum inventum, non esse jactanter ostentandum: sed in corde procul ab humanis laudibus, ut Greg. custodiendum. *Et præ gaudio illius*, insperate inventi, *vendit universa, quæ habet, et emit agrum illum*, id est, omnium libenter jacturam facit, ut illum obtineat. Quo indicatur, thesaurum illum cum omnium omnino rerum charissimarum, etiam ipsius vitæ jactura esse comparandum & servandum, si aliter obtineri non potest. Conformiter plane ad illud Lucæ 14. v. 33. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Eodem omnino spectat parabola sequens de margarita, prout utrumque declarat Basil. in Reg. 8. fusius disputata. Omnibus enim studiis, curis, amoribus & rebus pretiosissimis, ut sunt thesaurus & lapides

pretioſi, cœleſtis illa ſapientia de regno cœlorum aſſequendo præferenda eſt. Unde, quia multi ab iſta animi fortitudine deficiunt, ne quis putaret omnes, qui inveniunt theſaurum illum, etiam reipſa regnum cælorum aſſequi, apte ſubjungit aliam parabolam.

47. *Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare.* Sagena hæc eſt Evangelica prædicatio, ut Auguſt. Serm. 21. de diverſis cap. 3. vel, (quod in idem redit) ut idem Serm. 5. c. 2. & alibi ſæpiſſime contra Donatiſtas, eſt ipſa Eccleſia, quæ inſtar ſagenæ ſeu retis mittitur *in mare*, id eſt, inquit, in hoc ſæculum, fluctibus ſeu tentationibus turbulentum, tempeſtatibus periculoſum, naufragiis moleſtum, ubi ſe invicem homines quaſi piſces devorant. *Ex omni genere piſcium congreganti*, quia tam bonos quam malos congregat fide, ſcripturis, ſacramentiſque Chriſtianis, quibus incluſi indiſcrete in mundo, velut mari, natant.

48. *Quam, cum impleta eſſet*, Cum ſcilicet plenitudo Gentium intraverit, *educentes, et ſecus littus ſedentes*, quia educetur Eccleſia ex fluxis & inſtabilibus ſæculi hujus undis ad ſtabilem illum immortalis vitæ ſtatum, velut in littus, *elegerunt bonos in vaſa.* Vaſa ſunt Sanctorum ſedes, & beatæ vitæ magna ſecreta, quo non omnes perveniunt, qui Chriſti-

ſiani appellantur, ut idem Serm. 121. Reliqua in parabola manifeſta ſunt.

52. *Ideo*, quia intellexiſtis myſteria, & pretium eorum, ne putetis vos vobis tantum debere ſapere. Nam *omnis ſcriba doctus*, id eſt, doctor Evangelicus, qui bene conſtitutus eſt, *in regno*, Græce ad regnum, *cœlorum*: hoc eſt, ad myſteria regni cælorum prædicanda, *ſimilis eſt homini patrifamilias*, id eſt, ſimilis eſſe debet bono patrifamilias, qui non ſibi ſoli reſervat, ſed *profert de theſauro*, penuario ſcilicet, id eſt, non vivit in diem, ſed ex annona, quam diu ante collegit ac repoſuit, profert convivis *nova et vetera*, id eſt, omnium ciborum genera, ut omnium neceſſitati & palato faciat ſatis. Quo ſignificatur doctorem regni cœleſtis ex ſcientiæ theſauro, jam ante longa meditatione, contemplatione, exercitatione præparato, proferre auditoribus pro cujuſque captu & ſtatu omne doctrinæ, exemplorum ac parabolarum genus, adeoque conſequenter tam ex veteri quam ex novo Teſtamento, nova ſcilicet myſteria veteris Scripturæ teſtimoniis illuſtrando, ut paſſim Chriſtus facit. Nam iſtud hic ſimul eſſe inſinuatum, quidquid improbet Calvinus, docent unanimiter veteres; Hilar. Hieron. Chryſoſt. Euthymius in hunc locum, Iren. lib. 4. cap. 2. Auguſt. Quæſtion. 16. in Matth. Athanaſ. & alii.

54. Cum autem veniſſent *in patriam ſuam*,

am. Triplex erat Christi patria, Bethleem, ubi natus est; Capharnaum, ubi frequenter versatus, de qua supra cap. 9. v. 1. & Nazareth, ubi educatus, quam hic intelligi ex Luca patet cap. 4. v. 16. *Docebat eos in synagogis eorum*, id est, Synagoga: neque enim plures videntur fuisse in tantillo oppidulo: nisi per *Synagogas* ipsos conventus hominum intelligas, quomodo Concio, & Ecclesia dicuntur ipse populus. *Ita ut mirarentur et dicerent: unde huic sapientia hæc*, cum scilicet litteras non didicerit, ut est Joan. 7. v. 15. *Et virtutes*, id est, miracula seu potestas patrandi tam mirabilia?

55. *Nonne hic est fabri Filius?* Marci 6. v. 3. dicunt, *Nonne hic est faber?* vel qui tamquam fabri filius etiam faber putabatur, ut Augustin. 2. de consensu Evangel. cap. 42. vel, ut verisimile, quia vere fabrilem simul exercuit. Hilar. hic fabrum ferrarium fuisse putat, alii murarium: Justinus, auctor antiquissimus, Dialogo cum Triphone clare dicit, eum aratra & juga boum confeciſſe, hoc est, fuisse lignarium. Cui consentit Ambros. Sermone quodam de Nativitate, & Auctor operis imperf. Unde ille apud Sozomenum lib. 6. c. 2. arcam ligneam fabricat Juliano ad mortem. Ex quo patet, istam & tunc, sicut & nunc est, publicam fuisse opinionem. Unde & nonnulli volunt quia tractant fabrilia fabri,

eum

cum ſub jugi & aratri ſymbolis Evangelium ſuum propoſuiſſe, Matth. 11. v. 29. & Lucæ 9. v. ult. *Nonne mater ejus dicitur Maria*, nullo ſcilicet dignitatis aut honoris titulo illuſtris aut nota, *et fratres ejus*, id eſt, cognati. Hebraiſmo valde uſitato: *Jacobus* qui cap. 10. v. 3. dicitur *Alphæi*, ſcilicet filius, & Marci 15. Jacobus minor, unus ſcilicet ex Apoſtolis. *Et Joſeph*, Jacobi jam dicti frater, ut eſt cap. 27. v. 56. Ubi ſimiliter conſtat, utrumque fuiſſe filium Mariæ quæ Joan. 19. vocatur Cleophæ, ſcilicet filia, ut Hieron. libro contra Helvidium: erat enim uxor Alphæi. Quamquam probabile ſit, Alphæum & Cleopham eundem eſſe, cujus uxor Maria, fuerit mater omnium, qui hic nominantur. *Et Simon*. Euſeb. lib. 3. Hiſtor. cap. 10. ex Hegeſippo tradit & iſtum fuiſſe filium Cleophæ, fratris Joſephi, mariti Mariæ Virginis. *Et Judas*: Lucæ 6. v. 16. vocatur *Jacobi*, ſcilicet frater; ſicut & ipſemet ſe vocat initio Epiſtolæ ſuæ. Itaque quatuor iſti *Jacobus*, *Joſeph*, *Simon*, & *Judas* fratres erant, filii Mariæ, uxoris Cleophæ, alias Alphæi, fratris Joſeph.

56. *Et Sorores ejus*, id eſt, cognatæ, non ex materno genere, ſed paterno, ut indicat Aug. Quæſt. 17. in Matth. hoc eſt, patrueles, neptes ſcilicet Joſephi (qui putabatur pater ejus) ex fratribus aut ſororibus. Nam ut Hieronym. loco cit. Miraris, inquit

quit, ſi errant in fratribus, qui errant in patre? Eodem modo æſtimentur & fratres, quo æſtimatus eſt pater.

57. *Et ſcandalizabantur in eo*, id eſt, offendebantur educationis & proſapiæ humilitate, ſeu impingebant in eum, velut in lapidem offenſionis, ita ſcilicet, ut propterea non crederent eum eſſe Meſſiam: forte & malis artibus, ut alias factum eſt, ſapientiam illam & virtutes tribuebant. *JEſus autem dixit eis: non eſt Propheta ſine honore niſi in patria*, &c. Familiaritas enim contemptum parit, & pluris æſtimantur peregrina quam domeſtica: denique quia, ut Hieron. propemodum naturale eſt, cives civibus invidere, dum gloriam contribulis ſuam confuſionem putant.

58. *Et non fecit ibi virtutes multas.* Paucos enim tantum infirmos curaſſe notat Marc. cap. 6. v. 5. *Propter incredulitatem eorum.* Miraculis enim Chriſtus fidem ſolebat prærequirere, ut ſup. c. 9. v. 28. & alibi paſſim. Uſque adeo, ut, ſi qui increduli aut curioſi illa peterent, nunquam faceret, ut patet in Herode, Lucæ 23. in Phariſæis, Matth. 12. & in hæreticis etiam hodie, qui cum ea maxime videre velint, minime vident, quia ex incredulitate ea petunt. Et hæc eſt ratio, cur Marcus dicat, *Non poterat ibi virtutem ullam facere*, nempe quia miraculis indigni erant, & res incongrua.

Ca-

CAPUT XIV.

1. DE morte S. Joannis dicemus Marci 6. de multiplicatis vero panibus Joan. 6. ubi accuratius ista narrantur.

22. *Et statim JEsus compulit discipulos ascendere*, eo quod inviti ab eo divellerentur, tum propter se, tum propter ipsum, eo quod nox instaret, & nullæ essent naves, quibus sequi posset. Idcirco autem verisimiliter eos abesse Christus voluit, partim ne facile cum turbis conspirarent, cogitantibus eum in Regem tollere, ut narrat Joan. cap. 6. vers. 15. partim ut expeditius turbæ dimitterentur (ut hic indicatur) discipulis jam profectis; partim ut solus oraret, & denique ut sequenti miraculo pararet viam.

23. *Et dimissa turba*, id est, cum turbis valedixisset, & abire jussisset, tametsi ibi tota nocte manserint, & eum exspectaverint, ut patet Joan. 6. vers. 22. & seqq. *Ascendit in montem*, ut vim turbæ fugeret, volentis eum creare Regem, ibidem. *Solus orare*, id est, ut ibi solitarius oraret. Secessum & solitudinem amat oratio: unde & Christus plerumque montes & deserta quærit.

24. *Navicula autem*: in qua discipuli erant

rant, *in medio mari* Geneſareth, id eſt, in profundo, *jactabatur fluctibus.* Notat periculi magnitudinem: *erat enim contrarius ventus*, quem Chriſtus ipſe poſt diſceſſum eorum videtur ſuſcitaſſe, ad probandam eorum fidem ac conſtantiam.

25. *Quarta autem vigilia noctis*: quæ eſt poſtrema noctis pars, apparente ſcilicet diluculo, diciturque *Vigilia matutina* Exod. 24. verſ. 24. Nox enim tota in quatuor partes dividebatur, quæ Latinis dicebantur Vigiliæ, Græcis vero & Hebræis Cuſtodiæ, eo quod quater, ſingulis ternis horis, vigiles ſeu cuſtodes mutarentur, juxta diſciplinam militarem. Itaque tota pene nocte cum tenebris, vento, fluctibus luctati fuerant. *Venit JEſus ambulans ſupra mare*, adhuc fluctibus turbidum ac furens. Ex quo colligitur, quod mare non ceſſerit veſtigiis ejus, hoc non proveniſſe ex aliqua conſolidatione undarum, inſtar glaciei, ne diffluerent, ſed potius ex eo, quod gravitatem corporis impediret, ne pro natura ſua deorſum vergendo, aquas finderet. Quo viſo diſcipuli

26. *Turbati ſunt.* Nimis brutam igorantiam & craſſum ſtuporem hoc vocat Calvinus in Harmonia: ſed ipſemet refutat ſe, in Joannem ſcribens: fieri, inquit, non poteſt, quin conſternatio nos invadat, viſo ſpectro. Nam Evangeliſta notat, eos putaſſe, quod corpus graye ambulans ſu-

ſuper mare, quod præ nocturnis tenebris non dignoſcebant, eſſet *phantaſma*, id eſt ſpectrum ſeu illuſio diabolica: cujuſmodi etiam iis, quibus apparent, ſubinde nocere ſolent. Cum clamaviſſent, confuſa ſcilicet & incerta voce, quod magni timoris indicium fuit,

27. *Statim locutus eſt JEſus.* Ubi enim ſumme periculum crevit, Dei auxilium adeſſe ſolet. Nam in iſta hiſtoria ſpeculum datur, quomodo Deus fideles ſuos tentare, probare, in extremum periculum ac timorem adducere, ac denique liberare ſoleat, ut pulchre & latius expendit Chryſoſt. Hom. 15. in Matth.. *Habete fiduciam*, in me præſentem. Quia vero eum in tenebris non dignoſcebant, addit: *Ego ſum*, non ſpectrum: nam, ut Hier. ex voce ſibi nota poterant eum agnoſcere. Itaque *nolite timere*, ſive a ſpectro, ſive a mari. Simul autem cum voce pacem animoſamque fiduciam animis infudit. Ille enim ſolet eſſe effectus vocis Dei loquentis, non tantum ſignificare, ſed cum dicto etiam efficere; apparendo timorem, loquendo afferre tranquillitatem: ſpectra e contrario.

28. *Reſpondens autem Petrus dixit: domine ſi tu es.* Multis modis reprehenditur hic a Calvino Petrus, infirmæ fidei, inconſiderationis, temeritatis, ſtultitiæ. E contrario Hieron. Hilar. Chryſoſt. Theophil. hic, & Auguſt. Serm. 13. de verbis

Dom. extollunt fidem Petri, & ardentissimam charitatem. Itaque quod dicit, *si tu es*: non de Christi virtute dubitat, sed de persona: nam & spectrum poterat effigiem & voeem ejus mentiri. Proinde ex modestia non dicit: Veni ad me, sed ex magnitudine fidei de Christo dicit, *Jube*, ita scilicet ut res ipsa sequatur: nam & hoc spectrum jubere poterat: ex ardore vero dilectionis addit, *me venire ad te*, id est, non vanitatis, non ostentationis causa, sed ut tibi adsim, te clarius cognoscam, venerer, amplectar, tecum eam. Nam Christus videbatur navem prætereundo, iter reliquum pedibus velle conficere, Marc. 6. v. 48.

29. *At ipse ajt*, *veni*, non ut stultitiam Petri experientia redargueret, ut Calvinus garrit, sed ut Christus se verum dixisse probaret, & Petri fidem charitatemque commendaret. *Et descendens Petrus*, eo quod efficaciam jubentis ex infusa animi securitate sensisset, & tentanti aquæ non cederent: ideo enim non dicitur prosiliisse in aquam, sicut fecit Joan. 21. sed descendisse.

30. *Videns vero ventum validum*, oculis scilicet ab adjutore in periculum deflexis, *timuit*: cum tamen jam esset Christo propinquior; sed, ut Chrysost. Homil. 51. hæc est humanæ naturæ conditio, ut difficilioribus nonnunquam superatis, succumbat in minoribus. Itaque *cum cæ-*

pis-

pisset mergi, metum sequente diffidentia, diffidentiam periculo submersionis, *clamavit, dicens: domine salvum me fac.* Nam pericula magna excitare solent sopitam fidem ac dilectionem. Hæc enim verba sunt nihil dubitantis de auxiliatoris potestate; & ideo, revivisçente ejus fide

Continuo JEsus extendens manum apprehendit eum: iterum ambulare cœpit super aquas, tantum scilicet spatii revertens, quantum a navi ad Christum ambulaverat prout notat Cyril. catechesi 5. Ut ergo sciret non a ventis, sed a fidei imbecillitate periculum proveniisse, addit Christus:

31. *Modicæ fidei quare dubitasti?* non de potentia jubentis, quia alioquin non invocasset eum; sed quare animo fluctuasti? Græce *e distasas* id est, cur huc illuc animus tuus impulsus fuit? Significatur enim, fiduciam, & consequenter fidei vigorem ex furentis maris metu remissiorem factum, sicut contingere solet iis, quibus animus nunc in periculi magnitudinem, nunc in auxilium Dei defigitur, quamvis de potentia Dei nihil speculative dubitent.

32. *Et cum ascendissent in naviculam.* Unde quod Joan. dicit, *Voluerunt eum accipere in navem*, sic intelligendum, ut non excludatur acceptio, sed tantum, ut voluerint accipere, tamquam diu cum ipso navigaturi, cum tamen navis statim

ad terram appulſa fuerit, ut ibid. dicit, quod tertium erat miraculum: quartum vero, quod *ceſſavit ventus*.

33. Quibus moti dixerunt ii, qui in navicula erant, *vere Filius Dei es;* non adoptione, ut vir juſtus, ſed natura, qualem te prædicas. Sic enim intellexerunt Chriſti verba etiam Judæi, & hac de cauſa eum Joan. 10. lapidare voluerunt, & Joan. 19. ſecundum Legem ſuam mori debere dixerunt. Allegorice, mixto ſenſu morali, tractat hiſtoriam totam Auguſt. Tract. 25. in Joan. ſed late & ex profeſſo toto Serm. 22. de diverſis. Navicula enim eſt Eccleſia; fluctus, tentationes & adverſitates, diſcipulorum pavor, conturbatio fidelium: ſed JEſus, cum ſolus areſurrectione ſua in monte ſit, ambulat ſuper omnes tumores, fluctus, & Principatus hujus mundi, in fine tranquillitatem ſuis allaturus. Supplet nonnulla qu. 15. lib. 1. Quæſtion. Evang.

34. *Et cum transfretaſſent, venerunt in terram Geneſar.* Confundunt hanc terram nonnulli cum terra Geraſenorum, de qua c. 8. v. 28. ſed certum eſt eos falli. Nam *Geraſa* erat trans Jordanem: *Geneſar* cis Jordanem, prope Bedſadaim, Hebraice dicitur *Generath*; Latine melius *Geneſar* vel *Geneſareth*. Eſtque tum civitas, tum terra, protenſa juxta lacum, eodem nomine appellatum, natura & pul-

pulchritudine admirabilis, prout eam describit Joseph. lib. 3. de bello Judaico c. 18.

36. *Et rogabant, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent*, id est, ut vel ista minima facillimaque accessione ad Christum, se sanari permitteret. Superstitione implicitos eos vocat Calvinus hic, eo quod ad tactum vestis restringerent Christi gratiam: cum potius Christi gratiam fidei magnitudine ad vestes extenderent. Unde cum Christus miraculis suis non soleat superstitionem confirmare, ut hic, & Matth. 9. v. 22. similem tactum vestis etiam voce laudaverit, firmum manet argumentum, pro cultu Crucis Domini & Reliquiarum; quem Calvinus hinc stabiliri metuebat.

CAPUT XV.

1. TUnc *accesserunt scribæ et Pharisæi ab Jerosolymis*: tamquam qui ibi cæteris sanctiores, atque doctiores haberentur, & ideo gloriæ Christi magis inviderent. Nam alioqui, ut Chrysost. & Theophyl. notant per omnia loca dispersi habitabant, eo quod plerique essent Levitæ. Cum ergo Christum non possent carpere, carpunt discipulos, non de transgressione Legis Dei, sed de traditione seniorum, seu

majorum violata. Nam illarum contemptus redundabat in Phariſæos, qui eis ſuccedebant & ſimilium traditionum erant architecti. Et hæc fuit ratio, cur acrius eas tuerentur, quam leges Dei. Caput autem accuſationis erat:

2. *Non enim lavant manus ſuas, cum panem manducant*, id eſt, inter manducandum. Non enim loquuntur de vulgari illa lotione, quæ ante cibum civilis honeſtatis causa adhiberi ſolet, ſed de religioſa, ſeu ſuperſtitioſa, qua, ut Marcus ajt, non comedebant, niſi crebro laverint manus, ſcilicet tam ante quam inter comedendum: item quandocumque redirent ex foro, ubi verſabantur in omni hominum genere. Eamdem curam adhibebant, ut ex Marco patet, calicibus, urceis, æramentis, id eſt, vaſis æreis, lectis, ſeu thoris, in quibus accumbebant menſæ, hoc eſt, omnibus inſtrumentis convivii, nimirum, ne vel ipſi, vel illa vaſa quidpiam forte tetigiſſent, quo ipſi immundi fierent; idque non juxta leges in Levitico præſcriptas, quibus ſufficiebat mundari, quando re ipſa fiebant immundi, ſed juxta traditiones ſcrupuloſas, & ſuperſtitioſas ſuperadditas. Itaque Chriſtus accuſationem graviori accuſatione, ut clavum clavo pellit.

3. *Quare et vos tranſgredimini mandatum Dei*: quod longe gravius eſt facto diſcipulorum meorum; *propter traditionem veſtram*,

ſtram, id eſt, ſtudio ſervandæ traditionis veſtræ? Qua indicat & quanti eſſent faciendæ illæ traditiones, utpote repugnantes legi Dei: & præpoſterum Phariſaicæ pietatis ſtudium. Hujuſmodi traditiones vocantur a Judæis Lex oralis, ut diſtinguatur a lege ſcripta. Auctorem earum ipſi ſtatuunt Moyſen in monte Sinai, qui tradiderit eas Joſue, hic ſeptuaginta ſenibus, iſti ſynedrio magno, a quo eas Rabbini acceperint: ſicut hæc patent ex Aben Ezra, Jarchi Rabbi Bechai, & aliis in cap. 4. verſ. 14. Deuter. Quo ſpecioſo titulo quibuſlibet commentis poſterorum auctoritatem conciliarunt. Nam revera auctores plerarumque traditionum iſtarum erant recentiores quidam Akiba, Simeon, Hillel, & alii, qui aliquanto ante Chriſtum natum vixerunt, ut patet ex Hieronym. Epiſt. 151. ad Algaſiam qu. 10. Epiphanio Hæreſi 15. & 33. Quanti eas traditiones, ſeu deuteroſeis fecerint & olim & nunc, ex eo liquet, quod paſſim eas vocant fundamentum legis ſcriptæ, & religionis Judaicæ, ut loquitur Aben Ezra Præf. in Legem Moyſis, & R. Bechai in lib. *Cad Hakkemach*, id eſt, *Caduſ Farinæ*. Imo expreſſis verbis eas præferunt verbo Dei, & Bibliis, ut patet in Codice Juris ipſarum *Babæ Mezia*, & in Thalmud Jeroſolymitano Codice Beracachot, ubi hujuſmodi deuteroſeis collectæ ſunt. Deinde in libro

Eruvin ſtatuitur pæna mortis iis, qui tranſgrediuntur verba ſcribarum. Et alibi dicunt: Qui credit verbis Sapientum, perinde eſt, ac ſi crederet ipſi Deo; cum tamen pleraque, vel prorſus frivola, ac turpia ſint, qualia recenſet Hieronym. Epiſtola citat. quædam aperte contraria præceptis Dei, ut quæ Chriſtus hic tangit; *nam Deus dixit:*

4. *Honora patrem et matrem.* Quo non ſolum honor in verbis, geſtibus, & officiis deferendis præcipitur, ſed vel maxime in vitæ neceſſariis miniſtrandis, ſi hoc exigat imbecillitas, ætas, penuria, ut hic notat Hieronym. Hoc enim *Honor* in Scripturis ſignificare ſolet, ut patet tum ex oppoſitione verſ. 5. tum ex 1. ad Timoth. 5. v. 3. & 17.. *Et qui maledixerit patri vel matri*, id eſt, vel ſolo verbo læſerit, ne dum factis, *morte moriatur*, i.e. omnino abſque ulla ſpe veniæ moriatur.

5. *Vos autem dicitis*, veluti traditione veſtra interpretantes legem de honorandis parentibus: *quicumque dixerit patri vel matri*, egentibus & poſtulantibus ſubſidium neceſſarium; *munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit.* Locus perobſcurus, qui fere decem modis ab auctoribus exponitur. Prætermiſſa ſententiarum varietate, duæ cæteris præferendæ videntur. Una facillima, & textui Latino, qui addicit verbum *Eſt*, ſatis congruens. *Munus quodcumque* intellige ſacrum, Marcus enim

enim legit *Korban*, quod ſexcenties in Pentateucho vertitur *Oblatio*. Itaque Korban, ſeu oblatio quæcumque, *ex me*, offeretur in cultum Dei: illa *tibi proderit*, perinde ac ſi tibi dediſſem. Particeps enim eris fructus, tum corporalis, inde comedendo, tamquam ex epulo ſacro, tum maxime ſpiritualis. Altera magis conformis eſt textui Græco, Syriaco, & tranſlationi Hebraicæ, itemque ipſi textui Latino S. Marci, in quibus omnibus deeſt verbum *Eſt*; & maxime antiquis, Origeni in Matth. qui dicit eam ex quodam Hebræo didiciſſe; Chryſoſtomo & diſcipulis ejus, Hieronym. & aliis in hunc locum. *Munus* igitur, ſeu oblatio, Deo ſcilicet jam devota & conſecrata, *quodcumque eſt ex me, tibi proderit*, id eſt, quidquid ex me tibi prodeſſe poſſit, & tu a me expectare. Græce, *id, quo ex me juvari poſſis*; Syriace, *id, quo juvaberis*, ſeu *juvareris ex me*: q. d. Id, quod petis a me, jam Deo conſecratum eſt, non poteſt in alios uſus verti, quam ſacros. Sic enim deterriti parentes nolebant illud a filiis accipere. Hic ſenſus eo convenientior videtur, quod in hodiernum uſque diem extent veſtigia hujus traditionis ſic intellectæ in Thalmud, Cod. Neda rim. c. 11. prout eam exponunt Maimonides in Commentario & Rabbi Niſſim, qui addit, hujuſmodi votum non poſſe irritum fieri. Porro in utroque ſen-

ſu oratio eſt defectiva, & ſupplenda hoc modo: Culpa caret, aut legi ſatisfacit de honorandis parentibus. Juxta utramque etiam oblatio liberorum cedebat in lucra ſacerdotum, quorum plerique erant Scribæ & Phariſæi.

6. *Et*, ita ſecutus traditionem veſtram, *non honorificabit patrem ſuum*, &c. id eſt, non obſervabit præceptum Dei, jam dictum, ſed ſinet parentes prætextu voti egeſtate conſumi. Sunt enim hæc verba Chriſti, non Phariſæorum.

7. *Hypocritæ*; duplici titulo, & quod volentes videri divinæ legis vindices, eam traditione ſua irritam facerent, & quod prætextu cultus Dei conſulerent avaritiæ ſuæ: *bene prophetavit de vobis Iſaias*, quia exactiſſime opera veſtra & ejus prophetia conveniunt.

8. *Populus hic labiis me honorat*, id eſt, ore me colit, laudat, celebrat, invocat, ſub quo omnis externus cultus intelligitur: *cor autem eorum longe eſt a me*, quia contraria voluntati meæ cogitat, id eſt miſericordia, charitate, cæteriſve virtutibus, quibus vere color, vacuum eſt.

9. *Sine cauſa autem colunt me*: Græce *fruſtra inaniter*, ſeu, ut eſt apud Marcum cap. 6. verſ. 7. *In vacuum*, tum quod frivolus eſſet ille cultus, tum quod veri cultus non aſſequerentur finem, qui eſt cor, non labia, formare, Deumque propitium reddere. *Docentes*, id eſt, toti vacantes ad ſequendum, ali-

oſque docendum, *doctrinas et mandata hominum.* Græce & Syriace, *doctrinas, mandata hominum*, ſeu quæ ſunt mandata hominum. Quod expreſse & proprie intelligendum eſt, id eſt, mandata humano ſpiritu efficta, quæ videlicet, vel frivola ſunt, nihil conferentia ad obſervationem mandatorum Dei, in quibus verus Dei cultus ſitus eſt (cujuſmodi erant tot lotiones Phariſaicæ) vel etiam mandatis Dei adverſantur, ut illud de Korban. Hæc enim duo ſpectare Chriſtum patet ex Marco, qui pro ratione utrumque tangendo ſubjicit: *Relinquentes enim mandatum Dei*, ecce contrarietatem, *tenetis traditionem hominum, baptiſmata urceorum, &c.* ecce frivolas traditiones. Quibus obſervandis tantum impendebant ſtudium, ut propter illas Dei mandata negligerent, ut a Marco ibid. v. 9. & hic v. 3. & 6. notatur. Neutrum habet locum in traditionibus Eccleſiæ, quas ex hoc loco hæretici imperite carpunt: tum quod a Spiritu Dei, Eccleſiam dirigente, inſtituuntur; tum quod ad accuratiorem mandatorum Dei cuſtodiam, interioremque cultum promovendum faciunt; tum quod nullo modo eis adverſantur, nec ſtudio tuendi illas, Dei mandata negliguntur. Hactenus igitur ad hominem: nunc directe facti diſcipulorum rationem reddit.

11. *Non quod intrat in os, coinquinat homi-*

minem: Græce *communicat hominem*, ſicut aliquoties eſt Latine apud Marcum. *Commune* autem vocabant Judæi immundum, propter legem, aut traditionem aliquam, ſibi ſolis datam, ea ratione, quod res iſta cæteris nationibus eſſet communis, nec ab ullis niſi a ſe vitaretur, ut hic notat Hieronym. Itaque, *nihil quod intratin os*, quantumvis ſordidum, & vetitum etiam a Deo, quibuſcumque manibus, ſive lotis, ſive illotis, ſumptum, *coinquinat hominem*, natura ſcil. ſua, ita ut hominem reddat ingratum Deo. Hæc enim erat perſuaſio Phariſæorum, quod manus pollutæ polluerent cibum, cibus hominem. Rationem dicti Chriſti dat Paulus 1. ad Timoth. 4. v. 4. *Quia omnis creatura Dei bona eſt*, & omnia munda mundis. Non ergo negat, id, quod intrat in os, poſſe coinquinare hominem, vel propter intemperantiam, ut fit in ebriis; vel inobedientiam, ut in primis parentibus; vel ſcandalum, juxta Paulum 1. ad Corinth. 8. Ut proinde abſurde hoc adferatur ab hæreticis contra delectum ciborum. *Sed quod procedit de ore*, iſt eſt, de homine, ut Marcus, idque per ſynecdochen. Utitur tamen, *ore*, ad ſervandam antitheſin, & quia de comedendo ſermo erat. Non ſignificat autem, quidquid procedit ab ore, hoc eum coinquinare; nam & ſputa & laudes Dei ab eo procedunt: ſed nihil coinquinare, niſi

quod

quod procedat ab homine, ſeu quod homo ex ſe proferat corde, ore, opere. Quæ verba cum ſubverterent ſcrupuloſas illas lotiones Phariſaicas, imo & diſcipulis viderentur delectum ciborum lege præſcriptum tollere; addunt:

12. *Scis, quia Phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt?* id eſt offenſi ſunt?

13. *At ille reſpondens ajt: omnis plantatio*, id eſt planta, ſeu germen, *quam non plantavit pater meus, eradicabitur.* Chryſoſt. cum ſuis de doctrina, ac dogmatibus intelligunt: Auguſt. vero qu. 17. libr. 1. Quæſt. Evang. de affectibus animi, ut concupiſcentia: rectius Hieron. (quamvis res fere in idem redeat) de hominibus qui dicuntur plantatio Dei, vel diaboli, ratione affectuum bonorum, vel malorum. Unde populus Dei vocatur *Germen plantationis novæ*, Iſaiæ 60. verſ. 21. *vinea electa &c.* idem igitur ſignificatur, quod Matth. 3. v. 10. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, &c.* Subintelligendum autem relinquit, tales plantationes eſſe Phariſæos. Unde ſubjungit:

14. *Sinite illos*, agere ut volunt: nolite de eorum offenſione & ſcandalo eſſe ſolliciti, tametſi ſint ut duces, ac doctores populi. Nam *cæci ſunt*, qui non intelligunt apertiſſimam veritatem: *et duces cæcorum*, id eſt, qui tamen ſe duces, ſeu doctores cæcorum profitentur. Quo notat cæcitatem illam, ſui ipſius

i-

ignaram, ex ſuperbia & obſtinata malignitate provenire: & ideo ſcandalum talium, ex veritate ſumptum, potius eſſe permittendum, quam ut veritas relinquatur, ut Greg. Hom. 7. in Ezech. Sed quia etiam diſcipuli illis verbis, *Non quod intrat in os*, &c. turbati fuerant, eo quod viderentur eſſe contraria doctrinæ legis, atque traditionis, quam a puero imbiberant; unde & clariſſima verba tamquam *parabolam*, id eſt, ſermonem parabolicum & figuratum explicari petunt, putantes eum, ut ſolet, obſcuritate parabolæ aliquid ſignificare voluiſſe, inquit Auguſt. ibi contra Fauſt. cap. 13. Hinc Salvator eorum ſcandalum tamquam infirmorum non contemnit, ſed rationem reddit, cum aliqua tarditatis increpatione.

17. *Non* (Græce *nondum*) *intelligitis*, tamdiu ſcilicet de vera ſanctitate & pollutione a me inſtructi, *quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit?* ſupple, ut Marcus addit, *Et non intrat in cor ejus;* & conſequenter cor, ſeu animam non poteſt coinquinare, *et in ſeceſſum emittitur?* Quo ſignificat, ſi quid ſordium, aut immunditiæ fortaſſis eſſet in cibo, hoc ipſum velut fæces ſecerni, relicta in corpore puriori ſubſtantia. Unde Marcus ajt, *Purgans omnes eſcas*, id eſt, hac ſui emiſſione ſeparans fæces & immunditias ab eo, quod mundum remanet. Et ita

e-

evaneſcit argutula quorumdam & antiqua calumnia, arguentium olim, Chriſtum velut ignarum Phyſicæ, quia non totum emittitur in ſeceſſum.

18. *Quæ autem procedunt de ore.* Marcus, *Quæ de homine exeunt*, ſeu proficiſcuntur, veluti cogitationes, verba, facta, quorum ſingulorum mox exempla profert, *de corde exeunt*, id eſt, ex animo, ſeu affectu, & libero arbitrio hominis proficiſcuntur, veluti cardine & fonte omnis coinquinationis & ſanctitatis: & idcirco *ea coinquinant*, ſeu coinquinare poſſunt *hominem*, ſicut & ſanctificare.

21. *Et egreſſus inde*, ex terra Geneſar, *ſeceſſit in partes Tyri*, & *Sidonis*, id eſt, in territorium Phœniciæ, non prædicandi cauſa, ſed partim latendi, & ita quieſcendi causa, ut indicat Marc. 7. verſ. 24. partim iſta ſeceſſione præludium & figuram editurus, quod Apoſtolis ad Gentes eſſet tranſeundum, cum a Judæis repellerentur. Tyrus enim & Sidon numquam in Hebræorum poteſtatem venerant. Et hinc eſt, quod inde egreſſa eſt

22. *Mulier Chananæa*, Marcus vocat *Syrophæniſſam*, id eſt, ex Phænicia Syriæ: nam erat & alia Phænicia in Libya, de qua Plinius lib. 5. cap. 4. Chananæa dicitur, quia erat ex ſtirpe Chanaan, cujus Sidon erat primogenitus, Gen. 10. v. 15. Unde Tribus Aſer, cum non deleviſſet

Si-

Sidonios, dicitur habitaſſe in medio Chananæi, Judic. 1. v. 31. & 32... *clamavit, dicens ei: miſerere mei, fili David*, ille ſcilicet Davidi promiſſe, & a Judæis expectate, id eſt, Meſſia. Celebritas enim famæ & expectationis ejus ad gentes vicinas videtur permanaſſe.

23. *Qui non reſpondit ei verbum*, non ſupercilio Phariſaico, ſed partim ut fidem ejus, & conſtantiam pateſaceret, partim ut oſtenderet, precibus coactum ſe præſtare quod præſtitit, ne alioquin ſibi videretur contrarius, quia Apoſtolos vetuerat abire in viam gentium, cap. 11. verſ. 5... *Et accedentes diſcipuli ejus, rogabant eum, dicentes: dimitte eam*, concedendo ſcilicet ei id, quod petit, ſicut indicat reſponſum Chriſti. *Quia clamat poſt nos*, id eſt, importuna eſt & dedecore nos afficit ſuis clamoribus. Ex quo patet hoc in via contigiſſe. Marcus tamen habet, *Intravit*, ſcilicet in domum. Sed nec Græce, nec Syriace eſt, *intravit*, ſed ſolum: *venit*: vel ſi legas, *intravit*, intelligendum eſt domi fuiſſe ſilentio repulſam, & tamen ipſo egreſſo clamaſſe in via, prout conciliat Auguſt. 2. De conſen. Evang. cap. 49.

Ipſe autem reſpondens, ajt: non ſum miſſus; niſi ad oves, quæ perierunt, domus Iſrael. Non quaſi non eſſet redemptor Gentium, ſed quod primo miſſus ſit ad Iſrael, & illis repellentibus ad Gentes,

ut

ut Hieronym. vel potius, ut Augustin. tract. 31. in Joan. quod non sit missus, ut præsentiam corporalem exhiberet, nisi solis Judæis, Gentes conversurus fama sua per Apostolos suos: hoc est, quod non esset missus legatus in propria persona, nisi Israëlitis, quibus & quorum Patribus promissus fuerat. Unde ab Apost. ad Rom. 13. vers. 8. vocatur *Minister circumcisionis.* Legationis autem istius functio erat, Evangelium docere; probatio, miracula facere; finis, oves perditas lucrifacere. Nihil istorum Gentibus communicavit, neque per se, neque etiam per Apostolos, nisi postquam a Judæis repulsus fuit: scil. quasi per accidens, si rerum eventum spectes, etsi per se, si providentiam, & finem Dei. Judæis proinde ex justitia, ratione promissionis; Gentibus ex misericordia, juxta doctrinam Apostoli, loco cit. Muliere vero adhuc instante respondit:

26. *Non est bonum*, id est, æquum, aut congruum, *sumere panem filiorum*, id est, præripere panem liberis enutriendis debitum, *et mittere*, seu projicere, *canibus*, Græce *catellis*, sicut paulo post. Per *Filios* itaque intelligit Judæos, quia præ omnibus gentibus Deo curæ: qua de causa Israel *Filius Dei primogenitus* dicitur, Exodi 4. vers. 22. per *Canes* vero gentiles, propter impudentem, & publicam idololatriam, ac spurcissimos mo-

res. *Panem filiorum* vocat totam gratiam Evangelicam, imprimisque miracula, tamquam Evangelii sui figilla: nam propter doctrinæ confirmationem illa operatus est. Significat igitur illa, tamquam panem delicatiorem, nondum deberi Gentibus, nisi postquam eum Judæi fastidiverint. Marcus enim dicit Christum dixisse, *Sine prius saturari filios*: quibus verbis spem aliquam mulieri aperuerat; & mox rationem adjicit, *Non est enim bonum, &c.*

27. *At illa dixit: etiam domine*, i. e. ita est, ut dicis. *Nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt*, &c. Pro, *Nam* &, quod aliquam obscuritatem parit, Græce est, *Etenim* seu *namque*: q. d. Verum est, non debere præripi panem filiis, & dari canibus: etenim canes micas tantum e mensis dominorum lapsas comedunt. Quibus verbis & se catellam, & Judæos non tantum filios, sed & dominos suos agnoscit. Præ modestia autem Christo inferendam relinquit conclusionem, scil. non posse sibi filiæ suæ sanitatem veluti micam, obiter manibus excidentem, præ tanta miraculorum majorum majestate, & abundantia in Judæos effusa negari. Mira mulieris argutia, qua circumventa & capta Dei Sapientia exclamavit:

28. *O mulier, magna est fides tua!* de me scilicet, ut Messia, de conditione populi Judaici & Gentilis, de miraculis: magna item, quia tot virtutibus sublimis, fer-

ferventi ſcilicet oratione, rara fiducia impetrandi, magna perſeverantia in tot repulſis, extrema humilitate, mira prudentia, ſumma modeſtia. His Eccleſiæ Gentilium fidem, patientiam, & humilitatem præfigurari notat Hier. Obſervatione autem dignum eſt, nullius fidem niſi Gentilium Chriſtum admiratum fuiſſe, ſcil. Centurionis, c. 8. verſ. 10. & hujus mulieris. Unde & uterque ægrotus, Chriſto abſente, curatus eſt, quia ad gentes Chriſtus corpore non venit, ut Auguſt. q. 17. lib. 1. Quæſt. Evang. Quod vero verſ. 30. dicitur Chriſtus *curaſſe mutos, cæcos, claudos*, &c. idem notat quæſt. 18. ſignificari, quod Chriſtus ægros omnibus animi morbis curet: *mutos* videlicet, qui non laudant Deum, aut non confitentur fidem: *cæcos*, qui non intelligunt, etiamſi obtemperent jubentibus: *ſurdos*, qui non obtemperant, etſi intelligant: *claudos*, ac *debiles*, id eſt infirmos, qui præcepta non plene implent.

32. *JEſus autem convocatis diſcipulis*: tum ut cum illis conſilium de ſequenti miraculo communicaret; tum, ut confeſſionem eorum exprimeret, deeſſe panes in deſerto, id eſt, adeſſe miraculi neceſſitatem, ſine qua Deus ea non ſolet operari. Unde & iſtud non eſt operatus, niſi poſt triduum, quo perſeverabant ſecum, & cum jam defeciſſet, ſi quid ſecum tuliſſent, ut manducarent. Diſci-

puli enim adhuc ita rudes erant, ut in tanta miraculorum ejus abundantia nihil, nisi creaturarum vires cogitarent. Quod autem ante ex quinque panibus 5. millia saturaverit, hic vero septem panibus 4. tantum millia, significatum voluit, Deum perinde multos ex modico, ut paucos ex multo pascere. Hic septem sportæ illic duodecim cophini supersunt: sive quod sportæ essent multo capaciores cophinis: sive, ut Chrysost. ne reliquiarum æqualitas miracula confunderet, & oblivionem induceret, hujusmodi discrimine indelebilem utriusque voluit memoriam conservare. Sed unde tot sportæ in deserto? Credibile est solum exprimi reliquiarum mensuram, etsi sportæ non adfuerint: nisi malis, in sportis nonnullos ante vendidisse populo panes initio confluxus. Cætera in simili miraculo Joan. 6. dicturi sumus.

39. *Et venit in fines Magedan*: Marcus: *in partes Dalmanutha*. Unde August. lib. 22. de consens. Evang. c. 51. putat esse diversa nomina unius loci: alii unum esse nomen urbis, aliud regionis: alii, & verius, esse duo loca contermina, ita ut qui in fines unius venerit, etiam venerit in fines alterius; sicut supra dicuntur *partes Tyri & Sydonis*. Sunt autem ultra mare Galilææ circa Geresan, ut Hieron. De locis Hebraicis.

Ca-

CAPUT XVI.

1. ET *acceſſerunt ad eum Phariſæi et Sadducæi*: ſectæ capitaliter inter ſe contrariæ, niſi ubi Chriſto reſiſtendum eſt. Ita fit in hæreticis ſibi mutuo infeſtis, adverſus Eccleſiam conſpirantibus. Nam, ut Tertul. ſemper Chriſtus inter duos latrones crucifigitur. De tentatione & ſigno de cœlo & ſigno Jonæ Prophetæ, vide dicta cap. 12. v. 38. & 39. bis enim eadem a Chriſto diverſis occaſionibus poſtulata & reſponſa ſunt.

2. *At ille reſpondens ait illis: facto veſpere*, &c. hoc eſt, ex veſpertino cœli rubore colligitis ſerenitatem ſequentis diei; ex matutino tempeſtatem pluviarum aut ventorum. Nam pro, *rutilat*, & *rubicundum eſt*, Græce eſt idem verbum *pirrhazei* id eſt, *rubet*, *igneum eſt*.

4. *Faciem ergo cœli dijudicare noſtis*: ita ſcilicet, ut diſcernatis ſigna quamvis fallacia ſerenitatis & pluviæ; & illis quamvis incertis nihil amplius requiritis. *Signa autem temporum non poteſtis ſcire*? id eſt, & non poteſtis diſcernere ſigna temporum promiſſorum de adventu Meſſiæ, plurima, infallibilibus prophetiis conſignata, & jam rebus ipſis impleta? Hæc

enim ſigna ſunt, præter ablationem ſc ep. tri Judaici, impletionem hebdomadarum Danielis, aliasque prophetias, imprimis tanta vis miraculorum exhibitorum. Hoc enim ſignum Chriſtus ipſe diſcipulis Joannis, ex Iſaia dedit ſupra cap. 11. v. 5. Hoc ergo argumento Chriſtus conclu-ſum relinquit, accuſandam potius eſſe eorum ſive negligentiam in obſervandis rei tam neceſſariæ ſignis, ſive tarditatem in intelligendis, ſive malitiam in calumniandis, & ſuperflue eos alia ſigna de cœlo quærere. Itaque non aliud dandum eſſe niſi ſignum Jonæ, de quo ſupra.

5. *Et cum veniſſent diſcipuli eius trans fretum*: id eſt, cum venirent ſeu irent trans fretum. Ita Græcum *oltontes* exponi poteſt: nam ea, quæ ſequuntur, in ipſa navi, ſeu cum navigarent trans fretum, dicta ſunt, ut patet ex Marco c. 8. v. 14. *Obliti ſunt panes accipere.* Ex quo colligitur & conſuetudo erum accipiendi commeatum, eo quod Chriſtus in deſertis hæreret, & quam exigua eſſet de corpore cura.

6. *Qui dixit illis, intuemini et cavete*: q. d. Attendite & cavete, ſeu omni diligentia cavete vobis *a fermento Phariſæorum*: quod Chriſtus exponit, eſſe doctrinam eorum, v. 12. nempe quas ipſi fuerant commenti traditiones, & mandata hominum, divinis contraria, vel futilia.

vel

vel ad externam tantum pietatis pompam ſpectantia, quorum finis, hominibus potius probari, quam Deo, de quibus initio cap. 15. Et quia talis doctrina inſtar fermenti inflat hominem, & implet ſuperbia atque hypocriſi, hinc eſt, quod Lucæ 12.v.1. dicitur, Cavete a fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis. *Et Sadducæorum*, qui dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque ſpiritum, Act. 23. v. 8. imo nec animam eſſe immortalem, ut Joſeph. 18. Antiquit. cap. 2. Unde fermento illo in vitam tranſeunte ferinis inter ſe moribus erant, erga ſui ſimiles veluti adverſus exteros inhumani, ut idem ſcribit lib. 2. de bello Judaico c. 7. Quæ fortaſſis cauſa eſt, quod Marcus loco Sadducæorum dicat, *& a fermento Herodis*, eo quod ſenſus & vita ejus eſſet talis, & quod ſtuderet impenſe Sadducæis. Nam eos fuiſſe paucos quidem, ſed fere dignitate præcipuos, idem Joſephus teſtis eſt.

7. *At illi cogitabant intra ſe.* Græcum *dialogizonto eneavtois* transferri poteſt *diſceptabant inter ſe*: nam etiam verbis eos egiſſe indicat Marcus, nempe veriſimiliter alter alteri culpam tribuebat, *dicentes, quia panes non accepimus.* Phraſis Græca, imo & Hebraica, in qua, *quia*, redundat. Sunt verba ex inopinato recordantium errorem ſuum ex verbis Chriſti, idque cum quadam ſollicitudine, quid acturi

essent. Nam Christi responsio taxat eos, partim de illa anxietate habendi cibi, dum eos vocat, *modicæ fidei*, cum scilicet secum haberent eum, qui nuperrime tam illustria divinæ providentiæ miracula exhibuerat, in cujus proinde providentiæ fide deberent esse securi: partim de tarditate intelligendi tam carnaliter metaphoram satis perspicuam.

13. *Venit autem JEsus in partes Cæsareæ Philippi*: id est, a Philippo, Herodis Magni filio, Tetrarcha Ituræ & Traconitidis, instructa ædificiis, & ab eo, in honorem Tiberii Cæsaris, *Cæsarea* dicta, ut Joseph. 18. Antiquit. c. 3. Olim dicebatur *Lesen* seu *Lais*, postea *Dan*, Josue 19. & Judic. 18. & *Dan* verso a Græcis, in *Pan*, vocata est *Panæas*. Sita est autem ad radices montis Libani, ac terminus est terræ sanctæ ab Aquilone. Est & alia, quæ simpliciter *Cæsarea* dicitur, tamquam nobilior, Act. 21. 22. 23. &c. ab Herode Ascalonita ita in honorem Augusti Cæsaris nominata. *Et interrogabat discipulos suos*: non inanis gloriæ vel discendi studio, sed docendi veritatem, ut, qui cum unigenito Dei habitarent, tamquam simplicem hominem non contemnerent, inquit Cyril. Catechesi 11. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* id est, ut Luc. quem me dicunt esse turbæ, seu vulgus, prout excludit primates populi & Apostolos. Loquitur autem in ter-

tia

tia persona de se, idque humili vocabulo, ne, inquit Hieron. jactanter de se quærere videretur.

14. *At illi dixerunt, alii Joannem Baptistam*; cujus anima corpus occisum repetiverit. Fuit ista & Herodis sententia, supra cap. 14. v. 2. propter vitæ scilicet innocentiam & prædicationis similitudinem de pœnitentia agenda & regno cœlorum. *Alii autem Eliam* quitamquam præcursor veri Messiæ, cujus tempus adesse suspicabantur, apparuerit, nempe propter personæ Christi severitatem, gravitatem, & miraculorum magnitudinem. *Alii vero Jeremiam*: propter libertatem increpandi Scribas & Pharisæos, quæ in Christo, ut & Jeremia, singularis fuit. Et quia nulla istarum opinionum ultra propheticam dignitatem progrederetur, hinc ajt:

15. *Vos autem*. Emphasin habet ista antithesis. Vos, inquit Chrysostom. qui mecum semper versantes, plura me fecisse vidistis, qui meo nomine complures virtutes ipsi quoque fecistis, *quem*, seu cujus auctoritatis ac dignitatis, *me esse dicitis?* Omnibus autem reticentibus,

16. *Respondens Simon Petrus dixit*, tamquam ferventioris fidei, quam cæteri, ut Hieron. in c. 24. v. 28. tamquam os Apostolorum, & vertex consortii totius, ut Chrysostom. hic tanquam princeps Apostolorum, & summus Ecclesiæ præco, ut Cyrillus Catechesi 11. *Tu es Christus*

filius Dei vivi. Græce longe efficacius singulis vocibus additur articulus, (*ille, et: illius*) *Tu es ille Christus, ille Filius Dei, illius viventis*, id est, Tu es ille singularis Christus seu unctus, & verus Messias: & quamvis hominem esse videamus, simul tamen es natura, non adoptione, ut cæteri Sancti, ille unicus Filius Dei, non cujuslibet, sed Dei viventis, cui proprie competit generatio: quo epitheto Deus verus a Diis gentium, idolis aut mortuis hominibus distingui solet. Ex quo patet, quam perfecta fuerit ista Petri confessio. Si qui enim Filium Dei vel Messiam antea confessi fuerant, non aliter hoc intelligebant quam communi vulgi sensu, scilicet quod esset Filius Dei adoptivus, ut alii Sancti, tametsi cæteris præcellentior & Messias carnaliter Judæis magna cum gloria regnaturus. Unde Christus tantæ confessioni vicem reddens, respondit:

17. *Beatus es*, propter istam tam sublimem tanti arcani confessionem, *Simon*, quod ei proprie erat nomen, *Barjona*, quod loco cognominis, qu. d. *fili Joannis*, ut est Joann. 21. nam *Bar* filium Syriace significat, *Jona* contractum est *ex Jochanna*, latine *Joannes* ut Hieron. hic. *Quia caro et sanguis non revelavit tibi*: id est, non homo quisquam carne & sanguine constans, non parentes, magistri, scribæ vel Pharisæi, non tu ipse tua in-

induſtria te hanc ſententiam de me docuiſti. *Sed pater meus, qui in cœlis eſt*, id eſt, ſed Deus per gratiam tibi cœlitus tantum ſecretum inſpiravit, & ideo propter tantæ rei cognitionem beatus.

18. *Et ego*, Græce, *Ego autem*: q. d. Tu homo me Filium Dei dixiſti, ego Filius Dei tibi rependo vicem, ac viciſſim *dico*, non omnibus, ſed *tibi*, ſoli; non caſſo ſermone, ſed quem effectus ſequetur: *quia tu es Petrus*; id eſt, quod tu, ſicut olim a me vocatus es, veriſſime, non nomine ſolo, ſed reipſa es petra, ſaxum, ſeu rupes: Græce enim *petros* & *petra*, quod ſequitur, idem prorſus ſignificant. Sed quia de viro loquebatur, maſculine loqui maluit, deinde vero fœminine, & uſitatius, *et ſuper hanc Petram*. Ut nimirum ſic iſta repetitione, & mutatione vocabuli, & verbis adjunctis, *ædificabo eccleſiam meam*, explicaret metaphoram, & myſterium nomine *Petri* contentum: quod videlicet eum ita vocaverit, non propter ſterilitatem, ut Lucæ 8. v. 6. vel alias aliquas cauſas, ſed propter immobilem firmitatem, qua inſtar rupis divina virtute ſolidandus erat, ut molem tantam ſuperædificandam poſſet ſuſtinere. Templa ſiquidem, ædificia, atque urbes, quibus metaphoris Eccleſia ſæpe deſignatur in Scripturis, ſuper petras ſeu rupes ſolidiſſime, & libentius a ſapientibus fundantur, ut pulchre

chre patet Matth. 7. v. 25. Itaque illud, *hanc*, non refert, neque referre poteſt ſine aperta abſurditate, vel Chriſtum vel fidem, ſed id, quod præceſſit, *Petrus* ſeu *Petra*. Chriſtus enim Syriace loquebatur, ubi Petrus & Petra eodem omnino modo vocantur *Cepha* ſeu *Cipho*. Et hinc eſt, quod etiam nunc non ſolum Syriaca, ſed & aliæ pleræque celebres verſiones eodem nomine *Petræ* invariato utantur in utroque loco, ut Hebraica tam Munſteri quam Eliæ Hutteri, Arabica, &, ut periti teſtantur, etiam Perſica, Armenica, Ægyptia, Æthiopica, adde & Gallica. Hæc ergo verba ſtatuunt Petrum petram, hoc eſt, fundamentum, non primarium, non per ſe ac propria authoritate, quod eſt Chriſtus ſolus, ſed ſecundarium, & ex commiſſione, reſpectu totius Eccleſiæ, ac miniſterii Eccleſiaſtici. Hæc enim duo genera fundamentorum non repugnant, ſicut nec princeps & vicarius ejus, ſed optime ſubordinata ſunt: quemadmodum non repugnat id, quod Moyſes dicit, Deuteron. 32. v. 12. quod Dominus ſolus dux fuit populi Iſrael, & id quod Sanctus Stephanus, Act. 7. v. 36. & ſeqq. quod Moyſes eduxit illos. Quod ergo nonnulli Patres fidem Petri, ſeu confeſſionem Petri dicunt eſſe petram, ſuper quam ædificata ſit Eccleſia, verum eſt, locutione cauſali, non formali, nempe

ge quia confeſſio iſta cauſa fuit meritoria, cur formaliter ſuper Petrum Eccleſia ædificaretur: quo modo dicit Hieron. Epiſt. 6. circa fin. ſuper aquas non Petri corpus ambulaſſe, ſed fidem.

Et portæ inferi, ſeu inferni, id eſt, univerſa poteſtas diaboli. Utitur autem nomine, *portæ & inferi*, quia civitatem diaboli civitati Dei opponit. Per *portas* metonymice in Scripturis, tamquam per fortiſſimam ejus partem, ſignificari ſolet ipſa civitas, ut patet Gen. 22. v. 17. & ibidem cap. 24. v. 60. & per *inferum & infernum*, ipſe incola inferni diabolus cum ſuis. Sub omni autem poteſtate diaboli comprehenditur etiam omnis hæretica machinatio, omnis vitiorum incurſatio, omnis perſecutorum ſævitia, quæ diaboli tamquam principis, & auctoris omnium iſtorum arma ſunt. *Non prævalebunt adverſus eam*, ſive oppugnatam, ut eam ſuperent: ſive oppugnantem, ut illi reſiſtant. Directe enim ſignificatur Eccleſia tantam tractura firmitatem ex illa ædificatione ſuper petram, ut ſuper eam diabolo invicta futura ſit, ut Auguſt. libr. 1. de ſymbolo cap. 6. Pugnare enim Eccleſia poteſt, expugnari non poteſt. Indirecte vero indicatur eam etiam luctando victricem futuram: ſicut enim Martyres moriendo ſuperant, ita Eccleſia dirillima licet patiendo infernas leges & tartari portas, & omnis mortis clauſtra diſſolvet, ut Hilar. Can. 16. Hæc

ergo prima ſententia comprehendit, quidquid Petro poteſtatis Chriſtus contulit. Sed quia breviter & obſcurius dictum erat, explicat Chriſtus clarius aliis metaphoris ſenſum ſuum.

19. *Et tibi dabo claves regni cælorum.* Per *claves* deſignatur ſuprema poteſtas & auctoritas gubernandi, metaphora inde ſumpta, quod claves domus & civitatis penes illum ſint, cujus eſt ſuprema gubernationis auctoritas: in cujus ſignum Principibus, cum recipiuntur, traduntur urbium claves. Quæ ſumma poteſtas explicatur pulchre Apocal. 3. v. 7. & Iſaiæ 22. v. 20. 21. 22. ubi deſtitutio Pontificis, & inſtitutio novi per claves deſcribitur. Per *regnum cælorum* intelligitur regnum Chriſti, ſeu Eccleſia; quam eo nomine maluit exprimere, ut ſic intelligeret Petrus, poteſtatem ſibi datam eſſe cæleſtem & ſpiritualem, quæ tota ſpectaret eo, ut homines præparentur & promoveantur in regnum cælorum. Non ergo promittitur his verbis ſola poteſtas remittendi & retinendi peccata, vel concionandi, ut volunt hæretici, ſed omnis omnino poteſtas, quæ ad gubernationem regni Chriſti neceſſaria eſt, recipiendi, expellendi, præcipiendi, puniendi, remittendi peccata, retinendi, diſpenſandi, &c. Cujus poteſtatis actum valde generalem mox explicat alia metaphora, ut intelligamus non de clavibus naturalibus eſſe ſermonem

nem. *Et quodcumque ligaveris ſuper terram*, q. d. Itaque hac poteſtate inſtructus, quocumque vinculo tu, ſuper terram exiſtens, aliquem alligaveris, vel abſolveris, hoc meo judicio in cœlis ratum habebitur, ita ut ille vere ligatus, & abſolutus futurus ſit. Quare illud, *ſuper terram*, non ad vinculum, ſeu ad hominem ligandum & abſolvendum referri debet, quaſi mortui abſolvi nequeant; ſed ad perſonam ligantem, vel actus ejus. Eleganti enim antitheſi cæli & terræ, tamquam longiſſime diſtantium, commendatur poteſtas Petro data, eo quod ſervi, quo abſunt longius, eo licentius agere poſſunt & ſolent. Porro vincula illa ſunt imprimis peccata, quia funibus peccatorum quiſque conſtringitur, Proverbiorum 5. item pœnæ, de quibus potiſſimum Chriſtus loquitur, Matthæi 8. verſu 18. *Quæcumque alligaveritis*, &c. præcepta: *Alligant enim onera gravia*, &c. Matth. 23. verſu 4. denique vota, juramenta, & quæcumque obligationes, quibus homines impediuntur a regno cœlorum, & a Chriſto in terris verſante ſolverentur. Poteſtas enim ejuſmodi ad rectam regni Chriſti adminiſtrationem neceſſaria eſt. Cum vero Chriſtus in mundum venerit peccatores ſalvos facere, 1. Timoth. 1. neque ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per eum; hinc eſt, quod directe, & per ſe

po-

poteſtas iſta eſt ad ſolvendum, per accidens ad ligandum, videlicet pr p er improbitatem quorundam. His igitur verbis ſecundum antiquorum Patrum concordem intelligentiam Chriſtus Petrum caput Eccleſiæ ſuæ, vicarium ſcilicet ſuum, cum plenitudine poteſtatis inſtituit, &, ut Greg. loquitur lib. 4. Epiſt. 33. cura ei totius Eccleſiæ, & principatus, (ſeu primatus) committitur. Simul enim ad conſolationem bonorum, & improborum terrorem, ne ſibi cum hominibus rem eſſe crederent, tantam utriſque de ſententia in ſe lata certitudinem & ſecuritatem adfert, ac ſi teſtis de cælo deſcenderet.

20. *Tunc præcepit, ut nemini dicerent, quod ipſe eſſet Chriſtus.* Græce *ille Chriſtus*, ille ſcilicet Filius Dei vivi naturalis, id eſt, ne ſuam illam ſublimem de divinitate ſua fidem promulgarent. Cujus rei cauſam aliam alii excogitarunt: veriſimillima eſt illa, quam Matth. hic ſubjungit, ſed clarius Lucas cap. 9. v. 22. *Præcepit ne cui dicerent hoc, quia*, inquid, *oportet Filium hominis multa pati*, id eſt, quia brevi a Scribis, & populo Judaico crucifigendus ſum. Nempe ne id, quod paucis accidit, Matth. 27. v. 40. & ſeqq. omnibus accideret, hoc eſt, ne tanto ſcandalo crucis & mortis ejus, quo & diſcipuli, & ipſe Petrus perturbati ſunt, fidem perderent. Nam, ut Chryſoſt. id,

quod

quod radices iam egit, si evulsum fuerit, non tam facile potest iterum plantatum pullulare. Hæc ergo prædicatio gloriæ Christi servabatur post resurrectionem, sublatis e medio omnibus scandalis.

21. *Exinde*, Græce *Ex tunc*, seu ex eo tempore, quo scilicet, ut Chrysost. præcipuum hoc dogma de sua divinitate fixum in animo ipsorum locavisset, *cœpit ostendere*, &c. id est, cœpit non involucris verborum, ut antea, Joan. 2. v. 19. & c. 3. v. 14. sed claris verbis eis prædicare passionem suam, ex Dei de cœlo sententia definitam, ne videlicet illa inexpectata veniente offenderentur, putantes quod vel invitus est, vel non præscius, vel ex nota carnis infirmitate pateretur a tribus generibus hominum, scilicet *a senioribus*, id est, Senatoribus, Judicibus, & rectoribus Reip. non enim est ætatis, sed dignitatis nomen; *Et scribis*, *et Principibus sacerdotum*, de quibus dictum alibi c. 2. v. 4.

22. *Tunc assumens eum Petrus*: id est, *apprehendens eum*, ut in Marco vertitur, scilicet vestem, vel manum, ut amicus amicum solet: non enim objurgantis, sed, ut Hieron. notat, vehementer amantis affectu *cœpit increpare eum*, id est, tamquam sui oblitum cœpit reprehendere, & quasi ad saniorem mentem revocare, quod rem tam absurdam filio Dei, in se vellet admittere, dicens: *absit a te*,

Domine. Abominantis verba ſunt tam quam prophanum quid, & ne eveniat deprecantis, Hebræis familiariſſima, qui uno verbo dicunt *Chalilah*, ut patet Gen. 44. v. 7. in Hebræo, & Gen. 18. v. 25. ubi eadem phraſi Abraham utitur erga Deum, qua Petrus erga Chriſtum.

23. *Qui converſus*, vultu ſcilicet in Petrum, lateri ſuo adhærentem *dixit* ei: *vade poſt me*: id eſt, faceſſe hinc: Eadem enim phraſi uſus eſt Chriſtus contra diabolum, cap. 4. v. 9. ubi in multis Græcis codicibus additur etiam, *poſt me*. Ex quo tamen verbo minus apte putavit Hieron. & Orig. ſignificari, Sequere ſententiam meam, noli mihi præire conſilio tuo. *Satana* nihil ſignificat niſi adverſarium, & ex eo appropriatum eſt diabolo, atque idcirco aſperior videtur reprehenſio. Nam quamvis amantis affectu, adverſarius tamen erat Petrus voluntati Chriſti ac Dei, qui mortem ejus decreverat redimendo humano generi, quam ipſe divini ignarus conſilii impedire volebat, quod Chriſtus ſignificans, addit: *Scandalum es mihi*, Græce *Scandalum meum es*, id eſt, quantùm in te eſt, offendiculum & cauſam ruinæ mihi ponis revocando a patris obedientia. *Scandalum* enim proprie eſt hujusmodi offendiculum, ad quod in via impingimus. Fontem autem erroris Petri aperiens, non Satanicam ſcilicet malitiam, ſed carnalem

ad-

adhuc ſenſum, ſubjungit: *quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum*, id eſt, non divina, ſed humana, quæ caro & ſanguis ſuggerere ſolet, ſcil. fugere paſſiones, ignominias, mortem, opprobria: cujuſmodi tamen fuga ſæpe divinæ ſapientiæ contraria eſt. Itaque cum idem homo alternantibus affectibus, nunc divina, nunc humana ſapere ſoleat, non mirum eſt, tam brevi intervallo Petrum illinc beatum, hinc Satanam appellatum, ut notat Aug. ſerm. 13. de verbis Domini. Neque quidquam præjudicii hoc affert primatui Petri, ut impudenter clamant hæretici. Non enim tollit ſubito primatus Eccleſiaſticus omnem carnalem ſenſum homini. Adde, ut Hieron. hic notat, primatum Petro tunc non collatum, ſed promiſſum.

24. *Tunc*, poſtquam redarguiſſet illum carnalem Petri affectum, *dixit JEſus diſcipulis* ſuis: ut generaliter nos doceret, omnes omnino ſimiles affectus, quibus mortem & adverſa horreſcimus, eſſe ſuperandos iis, qui ſequi volunt Deum: *Si quis vult poſt me venire*, id eſt, diſcipulus, ſectator, & imitator meus eſſe, *abneget ſemetipſum*. De moribus plerique intelligunt, ut Hieron. hic & Greg. hoc ſenſu: Suis affectibus valedicat, qui a voluntate Dei diſcrepant, exuendo ſcilicet veterem hominem & induendo novum. Sed tam id, quod præceſſit de morte

Chriſti, quam Petrus impedire volebat, quam ratio ſubjuncta v. 25. clamat magis de mortibus, quam de moribus agi. Itaque *abneget ſemetipſum*, id eſt, in periculis vitæ, & carnis afflictionibus ita afficiatur, quaſi alius illa pateretur, nullam ſcilicet ſui, vitæque curam habeat. Quod Chryſoſt. Hom. 56. intelligi poſſe monet ex abnegatione aliorum, quos tunc abnegare dicimur, cum eos negligimus, & eorum vitam pro nihilo ducimus. Hoc Luc. cap. 16. vocat *abnegare animam ſuam*, ut diſtinguatur contra *abnegare patrem*, *matrem* &c. & eſt aliquod ſupremum in vita ſpirituali, ſupponens abnegationem affectuum ſuorum. *Et tollat crucem ſuam:* quaſlibet afflictiones ſibi impoſitas lubente animo ſuſcipiat, & hac ratione *ſequatur me*, ſeu imitetur exemplum meum. Fit autem alluſio ad crucem, quam erat portaturus, & in qua moriturus.

25. *Qui voluerit animam ſuam*, ſeu ſeipſum, *ſalvam facere*, crucem ſuam abjiciendo, *perdet eam*, de quibus vide dicta cap. 10. v. 38. & 39.

26. *Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum*, id eſt, univerſa mundi bona, etiam longævam vitam, *lucretur*, in hoc ſæculo, *animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* ſcilicet in futuro ſæculo, hoc eſt, ut Luc. cap. 9. v. 25. exponit, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſeu

ja-

jacturam ſui faciat? *aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* id eſt, quam compenſationem, ſeu pretium redemptionis dabit homo, etiam qui univerſum mundum obtinuerit, pro ſeipſo ſemel perdito in alio ſæculo? q. d. nullam: damnum enim eſt irreparabile. Alludit autem ad belli, vel judicii humani conſuetudines, ubi raptus vel damnatus ad mortem pecuniæ magnitudine ſæpe redimi poteſt & ſolet, hic nequaquam.

27. *Filius enim hominis*, &c. id eſt, non quilibet judex qui corrumpi poſſit muneribus, ſed *Filius hominis venturus eſt*, non in illa ſpecie, & indigentia, & infirmitate, qua nunc, ſed *in gloria Patris ſui*, quam ſcilicet cum Patre, ſicut & eſſentiam, communem habet: neque cum paucis diſcipulis, ſed, *cum Angelis ſuis*, omnibus comitantibus, paratis ſcilicet ad videndam & exequendam vocem ſermonum ejus. *Et tunc reddet unicuique ſecundum opera ſua*, id eſt, cuique reddet juſtam mercedem, quæ operibus debetur, ſive præmium bonis, ſive ſupplicium malis; hoc eſt enim reddi *ſecundum opera*, id eſt, ſecundum meritum operum. Nam ſicut mala proprie merentur ſupplicium, ita bona præmium: q. d. nulla ratio tunc habebitur vel perſonarum, vel precum, vel munerum, vel cujuſque commutationis, quibus cogitari poſſit, flectendum eſſe judicem, ſed operum dumtaxat.

28. *Amen dico vobis*: (Græce apud Lucam eſt, *Vere*,) *ſunt quidam de hic ſtantibus*, &c. id eſt quidam adſtantium, ſeu præſentium non morientur, *donec videant filium hominis venientem in regno ſuo*, id eſt, donec videant meipſum oculis ſuis apparentem in ea gloria, & majeſtate, qua in regno meo appariturus ſum. Quod de die judicii, & de Joanne Evangeliſta citra mortem ſuperſtite, quidam olim intellexerunt. Sed ab ipſo Joanne ſatis refutantur cap. 21. verſ. 23. Alii ſatis veriſimiliter de gloria reſurrectionis ejus, quæ uſque ad aſcenſionem omnibus diſcipulis manifeſtata eſt. Sed quia illud, *quidam*, paucorum diſcipulorum privilegium videtur indicare, & ſtatim illis verbis ſubjungunt tres Evangeliſtæ transfigurationem ejus: hinc omnino verior eſt omnium pene veterum ſententia, Orig. Chryſoſt. Hilar. Theophyl. & Hieron. in hunc locum, quod gloriam transfigurationis quibuſdam revelandam promittat: quam *regnum* vocat, quia regni ſui futuri erat imago, ſeu ſignificatio, ut Auguſt. in verſ. 9. cap. 2. ad Galat. Unde Nazianzenus Orat. 51. Talis veniet, ſcilicet ad capeſſendum regnum ſuum, qualis in monte obirer monſtratus eſt, divinitate carnem ſuperante. His ergo verbis erigit diſcipulorum animos, de morte ejus contriſtatos, & gloriæ brevi futuræ promiſſa manifeſtatione

ne certos facit de eo, quod dixerat, ſe venturum judicem in gloria Patris, ut illa ſpe erecti non vererentur tollere crucem ſuam, &c. prout hoc notat Hilar. initio Can. 7.

CAPUT XVII.

ITaque ut Chriſtus promiſſum ſolveret, *poſt ſex Dies*, Lucas ajt: *fere poſt dies octo*: ubi vel confuſe tantum tempus notat, vel, ut alii hic & Auguſt. lib. 2. de conſenſu Evang. cap. 2. 56. Matth. ſolos dies intermedios computavit, Lucas ſimul extremos, id eſt eum, quo Chriſtus loquebatur, & eum, quo viſionem exhibuit. *Aſſumit Petrum & Jacobum & Joannem*, tamquam præcipuos Apoſtolorum, cæteriſque capaciores, quos ideo ſecretis maximis adhibere ſolebat. *Jacobus* autem iſte non eſt frater Domini, Epiſcopus Jeroſolymorum, auctor Epiſtolæ Catholicæ, ut Auguſt. putavit, ſed ille, qui dictus eſt *Major*, ab Herode occiſus, quia Joannem vocat *Fratrem ejus*. Tres aſſumit, ut in ore trium teſtium conſtaret rei tantæ teſtimonium: non omnes, ne res divulgaretur juxta verſ. 9: *et duxit illos in montem*, nempe ut oraret, juxta Luc. cap. 9. In montibus enim

Christus, ubi solitudo major, & cæli conspectus liberior, orare solitus fuit, ut Marci 6. vers. 46. & Lucæ 6. vers. 12. & rebus magnis orationem præmittere. *Excelsum*, ut loci celsitudine majestas rei indicaretur: *seorsum* tum ut tanta contemplatio esset a mundi tumultu liberior: tum quia nolebat eam quibuslibet etiam Apostolis innotescere. Mons iste, teste Hieron. Epistola 27. ad Eustochium, fuit Thabor, Josepho Itaburius dictus, in media Galilæa, non procul a Nazareth. Qua de causa peregrinatione etiam tum a Constantini temporibus, & templo celebris fuit: ut sane nova videri debeat suspicio cujusdam recentioris putantis esse Libanum. Nam quod Marc. dicit c. 9. v. 29. eos inde profectos & prætergressos Galilæam, nihil aliud significat quam transiviisse Galilæam.

2. *Et transfiguratus est ante eos*, seu coram eis. Transfiguratio non fuit figuræ, sive faciei, sive corporis mutatio, sed externæ tantum speciei, manente figura eadem, quod clarius Lucas dixit, *Facta est species vultus eius altera.* Et hic ipse Matth explicans transfigurationis modum: *resplenduit facies eius sicut Sol*, &c. fulgore illo, tum ex insidente Dei majestate, tum ex animi beatitudine in faciem totumque corpus dimanante, sicut fiet omnibus sanctis in cœlo. Nam, ut August. Epist. 56. ad Dioscorum, tam potenti natu-

tura Deus fecit animam, ut ex ejus pleniſſima beatitudine redundet, etiam in inferiorem naturam, quod eſt corpus, plenitudo ſanitatis, id eſt, incorruptionis vigor ſub qua omnes eius dotes comprehendit. Itaque fulgor iſte faciei ab intrinſeco venit, non ab extrinſeco, ut olim Moyſi. Nec tamen erat dos claritatis, quia erat paſſio tranſitoria, cum dos ſignificet ſtabilitatem, ut D. Th. 3. p. q. 43. art. 2.

Veſtimenta eius facta ſunt alba ſicut nix, id eſt, albiſſima. Modum albedinis Luc. exprimit, *Factus eſt veſtitus albus refulgens*, Græce *exaprapton* id eſt, *coruſcans*, vel proprie *effulgurans* ſeu *fulgur emittens*, quaſi radiis ex corpore per veſtimenta, veluti per rimas, aut nubem erumpentibus. Albedo igitur iſta veſtium non albedo proprie, ſed luminis tranſparentis fulgor erat, qualis fere eſt nubium Soli ſubjectarum directe. Itaque ſicuti naſcendo ſubtilitatis, ambulando in fluctibus agilitatis, ita hic claritatis corporis glorioſi aliquod ſpecimen dedit, ut ſpem noſtram firmaret, quod reformabit etiam corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.

3. *Et ecce apparuerunt illis Moyſes et Elias*: uterque in vero & proprio ſuo corpore. Nec enim eſt ratio, cur aëreum fuiſſet Moyſis corpus, cum eadem facilitate proprium ei reddi potuerit, ne-

que fucum aliquem adeſſe tanto teſtimonio conveniret. Sed cur hi præ cæteris? Vera & a veteribus communiter notata cauſa eſt, Auguſt. Serm. 69. de diverſis, & aliis in hunc locum, ut per Moyſen Lex, per Eliam Prophetæ ſignificarentur, & utroſque in Chriſtum tendere, ac terminari, & ei teſtimonium perhibere doceremur. Alias alii peculiares addunt. Chryſoſt. ut reipſa refutarentur duæ falſæ opiniones: prima vulgi, putantis Chriſtum eſſe Eliam, aut aliquem ex antiquis Prophetis, quorum princeps Moyſes: ſecunda Phariſæorum, eum criminantium, tamquam prævaricatorem legis, cujus tamen Moyſes erat lator & Elias zelator maximus. Ut Chriſtus ſe vitæ & mortis dominum oſtenderet, unum adducit vivum, alterum mortuum ſuſcitat; ut diſcipulis manſuetudo Moyſis & Eliæ zelus imprimeretur. *Cum eo loquentes.* Lucas reſtrictius, *dicebant exceſſum*, ſeu exitum *ejus*, *quem completurus erat in Jeruſalem*, id eſt, differebant de paſſione & morte ejus, ſeu redemptione humani generis, tamquam ſcopo & complemento Legis ac Prophetarum, & antitypo totius œconomiæ veteris Teſtamenti. Cauſæ eſſe poterant, ut ſic Petrus & Apoſtoli mortem ejus horrere, & abſurditate offendi deſinerent. Addit idem Lucas, Petrum, & qui cum illo erant, gravatos fuiſſe

ſom-

somn , tempore scilicet orationis Christi, & antequam transfiguratus esset: tam, ut idem, cum evigilassent, viderunt majestatem ejus & duos viros cum ipso. Itaq e

4. *Respondens Petrus*, id est, in verba erumpens, seu loqui incipiens, prout *respondere* more Hebraico sæpe sumitur, *dixit ad JEsum: Domine bonum est nos hic esse*, id est, permanere, nempe propter spectaculi & voluptatis magnitudinem, qua velut sui ipsius oblitus & ebrius erat. Unde, ut fœlicitas illa sit perpetua, *faciamus hic tria tabernacula*, id est, tentoria ex frondibus, more Judaico, nempe ad retinendos Moysem & Eliam, jam parantes discessum, ut notat Luc. c. 9. v. 33. Forsan etiam manere omnes volebat ex horrore mortis Christi, de qua differebant. Uterque vero Marcus & Lucas annotant eum nescisse quid diceret. Puerile enim erat votum, tabernacula pro tam glorioſis requirere, neque consonum eorum colloquio de futura Christi morte. Causa inconsiderantiæ istius erat quædam consternatio animi & obstupefactio, quia Marcus ajt, *Erant enim terrore exterriti.* Unde ut reipsa voti istius incongruentia ostenderetur,

5. *Adhuc eo loquente: ecce nubes lucida*, instar tabernaculi, *obumbravit eos:* id est, velut umbra quædam texit tres illas personas glorioſas; partim ut splendorem

nu-

nube temperatum ferre poſſent; partim ut eſſet quaſi ſedes glorioſa divinæ majeſtatis, inde mox locuturæ. Sic enim & Chriſtus in nube adſumptus, & ad judicium venturus dicitur: & in veteri Teſtamento paſſim Dei majeſtas in ea loqui ſolebat, & apparere, tum in tabernaculo Moyſi, tum in templo Salomoni; ſed ibi tenebroſa erat, hic lucida ad indicandam diverſitatem ſtatus utriuſque Teſtamenti. *Et ecce vox de nube*, velut ex throno Dei Patris. Facta eſt autem, cum jam intraſſent Moyſes & Elias in nubem, ac diſceſſiſſent, adeoque, ut, Lucas ajt, jam ſolus eſſet Chriſtus; ut ſic quemadmodum Chryſoſt. obſervat, non eſſet dubium de Chriſto ſolo vocem intelligi: Hic, Jeſus, quem inſtar Solis fulgentem a Moyſe & Prophetis agnitum, prophetatum, probatum vidiſtis, *eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, de quo diximus in cap. 3. ſed hic additur, *ipſum audite*, ſcilicet loco omnis Legis & Prophetarum, quos ei velut officio ſuo functos jam cedere vidiſtis. Alludit enim ad verba Moyſis, jam impleta, Deuter. 18. v. 15. *Prophetam de fratribus tuis ſuſcitabit tibi Dominus, ipſum audies*, ei credendo, obediendo, ſerviendo, tamquam ipſi verbo & ſapientiæ divinæ legiſlatrici, quantumcumque ſcilicet ardua, & præceptis legibus contraria docere videatur.

6.

6. *Et audientes discipuli*, vocem illam plenam divinæ majestatis *ceciderunt in faciem suam*, tum veneratione, tum maxime consternatione quasi exanimes, *et timuerunt valde*, id est, quia timuerunt valde. Pavor enim ex conspecta gloria subortus, & eis intrantibus in nubem auctus, audita vocis illius magnificentia, in tanta montis solitudine in terram eos prostravit. Nam humana fragilitas conspectum majoris gloriæ divinæ ferre non sustinet, ut Hieron. Unde simile quid contigit Danieli, c. 10. v. 8. & 9. & Joanni, Apocal. 10. v. 17. Hinc sicut in illis locis Angelus Danielem & Joannem, ita & hic Christus

7. *Tetigit eos*, ut non sola voce ipsis nota, sed & tactu confirmarentur, discusso metu. Mystice vultus, ut Sol, est lumen ipsius Evangelii; splendor vestimentorum, mundatio Ecclesiæ; Moyses & Elias, Lex & Prophetæ attestantes. Vide August. Serm. 23. & latius 69. de diversis; prolixius & moraliter Orig. in Matth.

9. *Et descendentibus illis*, &c. *nemini dixeritis visionem*, non solum populo, ut videtur Hieronymus putare, sed nec Apostolis cæteris; sic enim eos hoc præceptum observasse satis indicat Lucas. Causas prohibitionis adfert Hieron. tum ne incredibile esset pro rei magnitudine: tum ne apud rudes animos post tantam glo-

gloriam crux subsequens scandalum crearet irreparabilius. Vide dicta in simili cap. 16. v. 20. *Donec filius hominis a mortuis resurgat:* tunc enim & fidem & fructum inveniet istius rei opportuna prædicatio, miraculo gloriolæ resurrectionis & ascensionis adjuta.

10. *Et interrogaverunt eum discipuli*, inter descendendum ex monte: *quid ergo scribæ*, seu legis periti, *dicunt, quod Eliam oporteat primum venire?* nempe ante adventum Christi. Causa quæstionis fuit, quod Elias jam discessisset, & quod Christus ipse fecisset mentionem de resurrectione ex mortuis. Unde Marcus ajt, eos de hoc Christi dicto conquisiviisse, & mox subjungit hanc interrogationem. Sensus est ergo juxta Chrysostom. Hom. 58. Cum tu sis Christus, & brevi te moriturum dicas, quid est, quod Scribæ dicunt Eliam, qui jam discessit, oportere primum veni e quam Christum, ut convertat cor filiorum ad patres, & inde concludunt te non esse habendum Christum? Distinctione duplicis adventus & duplicis Eliæ solvit hoc Christus respondendo:

11. *Elias quidem venturus est*, Græce *venit*, in præsenti, id est, veni e debet. Additur autem Græce & Syriace, *primum* id est, præcedet me: qu. d. Omnino verum est, quod Scribæ dicunt de Elia venturo. *Et restituet*, seu restaurabit, *omnia*, reducendo scilicet, reliquias Isra-

el

el ad fidem, & Gentilium plenitudini uniendo. Eſt enim periphraſis ejus, quod Malachias dicit cap. 4. v. ult. *Et convertet cor filiorum ad partes, quia Gentilium patres Judæi.* Atque ita de vero Elia & ſecundo adventu locus iſte intelligitur, juxta communem intelligentiam antiquorum, Auguſt. Quæſt. Evangel. lib. 1. quæſt. 21. Hieron. Chryſoſt. & diſcipulorum ejus, & Hilarii in hunc locum.

12. *Dico autem vobis*: qu. d. Et quia Scribæ tantopere Eliam inculcant, ne quis offendatur, quod præſentem adventum meum Elias non præceſſiſſe videatur, *dico vobis, quia Elias jam venit*, id eſt, quod ille, qui hunc meum adventum præcedere debet, juxta Malach. c. c. 3. v. 1. *jam venit*, jam eſt functus ſuo officio. Joanem Baptiſtam intelligit, quem vocat Eliam, quia, ut Angelus dixit Lucæ 1. *in ſpiritu & virtute Eliæ* præceſſit, hoc eſt, propter officii ſimilitudinem, prædicandi ſcilicet pœnitentiam, & revocandi tribus Jacob ad Deum, & præcurrendi Chriſtum. *Et non cognoverunt eum*: id eſt, ſed noluerunt agnoſcere, ipſum eſſe alterum Eliam, & prænuntium Chriſti.

Totus igitur error Scribarum in eo ſitus erat, quod illos duos adventus non diſtinguerent, ſicut Chriſtus diſtinguit hic, & proinde duos Elias non agnoſcerent. Hæretici noſtri e contrario ita

Jo-

Joannem Eliam esse volunt, ut veri Eliæ adventum negent, contra sensum unanimem totius antiquitatis, & apertissima verba Malachiæ, quæ ne quis ad Joannem detorqueret, evidentissime loquitur de secundo adventu: & Eliam Prophetam vocat, prout ista ponderat Chrysost. de lunatico ut dicemus Marci 9. ubi accuratius narratur.

18. *Tunc accesserunt discipuli ad JEsum secreto*, Græce *Katidiun* privatim & seorsim a publico, verentes scilicet, ne qua sua culpa potestatem patrandi miracula amisissent. Unde causam Christus eis profert, *incredulitatem*, id est, fidei imperfectionem, quæ minor in eis erat, quam Apostolos, tamdiu cum ipso versatos habere oportebat, & ad talem sanationem erat necessarium: qua de causa toties eos vocat pusillæ & modicæ fidei. Eamdem incredulitatem reprehenderat palam in parente pueri, & Judæis, v. 16. sed hic seorsim in Apostolis, ut eorum auctoritati consuleret. Porro fides hæc patratrix miraculorum fiduciam adjunctam habet, quasi fides per fiduciam operans. Complectitur enim magnam firmitatem persuasionis de Dei omnipotentia, & immobilem fiduciam impetrandi: quarum utramque Deus inspirat etiam nonnullis improbis, sine vera charitate. Itaque

19.

19. *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis.* Comparatio fit ſimul ratione quantitatis minimæ, & virtutis maximæ. Unde Apoſtolus, ad hunc locum alludens, talem fidem vocat *omnem fidem*, id eſt, integerrimam, pleniſſimam, *ita ut montes transferam*, 1. ad Corinth. 13. v. 2. Itaque fides, ſicut granum ſinapis, eſt minima quidem ſpecie, humilis abſque oſtentatione, ſed viva, acris, vehemens, fervida, efficax. Quid humilius, quid vehementius, quid ferventius? inquit Auguſtinus explicans granum ſinapis, tract. 40. in Joan.. *Dicetis monti huic*, id eſt, dicere & jubere poteritis, ut mons iſte tranſeat de loco in locum, & fiet: multo ergo magis dæmones. Adfert hoc exemplum, tanquam rei humano judicio impoſſibilis, longeque difficilioris, quam ſit ejectio dæmonum. Fecit hoc ad litteram Greg. Thaumaturgus, & alii nonnulli, & ipſi Apoſtoli etiam forſan ante, cum ſuſcitarent mortuos, facere potuiſſent: ſed fides hominis etiam juſti, & fiducia non ſemper æque vigent, ut annotat hic Chryſoſtom. & in Moyſe patuit, num. 20. v. 12. Per montem hic intelligunt Hieron. Ambroſ. & ſubinde Auguſt. ipſum diabolum, propter ſuperbiam; ſed ſenſus videtur myſticus. *Et nihil impoſſibile erit vobis*, tali fide credentibus, cum ſcilicet Dei gloria aut hominum ſalus poſtulaverit. Fides enim hujuſmodi a ſa-

pientia divinitus infusa regitur, non autem a circulatoria hominibus placendi aut ostentandi se cupiditate. Quæ causa fuit, cur Pharisæis, Herodi, & similibus curiosis Christus etiam postulantibus signum non exhibuerit.

20. *Hoc autem genus*, dæmoniorum, nempe ferociſſimorum & obstinatiſſimorum ab infantia possidentium, ita ut eorum possessio in naturam quodammodo hominis conversa videatur, *non ejicitur nisi per orationem, et jejunium*, quæ fidei supradictæ conjungantur, quia talis fides dictat, ut pro rei gravitate subsidium ardentis orationis & jejunii adhibeatur. Nam jejunio mens aversa a delitiis corporalibus spiritui subditur; oratione sublevatur in Deum & ita naturæ spirituali divinæ fit propinquior, gratior, & idonea, quæ spiritibus immundis dominetur, sicut contra per crapulam & mentis ignaviam iis subjicitur. Indicat ergo Christus, non eis fidem illam tantummodo, sed & alia duo media ejiciendo dæmoni necessaria, defuisse, orationem & jejunium.

Porro cum Christus ex Galilæa, ubi omnia superiora gesta sunt, iter instituereret in Jerosolymam, *accesserunt ad Petrum*, tanquam discipulorum præcipuum (non enim audebant a magistro propter auctoritatem tale aliquid petere) *qui didrachma accipiebant*, Græce pluraliter *Τα didrachma* a singulari *Didrachmum*, quod

quod proprie, ut nomen ſonat, eſt pondus duarum drachmarum, ſicut *Tetradrachmum* quatuor drachmarum. Transfertur autem ad nummum pondere didrachmi cuſum, ſive aureum ſive argenteum; hic vero intelligitur nummus argenteus. Porro octo drachmæ faciunt unciam, quatuor dimidiam: & hoc erat pondus ſicli, ut teſtis eſt Joſephus 3. Antiquit. c. 9. & Hieron. in c. 24. Tradit. Hebraic. in Geneſin. Itaque Didrachmum erat medius ſiclus, ſeu medius ſtater, valens duos circiter Regales Hiſpanicos, hoc eſt, decem circiter ſtuferos noſtrates, & vocabatur vulgo Denarius vel Argenteus, ſcilicet major: nam minor argenteus non valebat niſi unam drachmam, ſeu Regalem Hiſpanicum, id eſt, quinque circiter ſtuferos. Theophyl. & Chryſoſt. putant hoc didrachmum petitum fuiſſe a Chriſto, ut primogenito ex Lege: ſed hoc pretium erat quinque ſiclorum, Num. 18. v. 16. & ſolvendum ſemel tantum, idque poſt menſem a nativitate. Hilarius & nonnulli recentiores putant eſſe didrachmum ſeu dimidium ſiclum, qui quotannis ſolvebatur capitatim in uſum templi, 2. Paralip. 24. v. 5. & 9. conſtitutum in caſu numerationis populi a Moyſe, Exodi 3. v. 12. & 13. Unde Joſephus lib. 6. De bello Jud. cap. 26. teſtatur, Veſpaſianum illud pretium duarum drachmarum

indixiſſe Judæis, ubique locorum degentibus, quod ante ſolebant templo pendere. Sed quia v. 24. clare indicat, fuiſſe indictum a Regibus, nempe Romanis, utiturque Græca voce *Cenſus*, quæ ſimiliter Romana eſt, veriſimilius videtur id, quod ſentit hic Hieron. fuiſſe cenſum a Romanis impoſitum, ad ſimilitudinem cenſus illius Judaici. Unde & cap. 22. v. 19. offertur Chriſto numiſma cenſus Cæſarei, denarius ſcilicet major jam dictus. An primo ab Auguſto impoſitum fuerit, cum deſcriberetur univerſus orbis, an vero ante eam a Pompeio, qui Jeroſolymam fecerit tributariam juxta Joſephum 14. Antiq. cap. 8. non conſtat. Itaque exactores rogant Petrum, ſive ſimulate, ut viderent, num reſiſteret Cæſari, ſive ſimpliciter, *magiſter veſter non ſolvit didrachma*, id eſt, non ſolet ſolvere: an vero eſt exemptus beneficio Principis?

24. *Ajt etiam*, id eſt ſolet ſolvere: quod dixit, vel præſumendo de Chriſti voluntate, vel conſcius præcedentium annorum. Chriſtus autem *prævenit eum*, ut hoc ipſo facto ſe cogitationum ejus & actionum conſcium, & conſequenter Deum a tributis immunem probaret; dicens, *reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel cenſum? a Filiis ſuis?* ſcilicet naturalibus, quos ex ſeipſis genuerunt; *an ab alienis?* id eſt, aliis ſubditis, qui non

ſunt

ſunt nati ex Regibus, ut exponit Chryſoſt. Illo reſpondente,

25. *Ab alienis*; infert Chriſtus, & ſimul confirmat, *ergo liberi ſunt Filii*, id eſt immunes a vectigali ſolvendo patribus ſuis, cum potius Reges recondant tributa pro filiis ſuis. Relinquit Petro colligendum, a minori ad majus, ut Auguſt. lib. 1. Quæſt. Evang. Ergo multo magis ego, qui Regis Regum filius naturalis ſum, a tributis liber ſum. Hoc igitur argumentum directe non concludit, niſi pro ſolo Chriſto: pro Petro vero & diſcipulis non niſi indirecte, nempe quia filii Regis familiares erant, ac domeſtici, qui etiam liberi eſſe ſolent: pro omnibus autem Chriſtianis nullo modo.

26. *Ut autem non ſcandalizemus eos*, id eſt, offendiculo ſimus, cauſam præbendo male ſentiendi de nobis, & loquendi, iraſcendi, & rixandi. Scandalum hoc futurum fuiſſe videtur, non tantum acceptum, ut putat Maldonatus, ſed datum, ut ipſa verba indicant. Publicanis enim non conſtabat cauſa libertatis, filiatio Dei. Docemur ergo, ſcandali vitandi cauſa, etiam temporalium jacturam eſſe faciendam, etſi cedendum jure noſtro. *Invenies ſtaterem*, qui, ut Hieron. hic, duo continet didrachma, hoc eſt, ut idem in cap. 4. Ezech. *Stater* idem eſt, quod ſiclus, continens drachmas quatuor, & proinde pretium erat cenſus pro duo-

bus. Alterum divinitatis & libertatis ſuæ ſpecimen dat, ſive præſcientiæ de ſtatere in ore piſcis, ſive potius potentiæ creandi illum, & adducendi ad hamum. Utrumque notat Hieronym. *Da eis pro me et te*, tanquam interpellato a Publicanis hac de re, & familiæ capite. De cæteris nihil addit, vel quia non aderant, vel relinquens intelligendum, ordinario modo ex loculis, vel ſubminiſtrantium eleemoſynis eſſe ſolvendum.

CAPUT XVIII.

1. IN illa hora, ſeu tempore, *acceſſerunt diſcipuli ad JEſum*, nempe vocati ab eo, cum eſſet domi in Capharnao, & interrogati ab ipſo, quid in via tractaviſſent; ibi enim de primatu contenderant. Videntes vero cogitationes ſuas eſſe detectas, verecundiæ cauſa ſub alia perſona proponunt quæſtionem. *Quis putas major:* Græce *Quiſnam*, vel, *quis tandem* (nam, *putas*, uſurpatur pro expletivo) erit maximus dignitate, auctoritate, honore proximus Regi Chriſto futurus *in regno cœlorum*, quod a te explicatur, & a nobis creditur eſſe propinquum & præ foribus? Occaſionem ſumpſerat iſta ambitioſa contentio in via, & hæc quæſtio

ex

ex eo, quod dixerat cap. ſuperiori verſ. 23. ſe moriturum, & tertia die reſurrecturum. Nam eodem prorſus modo, cap. 20. verſ. 21. filii Zebedæi, audita mentione reſurrectionis ejus, petunt ſe ſere ad latus dexterum & ſiniſtrum Chriſti in regno ejus. Et Luçæ 22. cum verſ. 16. & 22. intellexiſſent traditionem Chriſti, & regnum inſtare, mox v. 24. cœperunt contendere, quis eſſet major. Valde enim carnaliter videntur de iſto regno, & Rege, & dignitatibus, & præfecturis ejus more ſcilicet terrenorum regnorum cogitaſſe. Æmulationis autem cauſa erat, quod alii eſſent Chriſto carne propinquiores, alii vocatione priores, alii ætate, alii eruditione majores, alii in ſecretis familiariores: denique quod Petrus cæteris per clavium promiſſionem & nuperrime per tributi ſolutionem inſolitam præferri videretur, ut notat Chryſoſt. & Hieron.

2. *Et advocans JEſus parvulum*: non tam ſtatura, quam ætate Græce *Pyidion* quod *puerulum* ſignificat, qualis videlicet jam advocari & accurrere poſſet. Unde & Marcus addit, quod Chriſtus eum complexus ſit, Græce in ulnas ſuſceperit, *labon paidion* quod parvulis fieri ſolet. *Statuit eum im medio eorum*, ut oculi omnium in eum figerentur. Nempe docere voluit, non verbis tantum, ſed rebus ipſis, more Prophetarum, ut ſalu-

berrima humilitatis doctrina altius eorum animis imprimeretur.

3. *Et dixit: amen dico vobis, nisi conversi fueritis*, ab ista ambitiosa primatus, honorisque intentione, ac desiderio, *et efficiamini*, animi proposito, *sicut parvuli* sunt, statura, ætate, indole, nempe simplicitate, animi innocentia & humilitate; sic enim Christus ipse mox explicat vers. 4. Non ergo in omnibus nos vult imitari parvulos; habent enim & magnam insipientiam, & alia vitia: sed in eo, quod mirifice sint modesti, simplices, candidi, ab omni ambitione, fastu, atque invidia alieni. Nullis se præferunt, omnibus cedunt, de aliis magna, de se parva æstimant. Plura addit Hilar. Patrem sequuntur, matrem amant, velle malum nesciunt, curam opum negligunt, non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, & quod audiunt, verum putant. Vera hæc, sed plerisque non videntur hic a Christo spectari. *Non intrabitis in regnum cœlorum*: id est, non primi sed nulli in eo eritis, quia non intrabit in illud aliquid coinquinatum, Apocal. 21. v. ult. Non ergo significat mortali delicto illos adstrictos esse, sed ab illa primatus æmulatione, velut vitio corrigi omnino oportere.

4. *Quicumque ergo humiliaverit*, non caput, genua, verba, vestes; hoc enim & Hypocritæ præstant; sed *se*, cor scilicet atque

que animum, ex quo vere quiſque æſtimandus eſt eſſe id, quod eſt: *ſicut parvulus iſte*, ſcilicet eſt minimus, ſeu humillimus, tum corpore, tum animo, ab omni ſcilicet faſtu, ſuperbia, & prærogativæ appetentia alieniſſimus: hoc eſt: Quicunque igitur fuerit perfecte humilis, inſtar parvuli, qui tota conſtitutione corporis & animi, perfectæ humilitatis, ſeu parvitatis exemplar eſt: *Hic major eſt in regno cœlorum*, id eſt maximus: q. d. ille erit ibi maximus, qui hic minimus.

5. *Et qui ſuſceperit*, hoſpitio ſcilicet, quo tamen uno humilitatis officio omne beneficentiæ genus ſignificatur: *unum parvulum talem*, qui videlicet ſe hic humiliaverit, ſicut parvulus. Magis enim loquitur de figuratis per parvulos, quam de figura, ſeu de ipſis parvulis, ut patet ex antitheſi verſus ſeq. *In nomine meo*, mea cauſa, quia meus eſt, & propter me exinanitus: *me ſuſcipit*, id eſt, tanti facio, ac ſi meipſum ſuſciperet, & ita remunerabor, quia mihi ſunt ſimillimi.

6. *Qui autem ſcandalizaverit.* Scandalizare non eſt idem quod contemnere, ut vult Chryſoſt. & Theophil. ſed proprie & generaliter offendiculum ponere in via juſtitiæ: ſeu cauſam perditionis dare, ut patet ex ſequentibus. Quod, quamvis maxime fieri ſoleat contemptu, ut inſinuat verſus decimus, fit tamen multis etiam aliis modis, erronea doctrina,

vi, ſuaſione, exemplo. *Unum de puſillis iſtis.* Non ætate parvulos intelligit, quia ſequitur; *qui in me credunt;* nam illi neque credunt, neque ſcandalizantur: ſed humiles intelligit, qui per tales parvulos ſignificantur. *Expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria:* ſupple, *quam ut ſcandalizet unum de puſillis iſtis*, prout ſupplet Lucas cap. 17. v. 2. *Mola aſinaria* dicitur lapis molaris prægrandis, qui ab aſino circumagitur, ut Hilar. cap. 1c. ad differentiam molæ levioris truſatilis. Nam quod aliqui volunt, ſignificatum eſſe lapidem inferiorem, qui Græce *onos* dicitur, minus verisimile eſt, eo quod in Syriaco ſermone, quo Chriſtus loquebatur, non ſit illa nominis proprietas. Itaque horribili illo ſupplicio, quod, ut Hieron. apud veteres Judæos majorum criminum pœna fuit, ut alligato ad collum ſaxo in profundum maris demergerentur, rudius depingit magnitudinem criminis ſcandalizandi puſillos & pœnæ in altera vita repoſitæ.

7. *Væ mundo a ſcandalis.* Tranſit ad generalem doctrinam de ſcandalis: q. d. Ingentia mala impendent hominibus, in mundo viventibus, a peſte ſcandalorum: nam ſcandalizantibus graviſſima impendet ultio, omnibus vero ſummum periculum, ne a ſcandalis objectis lædantur. Neceſſe eſt enim, ut veniant ſcandala, hoc eſt, tanta eſt enim dæmonum verſu-

tia, tanta hominum fragilitas, pronitas ad malum, cæcitas, ac malitia, ut neceſſe ſit inde ſcandala multa ſequi. Neceſſitas ergo iſta non abſoluta eſt, ſed præſuppoſitæ talis conditionis, quam ut ſignificaret non tollere libertatem, vel excuſare ſcandalorum auctores, addit; *Veruntamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit*; nemo enim væ ſeu pœna dignus eſt, niſi culpa ſua. Hæc ergo neceſſitas eſt pravæ voluntatis, neque aliud quam certitudo rei futuræ. Verſus 8. & 9. qui hic per digreſſionem interponuntur, explicati ſunt ad cap. 5. v. 29. & 30. Unde rediens ad commendationem humilium, qui a mundo ſperni ſolent,

10. *Videte*, inquit, *ne contemnatis*, non ſolum eos ſcandalizando, ut ſupra, ſed vel factis, vel verbo, vel ſolo animo parvi faciendo, ex quo velut fonte ſcandala, injuriæ & irriſiones eorum ſequi ſolent. *unum ex his puſillis*, non infantibus, ſed humilibus in me credentibus, ut verſ. 6. hoc eſt, unum ex quibuſlibet juſtis; nemo enim juſtus, niſi humilis. Ratio eſt: nam quamvis mundo videantur nullius eſſe pretii, & omnium injuriis patere: tamen *Angeli eorum in cœlis*, id eſt, Angeli cæleſtes, ad eorum tutelam deputati a Deo, *ſemper vident faciem patris*: id eſt ſemper, etiam tum, cum puſillis adſunt & intendunt, nudam Dei eſſentiam contemplantur. *Facies* enim indi-

cat

cat claram Dei visionem, non in speculo, aut ænigmate, quæ videlicet nullis curis, actionibus, missionibus intercipi, aut turbari potest; tum quia Deus objectum ejus ubique præsens est; tum quia per ipsam, tamquam ipsius veritatis æternæ intuitum, in omnibus actionibus se regunt. Itaq. significat humilium Angelos Deo esse præsentissimos, familiarissimos, intimos velut honorarios principes Deo adstantes. Ex quo colligendum reliquit, & quanta dignitas pusillorum sit, & quanta de eis cura Deo, & quam facile sit talibus custodibus injurias eorum ulcisci. Colligunt ex hoc potissimum loco, & ex Psalm. 33. v. 8. Act. 12. v. 15. aliisque nonnullis locis, veteres, ut Hieron. Hilar. Chrysostom. Theophyl. & alii in hunc locum, omnes homines, maxime sanctos, Angelum habere custodem.

11. *Venit enim Filius hominis salvare, quod perierat*, id est, homines, peccato scilicet perditos, ac damnationis reos. Hoc adfert immediate quidem, ne cui mirum videatur Angelos jam beatos, eorum saluti promovendæ tuendæque deputatos, cum ipse Filius Dei eadem de causa venerit: mediate vero, ne scandalis & contemptu pusillos perdant, ad quos lucrandos ipsemet Filius Dei de cœlis descendit. Imitatus est idem argumentum Paulus ad Rom. 14. v. 15. & 1. ad Corinth. 8. v. 11. & 12. Illustrandæ autem rei gratia adjicit similitudinem,

ne quis putaret, ſolum generatim humani generis, & non particulatim Deum ſalutis ſingulorum accuratam habere curam.

12. 13. *Quid vobis videtur* : q. d. Nonne vobis ipſis judicibus ita inter homines fieri ſolet, ut quamvis multarum ovium dives ſit aliquis, ſi tamen vel una a grege aberraverit, non eam perire ſinat, ſed magna ſollicitudine requirat? Et ſi invenerit, *magis gaudet ſuper eam.* Non ajt, *magis diligit*, vel *pluris facit eam*; dilectio enim & æſtimatio cæterarum ovium, quam iſtius unius, major eſt: ſed *magis gaudet ſuper eam*, ſeu de ea, actuali ſcilicet quodam lætitiæ præſentis motu, quo afficitur erga hanc, non alias. Quod ita fieri ſolet, tum quia ſingularis ratio lætandi de hac occurrit, quæ non de aliis; unde gaudium iſtud de hac actuale, de cæteris habituale eſt: ex quo fit, ut homines de novo rei minoris ſucceſſu bono magis lætentur, quam de bonis veteribus longe majoribus: tum vero, quod gaudium propter oppoſitam triſtitiam, quæ præceſſit, magis ſentiatur. Ubique enim in rebus humanis majus gaudium major moleſtia præcedit, prout hæc docte & late declarat Auguſt. libr. 8. Confeſſ. c. 3.

14. *Sic non eſt voluntas ante Patrem*: id eſt, Ita quoque non vult Pater veſter, ut ſcandalis, vel alio quoquo modo deſe-

rendo juſtitiam, vel unus ex humilibus, Deum timentibus, pereat; ſed potius, ut, ſi periret, revocetur. Eſt enim tertium argumentum, a minori ad majus, quo declarat, quanti parvulos ſupra explicatos faciat: ut ita gradatim efficacius a ſcandalo dando deterreat; primo, conſideratione Angelorum, deinde ſui-ipſius, denique Patris ſui. Ex hac porro concluſione liquet, convenienter tam unam ovem, quæ erravit, quam illas nonaginta novem, quæ poſtquam ab errore reductæ fuerant, in juſtitia, velut in montibus, paſcendo perſeverant, de hominibus peccatoribus & juſtis intelligi. Quamvis plerique veteres, Hilarius Can. 18. Chryſ. Cyril. Catech. 19. Greg. Homil. 34. in Evang. & alii, unam ovem intelligant genus humanum, quod peccando erravit: nonaginta vero novem Angelos juſtos, eo quod, ut Cyril. incomparabiliter homines numero excedant.

15. *Si autem peccaverit in te Frater tuus.* Hactenus de non ſcandalizandis, aut lædendis iis, qui neminem lædunt: nunc de iis, a quibus nos ipſi lædimur; tales enim aliquis putare poſſet viciſſim impune poſſe lædi. Itaque *ſi peccaverit in te*, id eſt, ſi aliqua te injuria, ſive ex errore, ſive fragilitate, ſive malitia affecerit. Quamvis Auguſt. Serm. 16. de verbis Dom. cap. 7. ſimul per hoc inſinu-

a-

atum velit, te ſolum iſtius injuriæ eſſe conſcium: qui enim multis audientibus tibi fecit injuriam, inquit Auguſt. & in illos peccavit, quos teſtes ſuæ iniquitatis effecit. Sed generaliter intelligendum eſſe ſatis indicat verſus 12. & Lucas, cap. 17. verſ. 3. A paritate autem rationis ad quodlicet peccatum, etiam in alios, ipſumque Deum commiſſum, hæc doctrina extendi poteſt. Chriſtus enim illic maxime frænum injicere voluit, ubi major vindictæ acerbitas & animi præcipitatio eſſe ſolet, & certior peccati notitia, & efficacior charitas læſi, videlicet apud eum, qui læſit. *Frater tuus*, id eſt, non Ethnicus, aut qui foris fuerit, ſed ejuſdem tecum religionis, ut patet ex verſ. 17... *Vade*, id eſt, non exſpectes, ut culpam agnoſcat, veniam petat, ſed *ultro vade & corripe eum.* Latet hic tacita negatio: q. d. Noli, vel negligere peccatum ejus, vel prorumpere ad propalandum, ad accuſandum apud judicem, ad te vindicandum, ſed cum charitate, benignitateque corripe ad emendandum. Quod breviter Auguſtin. Serm. cit. cap. 4. Obliviſcere, inquit, injuriam tuam, non vulnus fratris tui. Non enim nocendi aviditate corripere debemus, ſed ſtudio corrigendi, idque, *inter te & ipſum ſolum*, id eſt, ſine ullis arbitris, ita ſcilicet ſtudendo correctioni, ut parcas pudori, inquit Auguſt. Forte enim præ verecundia inciperet defende-

dere peccatum ſuum, & quem velles facere correctiorem, faceres pejorem. Viam itaque benigniſſimam primum tentari cupit, ſine ulla pudoris famæque læſione. Si enim fortaſſe ſolus noſti, & eum vis coram pluribus arguere, non es corrector, ſed proditor: publica enim correctio in publicis peccatis locum habet, ut ſic & cæteri timorem habeant. Efficaciſſimus eſt igitur iſte corrigendi fratris modus, dum ipſe, qui læſus eſt, oſtendit ſe non inimicitiæ, non vindictæ, non infamiæ, ſed ſolius ſalutis ejus eſſe ſtudioſum. Quod *ſi*, hac tua prudentia ſinceraque dilectione motus, *te audierit*, admittendo correctionem tuam, & agendo peccati ſui pœnitentiam; non rem levem aſſequeris, ſed *lucratus eris fratrem tuum*; qui proinde peccando perierat, non ſolum Deo & ſibi, ſed etiam tibi.

16. *Si autem te non audierit*, ſive negando peccatum, ſive tamquam juſtitiam defendendo, ſive in peccato quoquo modo perſeverando, *adhibe tecum unum, vel duos*: tum ut majoris ponderis & efficaciæ ſit correptio; tum ut peccati fidem faciat, ſi neget, excuſet, aut defendat; tum denique, ut coram Eccleſia convincatur contumaciæ. Nam ad iſta duo reſpici ſuadet, id, quod adjicit ex Deuter. *Ut in ore duorum, aut trium teſtium ſtet omne verbum*, id eſt, ut ſermone ac teſtimonio duorum, aut trium totum hoc negotium fra-

fraternæ correctionis peragatur, ratumque, ac firmum habeatur. Hic est secundus correptionis gradus paulo severior; cum aliquo pudore, seu infamia. Non enim post irritam privatam monitionem vult statim salutem fratris abjici, vel continuo eum publicis remediis cogi: sed

17. *Si non audierit eos, dic ecclesiæ*, id est, refer rem totam ad Ecclesiam: non populi multitudinem, sed ad illam Ecclesiam, penes quam mox dicit esse potestatem ligandi & solvendi, id est, dic Præsuli Ecclesiæ. Nam quod ad ipsum velut publicam personam refertur, ad Ecclesiam refertur, quia totius Ecclesiæ, cui præest, curam & personam, & consensum gerit. Hic tertius est correptionis gradus, cum aliqua infamia conjunctus: sed majorem rationem haberi cupit Christus salutis ejus, quam famæ & verecundiæ. *Si autem Ecclesiam non audierit*, id est, si Pastori Ecclesiæ redarguenti, populoque ei consentienti non obedierit, sed præfractus perstiterit in peccato: *Sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, id est, non amplius eum habeas loco fratris, sed sicut hominem a communione ejusdem religionis alienum, & publicis peccatis infamem, a quo in divinis & humanis abstineas. Respicit enim ad consuetudinem Judæorum, qui ab Ethnicorum & Publicanorum tamquam publicorum & insanabilium peccatorum, consortio & men-

ſa abſtinebant, ne polluerentur, ut patet Act. 10. verſ. 28. ad Galatas 2. verſ. 12. & de Publicanis in Evangelio paſſim patet. Hic eſt quartus correptionis gradus, ejectionem ex Eccleſia, ſeu excommunicationem adjunctam habens: quæ tamen etiam eo fine adhibenda eſt, ut lucremur fratrem, hoc eſt, ut ovis morbida per ipſam forſan ſeparationis ignominiam ſanetur; aut certe, ne ſuo contagio ſanas oves inficiat. Quas cauſas tangit Auguſtin. De correct. & grat. cap. penult. & Apoſtolus 1. Corinth. 5. & 6. Hic eſt ergo ordo correptionis ſecretorum peccatorum, & quidem fraternæ, hoc eſt, quæ non ſpectat peccatum, prout vel ſcandalizat alios, vel reipublicæ, aut multis nocet; ſed prout ſolt peccanti, idque eo fine, ut ille corrigatur, vel ſaltem, ut alii a contagio præſerventur. Cum vero finis ſit regula mediorum, tota correptio & ordo ejus ex eo moderanda ſunt; ita ſcilicet, ut, ſi non ſit ſpes emendationis aſſequendæ, adhiberi non debeant: ſin aliquid huic ordini addendum, aut detrahendum ex eadem illa fraterna charitate videatur, etiam addatur, vel detrahatur. Magis enim Chriſti mens ſpectanda, quam verba: quæ modum quidem naturalem & convenientiſſimum tangunt, non tamen ſemper ſecundum omnes apices obſervari debent, ſed pro locorum, temporum, perſonarum exigen-

gentia, quando ſcilicet correptio & ille ordo ejus hoc loco præſcriptus charitati & emendationi utilis fuerit, quemadmodum in præceptis affirmativis obſervandis fere fieri ſolet.

18. *Amen dico vobis*, id eſt, Vere tamquam rem certam & indubitatam dico vobis, Apoſtolis & veſtris in Eccleſia mea ſucceſſoribus: *Quæcumque*, ſive hominem delinquentem, ſive delicta, *alligaveritis ſuper terram*, peccata ſcilicet in foro pœnitentiæ retinendo, vel homines vinculo excommunicationis in foro externo innodando. Nam utramque poteſtatem, maximeque poſtremam, promittit ad terrorem eorum, qui ab Eccleſia ſeu Præſulibus ejus eſſent habendi ſicut Ethnici & Publicani. Ne enim contemnerent ſententiam eorum, immobile ſeveritatis Apoſtolicæ judicium promiſit, inquit Hilar. Can. 18. hoc eſt, ſcire voluit eos, qui a talibus, ut Hieronym. ajt, condemnantur, humanam ſententiam divina ſententia roborari; ut ita frangeret eorum contumaciam, qui ipſa infamia nondum frangerentur. Senſus autem totius ſententiæ latius ex c. 16. v. 19. petendus eſt. Eadem enim poteſtas hic Apoſtolis, reſpectu eorum, quibus præeſſent, quæ illic Petro per claves, veluti ſignum plenæ & ordinariæ præfecturæ in univerſam Eccleſiam, adeoque in ipſos Apoſtolos promittitur.

19. *Iterum dico vobis:* qu. d. Imo amplius etiam hoc affirmo. Nam quamvis S. Hilar. Chryſoſtom. & Hieronym. velint hic commendari concordiam, quam correptio ſpectabat, adjiciendo ſcilibet præmium ejus, præſentiam Chriſti: videtur tamen ſimul tacitum a minori ad majus argumentum ducere. *Si duo ex vobis*, nempe, diſcipulis fide viva in me credentibus, & peculiariter præfectis Eccleſiæ meæ. Nam multi veteres hoc nimis reſtricte intelligunt, ut Origen. Tractat. 6. in Matth. de viro & uxore: Ambroſ. De inſtit. virginis cap. 2. & lib. 7. in Luc. de anima & carne, quod Hieron. fatetur eſſe myſticum. *Conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcumque petierint*, id eſt, quicumque rem concordibus in divina dilectione votis & precibus poſtulaverint; etiamſi per illam ligandi ſolvendique poteſtatem, quam promiſi, fieri forte nequeat, *Fiet illis a Patre meo.* Quæ petendi & impetrandi generalitas ita intelligenda eſt, ut ſupra c. 7. v. 8. expoſuimus illud, *Omnis, qui petit, accipit.* Relinquit enim hinc colligendum a minori, ſi vel duorum concors oratio tanti fit a Deo, quanto efficacior erit & facilius impetrabit totius Eccleſiæ oratio, quidquid poſtulaverit, ad contumacem fratrem vel reprimendum, vel convertendum? Cujus ratio generalis eſt:

20.

20. *Ubi enim sunt duo vel tres congregati*, ad postulandum, ad judicandum, ad tractandum de negotiis, *in nomine meo*, id est, propter me, & causas ad me spectantes; multoque magis, si simul congregati fuerint auctoritate mea, invocato auxilio meo: *ibi sum in medio eorum*, ut eos consilio dirigam, preces eis aspirem, & Patri gratas faciam, conatus adjuvem, decreta confirmem, & omnia ad prosperum eventum deducam. Non enim hoc dicit ratione divinæ presentiæ, qua ubique est, sed gratiæ & assistentiæ. Quanto ergo magis in medio est, ubi legitimum Ecclesiæ concilium congregatur, ut de fide, de religione, & de salute hominum tractet? quemadmodum concludit S. Greg. lib. 7. Regist. Epist. 112. & Catholici pro Conciliorum auctoritate argumentantur.

21. Tunc *accedens Petrus*, auditis scilicet iis, quæ de fratris in nos peccantis correptione, vel etiam pœnitentis condonatione dixerat, ut videtur ex Luca colligi cap. 17. vers. 4. Cum ergo carnali sensu Petrus multum vel nimium esse judicaret, si *usque septies* peccanti ignosceret, Christus eum corrigens, clementiam penne in immensum extendit, ac dimitti vult.

22. *Usque septuagesies septies.* Quod dupliciter tam Græce quam latine intelligi potest: vel ut *septies* sit tantum ad-

ditio ad *ſeptuageſies*, ut ſit idem quod *ſeptuageſies & ſepties*, prout accipit Aug. libro 2. De conſenſu Evang. capite 4. vel ut multiplicet primum numerum, ſcilicet *ſeptuageſies*, & ſimul efficiant quadringenta nonaginta, ſicut accipit Hieron. & magis videtur Græcum poſtulare. Utrovis modo acceperimus, ſignificatur, toties, quoties peccaverit frater innumerabilibus vicibus, eſſe dimittendum peccatum ejus, nec ulla peccatorum multitudine lenitatem animi nobis extorqueri debere. Ponitur enim numerus certus pro incerto; & quidem numerus, qui myſticè pertinet ad peccatorum remiſſionem, ut ibidem Auguſt. Non tamen jubet etiam pœnam ſimul remitti: ſæpe enim ordo diſciplinæ, juſtitiæ, ipſiusque charitatis poſtulat, ut peccatum, ſive verbis, ſive verberibus corripiatur, ne vel peccantibus, vel aliis lenitas noceat. Itaque preſcribitur tantum, quo animo erga fratrem eſſe debeamus. Addit Lucas cap. 17. v. 3. & 4. *Si frater converſus fuerit ad te, dicens, pœnitet me*, quia loquitur, non de interna tantum offenſæ vindictæque remiſſione, ad quam ſemper animus paratus eſſe debet, ſed maxime de externa ſimul receptione in gratiam, quæ rogantibus fit, ut ex parabola ſequenti patet.

23. *Ideo*, ut ſcilicet intelligatis, quam ſit æquum, ut fratri veniam roganti dimit-

mittatis, *assimilatum est regnum cœlorum homini Regi*: id est, Ita res se habet in Ecclesia & regno meo, ut si Rex quispiam inter homines rationes audiret servorum suorum, &c. More namque Palæstinorum atque Syrorum, ut notat Hieron. parabolam adjungit, ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem atque exemplum facilius teneatur. Itaque

24. *Oblatus est ei unus; qui debebat ei decem millia talenta*, id est, ingentem pecuniæ summam. Hoc enim tantum spectat hic Christus, ut significet summam, quam debebat servus Regi, incomparabiliter fuisse majorem ea, quæ servo a conservo debebatur, id est *centum denariis*: quemadmodum gravitas criminum, quæ adversus Deum committimus, enormiter excedit omnes offensas hominum adversus homines. Est autem *Talentum* non tam nummi quam ponderis genus, de quo non omnino consentiunt auctores. Sed quidquid sit de Talentis Atticis aut Romanis, clare deduximus in cap. 38. Exodi v. 26. & 27. Talentum Hebræum, de quo Moyses, & verisimiliter hic Christus loquitur, continuisse tria millia siclorum, hoc est, florenorum nostratium, loquendo de siclo argenteo. Nam aureus siclus duodecuplo circiter major est: proportio enim auri ad argentum est circiter duodecu-

pla. Cum autem Talentum Atticum, quo & Romani utebantur, fuerit circiter duplo minus, continuiſſet ſiclos mille quingentos; alii dicunt mille octingentos, ſeu ſexcenta ſcuta Gallicana. *Denarius* ſimiliter argenteus appendebat drachmam Atticam, id eſt, unum Regalem Hiſpanicum ſeu quinque circiter ſtuferos. Quamquam nonnuli velint, fuiſſe & alium Denarium, duplo majorem, qui valuiſſet proinde una drachma Judaica, id eſt, decem ſtuferis. Drachma enim Judaica continebat duas Atticas ſeu Romanas. Itaque

25. *Cum non haberet ſervus, unde redderet, juſſit eum Dominus venundari, & uxorem, &c.* hoc eſt, juſſit extremo rigore cum ipſo agi. Alludit enim ad quorumdam locorum conſuetudinem, ubi ad extorquendam ſolutionem, creditori licebat etiam vendere debitorem, & liberos ejus, vel in ſervitutem rapere, ut patet 4. Reg. 4. v. 1. Mox tamen cum ſervus ſolummodo dilationem petiiſſet, dominus ultro

27. *Dimiſit eum*, liberum ſcilicet e captivitate; jam enim apprehenſus tenebatur: *& omne debitum dimiſit ei*, ſcilicet tam immenſum, ad ſolas preces: Quo parabolice deſcribitur inexhauſta Dei miſeratio erga pœnitentes.

28. *Egreſſus autem invenit unum de conſervis*, id eſt, de ejusdem domini ſervis,

vis, cui tanquam æquali debebat humanitatem, & ejus domino aliquam obſervantiam: *qui debebat ei centum denarios*, id eſt, debitum incomparabiliter minus eo, quod ei dimiſſum fuerat, quales eſſe ſolent hominum in homines offenſæ, ſi cum divinis comparentur: *& tenens ſuffocabat eum*, id eſt, premebat fauces ejus, quaſi jam jam ſtrangulaturus, niſi ſolveret, id eſt, ſumma in eum utebatur truculentia.

29. *Et procidens rogabat*, id eſt, iisdem omnino utebatur verbis & ſupplicis animi officiis, quibus ipſemet uſus fuerat. Hoc enim de induſtria inducit Salvator, ut acrius condemnet indomitam hominum ferociam in injuriis remittendis.

30. *Ille autem noluit*, nequidem habere patientiam, nedum dimittere, ſicut ſibi dimiſſum fuerat.

31. *Videntes autem conſervi ejus*, tam qui affligebatur, quam qui affligebat. Unde Syrus vertit, *eorum*; erant enim omnes ejusdem domini ſervi. *Contriſtati ſunt valde*, de tanta ingratitudine & crudelitate. Multam enim emphaſin habet, quod ipſimet conſervi rei indignitatem ferre non poterant.

32. *Tunc vocavit eum dominus, & ait illi: Serve nequam*, quo nomine propter ipſum ingens debitum vocatus non fuerat, *Omne debitum*, tam enormis magnitudinis, *dimiſi tibi*, *quoniam rogaſti*, ſeu

rogaveras *me*, id eſt, tantummodo quod mihi ſupplex factus fueras: non enim rogaverat debiti dimiſſionem, ſed dilationem, eo quod præ magnitudine non auderet.

33. *Nonne ergo oportuit & te*, ſervum, non dico remittere debitum, ſed ſaltem *miſereri conſervi tui*, tibi æqualis, in re minima?

34. *Et iratus dominus tradidit eum tortoribus*, ut carcere aliisque pœnis affligeretur. Nam & hic alludit Chriſtus ad morem quarumdam nationum, ut Romanorum, quibus jam Judæi ſuberant, inter quos debitores a creditoribus tradebantur tortoribus, in ergaſtulum trudendi & verberibus flagellandi. Nam primus Conſtantinus Imperator dicitur debitores a plumbatarum ictibus exemiſſe. *Quoadusque redderet universum debitum*, prius remiſſum; ita ſcilicet ut, ſi ſolveret, liberaretur; ſi nunquam ſolveret, nunquam liberaretur. Unde perperam colligebat Origenes pœnas etiam mortalium peccatorum aliquando expiandas & finiendas. Simile quid vide c. 5. v. 26. Non ſignificat item, quod legibus humanis debita ſemel remiſſa repeti queant, ſed quod Rex ſuprema pollens poteſtate crudelitatem illam cum tanta ingratitudine conjunctam tam grave peccatum judicaret, ut eadem pecuniæ ſumma, cujus remiſſionem acceperat,

rat, mulctari mereretur. Unde cum Christus applicando totam parabolam concludit,

35. *Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis*, &c. non ſignificat proprie redire reatum præcedentium peccatorum ſemel dimiſſorum, ſed improprie, quatenus inhumanitas illa & ingratitudo directe contra formam accepti prius beneficii admiſſa tam grave peccatum reputatur, ut pro ea tam ſevere puniatur, ac ſi priora non fuiſſent dimiſſa, ut exponit S. Thom. 3. p. quæſt. 88. artic. 1. & 2. *Si non remiſeritis unuſquiſque*, non conſervo tantum, ſed *fratri ſuo*. Hæc eſt enim alia prægnans conſideratio facultatis dandæ veniæ. *De cordibus veſtris*: ut ſcilicet non ſolum ore remittatis, ſed ex animo omnem ſcilicet vindictæ cupiditatem, iram, odium, amaritudinem, & injuriæ recordationem ex animo deponendo. Unde, ut Hieron. omnem fictæ pacis ſimulationem evertit. Applicatio itaque totius parabolæ facilis eſt, eo ſpectans, ut remittendis injuriis, & raris & levibus, quas homo in hominem, æqualem ſibi & conſervum, ſubinde committit, faciles ſimus, non ſeveri exactores; idque intuitu indulgentiſſimæ facillimæque benignitatis Dei in remittendis tot tantiſque peccatis noſtris: ne alioqui viciſſim ſeveriſſime ab eo tractemur.

CAPUT XIX.

1. *ET venit in fines Judææ trans Jordanem*, hoc est, proficiscens per regionem, quæ est ultra Jordanem, venit circa fines Judææ, quæ ex sorte tribus Judæ & Benjamin constabat. Nam illud, *trans Jordanem*, referendum est ad: *venit*, & non ad: *fines Judææ*, ut patet ex Marci 10. v. 1.

3. *Et accesserunt ad eum Pharisæi*: non discendi studio, sed *tentantes eum*, ut scilicet in perplexa multumque controversa quæstione aliquid diceret, quod in calumniam raperent: *Si licet homini dimittere uxorem*, id est, repudiare a thoro ac domo, in perpetuum, cum potestate ducendi alteram, *Quacumque ex causa*, & consequenter pro arbitrio ac libitu suo. Nunquam enim volenti dimittere deest aliqua exigua causa vel pretextus. Videtur autem ista quæstio tunc fuisse multum disputata, aliis dicentibus quamlibet causam, vel minimam offensionem sufficere, juxta illud Deut. 24. v. 1. *Si non invenerit gratiam ante oculos ejus*; quomodo vulgo intelligebatur & praxis erat: aliis requirentibus justam causam, scilicet *fœditatem verbi*, ut Lex loquitur, id est, fœdam aliquam causam. Itaque utrumvis

vis reſponderet, incidebat Chriſtus in invidiam, tum alterius partis diſputantium, tum vero ipſius populi: virorum quidem, ſi diceret, id non licere, quo jam tanquam lege utebantur: mulierum autem, ſi repudium virorum libidini permitteret. Ut vero ſolutio quæſtionis minus eſſet calumniæ obnoxia, reſpondet, ex Scriptura, proferens Dei ipſius in conjugio inſtituendo conſilium.

4. *Non legiſtis vos*, qui de Legis ſcientia gloriamini, *Quia qui fecit hominem ab initio*, ſcil. mundi, ſeu in prima inſtitutione rerum, *Maſculum & fœminam*, non fœminas, *fecit eos*? Conjuges ſcilicet, de quibus diſputatis, hoc eſt, in gemino ſexu creavit eos, unum marem, alteram fœminam. Quibus verbis duo probat Chriſtus: primum, conjugium in hominibus eſſe inſtitutum a Deo: non ita in aliis animalibus, eo quod diſerte in ſola creatione hominis fiat mentio maris & fœminæ: ſecundum, ita inſtitutum, ut unus unam tantum haberet uxorem: q. d. Si deus virum plures uxores ducere voluiſſet, ut fit in polygamia & repudio, plures ei creaſſet & fœminas, ut una repudiata alteram poſſet ducere: filiam enim ducere non poterat. Nam in brutorum ſpecie uni mari plures fœmellas creatas fuiſſe non abſurde quidam putant. *Et dixit*, Deus, per os ſcilicet Adami tamquam Prophetæ divinitus in-

ſpi-

ſpirati, ut exponit Auguſt. 9. de Geneſi ad litt. c. 19. quamquam poſſent & eſſe verba, quæ ſequuntur, ipſius Dei complentis ſermonem Adæ.

5- *Propter hoc*, id eſt, quia prima primi mariti uxor unica, & quidem ex ejus latere formata eſt, *dimittet homo*, maſculus junctus matrimonio, *Patrem & matrem*, nempe quantum ad vitæ ſocietatem, converſationem, cohabitationem familiarem, ſicut videmus reipſa fieri, *Et adhærebit uxori ſuæ*, non uxoribus, idque tamquam carni ſuæ: Græce eſt *proskolletheſetæ*, *agglutinabitur*, ſcilicet modis oppoſitis dimiſſioni patris & matris. Ipſa vero dimiſſione parentum, quibus arctiſſime proles jungitur, ipſaque glutinis mentione arctiſſimam conjunctionem cum uxore indicat, ipſa vi dictionis oſtendens. inquit Chryſoſt. minime illos eſſe ſeparandos, & nefas eſſe maximum conjugalem conjunctionem per repudium velle ſolvere. *Et erunt duo*, non plures, hoc eſt, illi, qui erant duo, non plures, ante conjugium, vir ſcilicet unus & mulier una, erunt *in carne una*. Phraſi Hebraica illud, *in*, redundat, ut Geneſ. 2. *Factus eſt homo in animam viventem*, id eſt, anima vivens: item *Ædificavit in mulierem*, & alibi, *Ego ero illis in Deum*. Unde ſimiliter eſt hic Græce, *Erunt in carnem unam*, id eſt, erunt (quomodo Syrus legit, & Chriſtus

ſtus ipſe hic explicat) caro una, ſeus ut Apoſtolus 1. ad Corinth. 6. corpu-unum, per conjugalem ſcilicet commixtionem corporum ſeu carnium, quemadmodum Adam & uxor erant una caro. Nam idcirco Eva de eadem carne viri ſui ſumpta fuit, ut typus humani conjugii, quo vir & uxor fierent una caro, ſimili modo atque Adam & Evà erant una caro, non quidem jam origine unius ex altero, quod primis conjugibus peculiare fuerat, ſed commixtione. Unde Victor Antiochenus in Marcum: Ex una radice facti ambo, in unum rurſum corpus conveniunt ambo, ſcilicet ipſa corporum commixtione & unione, per quam fiunt ex duabus carnibus una caro & unum principium unius prolis. Et hinc eſt, quod Apoſtolus 1. ad Corinth. 6. verſ. 16. etiam commixtione cum meretrice unam carnem fieri tradit. Sed in hoc præcellit unio conjugum, quod hi fiant una caro non ſolum facto, ſed etiam mutuo ipſorum corporum jure & poteſtate, idque ex Dei inſtitutione. Hinc ergo ex illa dimiſſione parentum, ex adhæſione, ſeu agglutinatione ad uxorem, ac denique ex eo, quod ex Dei inſtitutione duo erunt in carne una, concludit interpretando Chriſtus.

6. *Itaque jam*, ſeu poſt hac, poſtquam fecerint, atque fuerint id, quod conjugum

jugum proprium eſt, *non ſunt duo*, ſcilicet carne, id eſt, deſinunt eſſe duo carne diviſi atque ſeparabiles, ſicuti ante duo erant, *ſed una caro*, id eſt, unum corpus, divina ordinatione compoſitum, alter alterius quaſi membrum, tam indiſſolubiliter conjunctum, ac ſi eſſent prorſus unius omnio carnis duo magna membra, eo quod copula unam faciat. Hic eſt proprius hujus loci ſenſus, quem tradunt Baſil. lib. de Virginit. Auguſt. lib. 2. operis imperf. contra Julian. & alibi paſſim, & fere veteres ſancti Patres. Iſtam autem unitatem reſpiciunt aliæ quædam unitates, quarum iſta eſt in conjugibus effectus, ſignum & complementum, nempe unitas amoris mutui, unitas ſocietatis indiſſolubilis, unitas originis fœminæ ex viro, unitas juris & poteſtatis mutuæ: de quibus diximus Geneſ. 2. v. 24. Sed illæ proprie non indicantur hic, ſed ſola ea, quam diximus. Unde non recte etiam quidam explicant, ut una caro ſit & unus homo: manent enim revera duo homines, non tamen duæ carnes, modo jam explicato. *Quod ergo.* Infert hic Chriſtus ſecundam concluſionem, qua directe reſpondet Phariſæis: q. d. Cum ergo ex Dei inſtituto duo ſint facti una caro, id quod *Deus conjunxit*, id eſt, unam carnem, quam Deus ſua auctoritate in unam coalelcere fecit, *homo*,

ſive

ſive uxor, ſive judex, ſive quilibet legislator ſua temeritate atque audacia *non ſeparet*, id eſt, non dividat repudio aut divortio; non magis quam corpus proprium ſua auctoritate diſcerpat aut mutilet. Nam his verbis, ut Chryſoſt. notat, oſtendit Chriſtus, repudium eſſe, & contra naturam, dum una caro in duo ſcinditur, perinde ac ſi homo ſuum ipſius corpus diſcerperet: & contra legem atque auctoritatem factoris naturæ, quia quod ille junxit & ſeparari vetuit, divellitur.

7. *Dicunt illi*: *Quid ergo*, id eſt, Cur vel quomodo ergo *Moyſes mandavit dare uxori libellum repudii, & dimittere?* ſupple, *mandavit*. Nam ut Moyſis auctoritate Chriſti reſponſum refellerent, utramque & libelli dationem & dimiſſionem a Moyſe mandatam eſſe ſignificant. Unde Chriſtus caute verba ſua moderans, loco, *mandavit*, ſubſtituit:

8. *Moyſes permiſit vobis*, id eſt, non ſevere vetuit, non punivit, conceſſit nationi veſtræ dimittere a thoro & habitatione perpetua, cum poteſtate ducendi aliam, ſed conceſſit neceſſitate, non voluntate conſuetudinem jam inolitam, nempe *ad duritiam cordis veſtri*, id eſt, propter duritiam cordis, ſen cervicis, nempe propter obſtinatum & rebellem animum veſtrum, qui non ſinebat ſibi perſuaderi id, quod juſtum & rectum

erat. Significat enim, indulgentia Moysem, & consequenter Deum usum esse, permittendo dimissionem, videlicet ne majora mala perpetrarent per uxoricidium, veneficia, apostasiam a cultu Dei repudium prohibentis. De libello nihil respondet, quia ille magis impediebat repudium quam juvabat, utpote efficiens, ne subito vel facile impræmeditato ad repudiandum prosilirent, & ut esset testimonium duritiæ viri, & in favorem uxorum dimissarum, de quibus, & aliis, huc spectantibus, dictum est in Pentateucho. *Ab initio autem*, creationis, institutique matrimonii cum abesset omnis infirmitas & cordis duritia, *non fuit sic*: id est, non fuit permissum Adæ aut cuiquam dimittere uxorem, sed conjugium institutum fuit omnino inseparabile.

9. *Dico autem vobis*, renovando antiquam illam institutionem, & Mosaicam tollendo permissionem: *Quia quicumque dimiserit uxorem suam*, id est, a thoro & habitatione abjecerit: *Nisi ob fornicationem*: Græce est *(me hepi porneia)*, *non ob fornicationem*, & Syriace, *non adulteram*: ita ut non sit illis exceptio, sed simplex restrictio: quasi dic. Quicumque dimiserit uxorem non fornicantem, seu non adulteram. Accipiendo vero tamquam exceptionem, sensus est, quasi per parenthesin diceretur, quicumque dimiserit

uxo-

uxorem (quod quidem tantummodo propter fornicationem licet.) Sed utrovis modo ſumas, nullo pacto referri debet ad id, quod ſequitur, *Et aliam duxerit*, quaſi in illo caſu non mœcharetur vir: ſed tantum ad id, quod præceſſit, ſcilicet ad dimiſſionem. Et ita reſpondet Chriſtus tacite ad Phariſæorum quæſtionem, Utrum liceret homini dimittere uxorem quacumque ex cauſa? Quaſi reſponderet, nequaquam, ſed propter fornicationem tantum. Itaque *ſi aliam duxerit*, dimiſſa ſuperſtite, ſive ea fornicata fuerit, ſive non, *mœchatur*, hoc eſt, non matrimonium init, ſed committit adulterium: quia, ut Auguſt. libr. 2. ad Pollentium cap. 13. vinculum cum priore conjuge, niſi morte alterius non ſolvitur, non adulterium ineuntis, ſed de corpore exeuntis. Quod ſi ille mœchatur, multo magis mœchatur ille, qui non dimiſſa priori uxore, per polygamiam plures duxerit. *Et qui dimiſſam*, quacumque ex cauſa, etiam fornicationis *duxerit*, ſimiliter *mœchatur*, quamtumvis id Lex permiſerit. Hic eſt verus ſenſus hujus loci, quem nonnulli hæretici, imo & catholici olim ſic intellexerunt, quaſi aliquo caſu, ſaltem propter fornicationem, liceret non ſolum uxorem dimittere, ſed & aliam ducere. Referebant enim illud, *Niſi ob fornicationem*, etiam ad id, quod ſequi-

tur, & *aliam duxerit*: ſed poſt Concil. Trident. Seſſ. 24. Can. 7. non poteſt amplius hac de re dubitari; quamquam & Concil. Milevitanum Can. 17. idem aperte declaraſſet. Conſule dicta ſupra in v. 32. cap. 3.

10. *Dicunt ei diſcipuli*, veriſimiliter domi: nam Marcus narrat c. 10. v. 11. etiam præcedentem ſententiam domi fuiſſe ſaltem repetitam: *Si ita eſt cauſa hominis*, iſt eſt, ſi vel quandoquidem ita res ſe habet inter conjuges, hoc eſt, ſi ita indiſſolubile eſt vinculum, ut nullo omnino uxoris vitio ſolvi queat, atque alia duci: non enim dubitant de Chriſti ſententia, ſed admirantur: *Non expedit nubere*, Græce *gameſai*, id eſt, *uxorem ducere*, quod viris, de quibus Apoſtoli loquuntur, competit: nam *Nubere* alioquin competit mulieribus, ut notat Auguſt. de geſtis Pelagii c. 13. quaſi dicer. Apoſtoli, Non expedit in illam ſervitutem ſe conjicere, unde ſola morte exire poſſis, quocumque tandem vitio, aut fœditate, aut malitia laboret uxor.

11. *Qui dixit illis*, *non omnes capiunt verbum iſtud*, quod ſcil. non expedit nubere, ſeu uxorem ducere: hoc eſt, non omnes admittunt hoc practice in animum, ſive non omnes tanta virtute voluntatis præditi ſunt, ut affectum illum corporis omnium violentiſſimum ſuperent, *ſed* illi tantum, *quibus datum eſt*,

a Deo: quibus ſcilicet datum eſt a Deo, moleſtiis illis rebellantis cupiditatis non cedere, poſt concupiſcentiam ſuam non ire, titillantes cogitationes mox opprimere, carnem cibo potuque caſtigare: talibus enim modis dat Deus donum iſtud, quibus dat. Inſpirat quippe eis non ſolum velle caſtum eſſe, ſed etiam poſſe, hoc eſt, fortiter velle. Nam, ut optime Auguſt. lib. de grat. & lib. arbitrio cap. 4. Quibus non eſt datum, inquit, aut nolunt, aut non implent, quod volunt: quibus autem datum eſt, ſic volunt, ut impleant, quod volunt. Proinde non recte explicant hoc multi, quaſi Chriſtus ſignificaret omnibus volentibus hoc dari: non quaſi caſtitas non ſimul pendeat a voluntate, ſed quia velle non ſufficit. Nam, ut ex Auguſt. loco cit. & experientia patet, multi continere volunt, ſed non implent, quod volunt, quia non ſatis robuſta voluntate volunt. Robuſtæ autem voluntatis inſpiratio maximum eſt donum Dei, nec omnibus datur. Unde idem lib. 5. contra Julianum c. ult. reprehendens hujusmodi explicationem: Poſſet, inquit, Chriſtus dicere, non omnes capiunt verbum hoc, ſed qui voluerit, ſi verum eſſet, quod vos dicitis. Tacite ergo Chriſtus approbat id, quod Apoſtoli dixerant, imo ſimul rei difficultatem exaggerando, attraxit magis & hortatus

est, ut notat Chrysost. Hom. 63. quasi dic. inquit Ambros. de virginibus, Non est communis pluribus, & vulgaris integritas, nec pro infirmitate permittitur (quemadmodum nubere) sed pro virtute conceditur.

12. *Sunt enim eunuchi.* Vox, *enim*, continuandi est, non probandi: vult enim declarare, allatis tribus eunuchorum generibus, quinam sint illi, qui capiant verbum hoc, quod non expediat nubere, scilicet eunuchi, non primi vel secundi, sed tertii generis. Sunt ergo eunuchi, *qui de matris utero sic nati sunt*, nempe testibus natura trunci, vel frigidi, ad nuptias inepti, qui per naturam, non virtutem, corpore saltem casti sunt. *Et sunt, qui facti sunt ab hominibus*, scilicet eunuchi, seu castrati, id est, quibus testes ab hominibus vel attriti, vel exsecti, vel una cum veretro & scroto abscisi sunt, ut etiamnum fit apud Turcas: de quibus tribus generibus diximus ad cap. 23. Deutero. vers. 1.... *Et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt.* Hoc Valesii hæretici apud August. Hæresi 37. & Epiphan. Hæresi 58. exequebantur, ipsa membra mutilando, tam sua, quam hospitum ad se divertentium. Imitatus est & Origenes, & merito reprehensus. Est enim divina lege prohibitum tamquam opus homicidæ, ut Chrysost. Nam hujusmodi mutilatio fit

cum

cum magno vitæ periculo, & certiſſimo graviſſimoque detrimento valetudinis. Non enim ſolum poteſtas generandi, ſed totus virilis vigor tollitur, qui inde in omnia membra, totumque hominem, adeoque & animum redundat. Totus enim homo fit frigidus, flacceſcit, langueſcit, non ſolum corpore, ſed & animo, ita ut ex viro quodammodo fiat mulier: de quo Cælius Rhodigin. lib. 4. c. 7. Ita ut merito quidam vocaverit cor principium vivendi, teſtes vero bene vivendi. Adde mutilationem illam etiam ad caſtitatem eſſe inutilem: tollitur enim facultas quidem generandi, non tamen coëundi, imo nec pruritus carnis, nec appetentia rei venereæ, multo minus voluntas, ut clare dicitur Eccleſ. 22. verſ. 2. Unde Calliganus eunuchus Valentiniani gladio percuſſus fuit, a meretrice convictus, teſte Aug. lib. 6. contra Julian. c. 14. Ergo qui ſeipſos caſtraverunt, non in corpore, ſed in ipſa concupiſcentiæ radice, ut idem lib. de virginit. c. 24. hoc eſt, qui præ caſtitatis propoſito ab uxoribus continent, haud ſecus ac ſi virilia ſibi amputaſſent, quod perfectiſſime fit, cum voto quaſi caſtratione auferunt ſibi non ſolum voluntatem, ſed & poteſtatem licite amplectendi nuptias. Illos ergo natura eunuchos, iſtos neceſſitas facit, hos voluntas. Sub viris autem

comprehendit & fœminas, tamquam ſub ſexu potiori: nam & in illis repertæ fuerunt omnis generis eunuchæ, etiam ſecundi, ut teſtis eſt idem Cælius... *Propter regnum cælorum*, id eſt, non propter præſentis vitæ commoditates, idololatriam, Philoſophiam, laudem hominum, ſed ut juſtitiæ ac Deo facilius, liberius, majori cum fructu vacent, & ad regni beatitudinem perveniant, quod exequitur Paulus 1. ad Corinth. 7. v. 32. uſque ad v. 36. Sed quia res ardua eſt, & ſublimis, Angelicam iſtam puritatem in corruptibili corpore meditari, ipſa rei magnitudine ac pulchritudine propoſita, calcar addit: *Qui poteſt capere*, ut ſcilicet ſe caſtret propter regnum cœlorum, *capiat*, id eſt, caſtret ille ſe. Eſt enim, ut Hieronym. vox hortantis ad pudicitiæ præmium: qu. d. Qui poteſt pugnare, pugnet & expugnet, vincat ac triumphet. Nam verbo illo, *qui poteſt*, ſignificat iterum, non omnes hoc poſſe, ſed quibus datum eſt, hoc eſt quibus divinitus ardens, firma, & conſtans voluntas aſpirata eſt, ut fluctus illos comprimant, eaque adhibeant, quibus ſuperentur, orationem, jejunium, carnis macerationem, cordis cuſtodiam, fugam. Verbo, *capiat*, ſignificat rem pendere ſimul a libertate arbitrii. Proinde indicat quidem unicuique conſulendas eſſe vires ſuas, ad rem tantam ſuſcipiendam,

dam, ſimul tamen nuptiis caſtitatem præfert, animoſque ipſa rei magnitudine magis incendit, ut notat Chryſ. quia, ut ait Ambr. lib. de viduis, non infirmitatem vinculis alligavit, ſed præmiis virtutem provocavit.

13. *Tunc oblati ſunt ei parvuli.* Lucæ cap. 18. &, ſeu etiam, *infantes*, qui ſcilicet necdum incedere poſſent. Ut *manus eis imponeret & oraret*, id eſt, ut manibus impoſitis oraret pro ſalute ipſorum, ſeu ut benediceret ac bene precaretur eis. Mos enim ille offerendi viris virtute claris pueros benedicendos jam inde a temporibus, & exemplo Jacob, benedicentis Ephraim & Manaſſe, inter Judæos inoleverat. Hic tamen ſimul moti fuiſſe videntur ex efficacia contactus Chriſti, ut, qui ægrotos ſanabat, etiam præmuniret. *Diſcipuli autem increpabant eos*, prohibendo ſimul offerentes, ut Marcus: nempe ut qui gravioribus negotiis occupato moleſtiam exhiberent, & rem auctoritate ac dignitate tanti viri indignam committerent, cum ægroti non eſſent. Zelaſſe enim videntur pro quiete & reverentia magiſtri ſui. Quibus ille reſpondet:

14. *Sinite parvulos venire ad me*, ſive per ſe, ſive aliis offerentibus. *Talium enim*, ſi ſcilicet ad me venerint, & benedicti fuerint, *eſt regnum cælorum*, ſeu æterna fœlicitas. Non dicit autem, *iſtorum*, ſed

talium, ut Hieron. notat, ut indicaret se non solos ætate parvulos, sed etiam parvulis similes quantum ad mores comprehendere, quod ex Lucæ explicatione subjuncta patet. Humilitatis enim similitudinem, ut Augustinus lib. 1. de peccator. meritis cap. 19. in parva ætate posuit, commendans adultis mirificam illam animi simplicitatem & innocentiam, quæ in parvulis elucent, de qua plura diximus initio cap. 18. Itaque tacite taxat fastum discipulorum, qui pueris istis dissimiles contemnerent eos, quod pueri nequaquam solent.

16. *Et ecce unus accedens*, &c. Hieron. confundit istum cum eo, de quo Lucas c. 10. v. 25. cum potius sit ille, de quo idem Lucas cap. 18. v. 18. Unde non est mirum, si deceptus Hieron. putaverit istum tentandi animo Christum interrogasse. Rectius enim Chrysost. ex circumstantiis omnibus colligit, eum sincero corde accessisse. Nam Marcus flexisse genua, & a Christo dilectum esse dicit. Lucas addit fuisse principem, id est, præcipuæ dignitatis & potentiæ virum inter Judæos, nempe propter divitias. Quia autem præfatione honorifica usus fuerat, & *bonum* appellaverat, & de bono faciendo interrogaverat: hinc notant plerique Christum quoque duo respondisse, primo, *Quid me dicis bonum?* ut Lucas & Marcus:

cus: deinde, *Quid me interrogas de bono?* ut hic Matthæus. Sed quia etiam Græca hoc loco legunt, *Quid me dicis bonum?* hinc verisimile est illud, *Quid me interrogas de bono?* non sic explicandum esse, Quid me interrogas, quid boni facturus sis? sed ita potius, ut cæteris consentiat hoc modo: Quid me interrogas, de bono mentionem faciens, seu me bonum dicens? Nam & hoc postulant verba statim subjuncta: *Unus est bonus Deus*, id est, solus Deus est per se, naturaque sua bonus, & omnis fons bonitatis tam hominibus quam operibus. Cum enim de bono, quo beatus fieret, interrogasset adolescens, ludendo in verbo, *bonus*, corrigere seu altius erigere vult ejus animum, qui tamquam ad purum hominem accesserat, ut scilicet intelligeret id, quod loquebatur, & ita crederet, se esse Deum, qu. d. inquit Augustus. libr. 3. contra Maximinum c. 23. Quando me nihil aliud quam hominem putas, quid me dicis bonum? Recte me appellabis bonum, si me noveris Deum. Non enim te facit bonum, nec beatum, nec boni operis factorem, nisi bonum immutabile, quod solus est Deus. In eumdem sensum exponit Hilar. l. 9. de Trin. Athanas. Dial. 1. de Trinit. Ambr. lib. 2. c. 1. De fide.

Si

Si autem vis ad vitam ingredi, æternam intelligit & beatam, quasi aliud non sit vivere, quam sine ullo fine & sine ulla miseria vivere. Nam illa sine ullo additamento dicitur vita, nec intelligitur nisi æterna, & beata, tamquam sola dicenda sit vita, in cujus comparatione ista, quam ducimus, mors est potius dicenda quam vita, prout explicat Augustus. in v. 77. Psalm. 118.... *Serva mandata*: procul dubio omnia, sive de credendis, sive de faciendis, & sive Deum sive hominem respiciant. Refellit enim hæc Christi responsio eos, qui sola contenti fide opera contemnunt. Existimans autem adolescens a novo doctore nova mandata ferri, interrogat: *Quæ*? nec alia Christus adfert, quam ea, quæ Moyses in tabulis scripserat, nec tamen omnia, sed sola secundæ tabulæ, sub illis tamquam notioribus & facilioribus synecdochice comprehendens ea, quæ spectant ad primam, maxime quia hæc in illorum observatione includuntur. Qui enim secundam tabulam observat, necessario observat & primam. Unde & Paulus ad Rom. 13. vers. 9. & 10. *plenitudinem legis* vocat, dilectionem scilicet proximi; sicut & hic generali illo præcepto, *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*, omnia mandata concludit.

20. *Dicit ei adoleſcens: Omnia hæc cuſtodivi à juventute mea*, id eſt, ab ineunte ætate, ſeu, ut Syrus vertit, a pueritia mea. Nam adoleſcentis juventus alia non poteſt eſſe niſi pueritia. Multi auctores graves volunt falſum dixiſſe iſtum adoleſcentem: ſic enim ſentit Hieronym. hic, Baſil. Homil. in divites avaros, Clemens Alexandr. 4. Stromat. c. 3. Ambr. in Pſalm. 1. Iren. l. 4. cap. 26. Imo & Auguſt. Epiſtol. 89. quæſt. 4. dicit: Puto, quod ſe mandata arrogantius quam verius ſervaſſe reſpondit. Itaque adoleſcens iſte multum amans divitias ſuas, nec intelligens, quouſque ſe extenderet in iſta divitiarum affluentia præceptum de diligendo proximo, non fraudulento, ut putavit Hieron. ſed ſimplici & candido animo videtur reſpondiſſe, ſe omnia præcepta obſervaſſe ut minimum ſicut Phariſæi ſervabant. Unde & Marc. ait, quod Chriſtus eum intuitus dilexerit. Nec mentitus proprie dici poteſt, quamvis Baſil. hoc dicat; ſed, ſi accurate veritas libretur, arrogantius quam verius videtur hoc reſpondiſſe, ut Auguſt. dixit, *Quid adhuc mihi deeſt?* qu. d. Paratus ſum quidlibet ſuſcipere, ſi quid mihi defuerit. Chriſtus autem diſtinguens mandata Legis ab iſta excellentiore conſiliorum perfectione, non ait hic, ſi vis ad vitam

in-

ingredi; ad hoc enim mandatorum obſervatio ſufficit: ſed

21. *Si vis perfectus eſſe*, in obſervandis ſcilicet ipſis mandatis, & aſſequenda vita æterna: quod fit amovendo non ſolum charitati contraria, ut ſunt peccata, ſed etiam omnia impedimenta actus charitatis, ut ſunt matrimonium, cura rerum ſæcularium, & ſimilia. Nam quamvis perfectio eſſentialiter conſiſtat in perfecta mandatorum obſervatione, hoc eſt, in perfecta charitate, & ſequela Chriſti: inſtrumentaliter tamen conſiſtit in obſervatione conſiliorum, quia per hæc ad obſervanda præcepta charitatis maxime homo promovetur, ut latius tradit D. Th. 2. 2. quæſt. 184. art. 1. & ſeqq. Unde celebris illa ſententia Abbatis Moyſis, apud Caſſianum Collat. 1. cap. 7. Jejunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas, ac privatio omnium facultatum, non perfectio, ſed perfectionis inſtrumenta ſunt, quia non in ipſis conſiſtit diſciplinæ illius finis, ſed per illa pervenitur ad finem, nempe cordis munditiem & charitatem. *Vade, vende quæ habes*, id eſt facultates & bona tua: quæ non quidem mala, ſed magno tibi impedimento ſunt aſſequendi vitam æternam, tum cura, tum illecebris, tum amore ſui & fiducia, quibus innectere ſolent animum. Unde Auguſt. lib. 83. Quæſtionum quæſt. 36.

Cha-

Charitatis venenum eſt ſpes adipiſcendorum aut retinendorum temporalium. *Et da pauperibus*, ſimul & ſemel omnibus divitiarum oneribus, curis & affectibus expeditus. Iſte eſt enim perfectiſſimus in hoc genere virtutis gradus: paulatim vero ex divitiis poſſeſſis eleemoſynas dare ſecundus aut tertius, ut Hier. adverſus Vigilant. cap. 5. Itaque ut divitiarum contemptum liberalitate cumulet, non vult abjici aut diſſipari opes, ſicut quidam Philoſophi fecerunt, nec conſanguineis aut retributoribus dari, ſed pauperibus. Ne vero putaret ſibi perire, quæ amabat, *Et habebis*, inquit, *theſaurum in cælo*: oſtendens tanto plura & majora reperturum, quanto cælum terra præſtantius eſt. Nam, ut Chryſoſt. Hom. 64. retributionis præſtantiam theſaurum appellat, ſimul præmii abundantiam, & ſtabilitatem, & incorruptibilitatem humano verbo ſignanter exprimens. Ne vero me putes tua, non teipſum quærere, *veni*, ſcilicet jam pauper & nudus, jam terrenis rebus exutus, liber curis etiam ſpe ſæculi abjecta, *Et ſequere me*: tum corporaliter diſcipulatui meo inhærendo, tum vero maxime vitam meam omnibus virtutibus & maxime charitate perfectam imitando. In hoc enim conſiſtit ſumma perfectionis, cujus paupertas illa jam dicta magnum inſtrumentum & adjumen-

mentum eſt. Hunc perfectionis ſcopum cum Philoſophi ignoraverint, non mirum, quod paupertas & nuditas quorumdam parvi momenti, imo prorſus vana fuerit. Utilius enim terrena opulentia tenetur humiliter, quam ſuperbe relinquitur, inquit Auguſt. Epiſtol. 34. ad Paulinum & Tharaſiam.

22. *Cum audiſſet adoleſcens verbum, abiit triſtis*, quod ſentiret ſibi deeſſe vires ad conſcendendum illum perfectionis gradum. *Erat enim habens multas poſſeſſiones*: quarum magno amore tenebatur, ex duplici ſcilicet capite, & quod eas jam haberet, & quod multas haberet. Nam & facilius paucæ quam multæ deſeruntur, ut in Apoſtolis patuit; & ut Auguſtin Epiſtol. citat. Neſcio, quo modo, cum ſuperflua & terrena diliguntur, arctius adepta quam concupita conſtringunt. Aliud eſt enim nolle incorporare quæ deſunt, aliud jam incorporata divellere: illa velut cibi repudiantur, iſta velut membra præſcinduntur.

23. *Jeſus autem dixit diſcipulis ſuis*, nempe circumſpiciens eos, ut Marcus capite 10. verſ. 13. Quo ſignificat poſtulaſſe attentionem eorum, tamquam rem eis valde neceſſariam dicturus. Qua de cauſa etiam non dicit ibi, ut Matth. *Dives difficile intrabit*, &c. ſed cum admiratione, *Quam difficile*, &c. nempe quia cum magno labore; & propter illum

labo-

laborem etiam valde rarum eſt, ut Hilar & Hieron. notant. Non ergo impoſſibile, ut voluerunt Pelagiani, apud Auguſtin. Epiſt. 89. ſed *difficile* dixit, quia quamvis plerumque non fiat, fit tamen aliquando, etſi cum labore. *Dives*, id eſt, affluens terrenis opibus. Non enim quamlibet rerum neceſſariarum præſentiam, ſed affluentiam opum taxat: & ſic intelligendus Marcus, dicens, *qui pecunias habent*, nempe multas, ita ut divites ſint. Cauſa eſt, quia divitibus difficile eſt divitias relinquere, & adhuc difficilius divitiis retentis, mandata ſervare. Nam præterquam quod luxuriæ, gulæ, luxus omniumque vitiorum inſtrumenta & incentiva eſſe ſolent & multas mordaces moleſtasque coacervandi & conſervandi curas adferre; hoc habent peculiare, quod poſſeſſoribus ſenſim ſine ſenſu ſuperbiam, ſui amorem, ſeu avaritiam & fiduciam in ſe inſpirent, eoque majorem, quo majores ſunt, quaſi Deo non amplius indigeant. Et hinc eſt, quod Auguſt. dicere ſolet, proprium vermem divitiarum eſſe ſuperbiam. Unde aptiſſime Apoſtolus illa jam dicta vitia divitum notans 1. ad Timoth. 6. v. 17. ... *Divitibus hujus ſæculi præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, facile tribuere, communicare*, &c. Et ipſe Chriſtus apud Marcum c. 10. v.

24. quasi explicans radicem difficultatis istius, quam adferre solent saluti, *Quam difficile est*, inquit, *confidentes in pecuniis intrare in regnum cælorum!*

24. Cum autem discipuli, ut Marc. testis est, obstupescerent propter sententiæ severitatem, Christus non corrigens id, quod dixerat, sed augens, longe severius repetit: *Iterum dico vobis*: quasi diceret, Imo amplius dico: *Facilius est camellum per foramen acus transire*, &c. Ut concinnior esset comparatio, nonnulli apud Theophyl. per *camellum*, intelligunt funem nauticum, quo alligatur anchora, sed ille potius *Camelos* dicitur per Jota. Veteres & recentiores communiter intelligunt *Camelum*, animal gibbosum ac tortuosum, quod dicitur facilius transire, nempe hominis opera, *per foramen acus*, minimum scilicet quod vel habet vel facit acus, *quam divitem*, &c. Est autem locutio proverbialis, Judæis tunc temporis usitata, & postea sæpius usurpata a Thalmudistis, qui de elephante hoc efferunt, quod Christus de camelo, Syris notiore. Significat ergo, non solum difficile, sed impossibile esse, divitem intrare, &c. & quidem si rei naturam tantum spectes, impossibilius, quam camelum transire per foramen acus, eo quod divitiæ jam dicta certissima salutis impedimenta adferant, quæ nullis viribus humanis amoveri possunt,

sed

ſed tantum magna gratia Dei, ut Auguſt. initio Epiſtol. 122. ad Probam & libro 2. Quæſt. Evangel. qu. 47. & hoc indicare videtur Chriſtus verſ. 26 Alii tamen volunt eſſe locutionem hyperbolicam, qua non tam impoſſibilitas, quam magna admodum difficultas ſignificetur. Cujusmodi locutiones videre licet & Jeremiæ 13. verſu 23. & Eccleſ. 22. verſu 18. & Proverb. 17. verſu 12. & vulgo uſitatæ ſunt, cum dicimus, *Facilius ignem aquæ miſceas, quam illos concilies*, ſignificando utrumque eſſe valde difficile. Nam revera perdifficile eſt, ut divites avellantur ab amore, fiducia, & abuſu divitiarum, a jactantia & ſuperbia naturaliter inde pullulante. Difficultatem ergo illam mirantes diſcipuli dicunt:

25. *Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* Intrando in regnum cœlorum; hæc enim diſcipulis eadem ſunt. Aliqui de divitibus tantum intelligunt quæſtionem generalem: quaſi dicerent, Quis divitum poteſt ſalvus eſſe? eo quod & ipſi & alii plurimi eſſent pauperes. Sed præſtat generaliter quæri, ut verba ſonant, eo quod diſcipuli intelligerent pleroſque incumbere divitiis, vel poſſidendis ſeu poſſeſſis, vel deſiderandis & acquirendis (idem enim eſt morbus, divitiis jam poſſeſſis niti, & inhiare parandis:) & ſi tantam difficultatem adferrent divitiæ

majorem adferre vitia notiſſima, quibus mundus plenus eſt.

26. *Aſpiciens autem Jeſus*, benigno ſcilicet vultu, nimirum ad ſolandam eorum de ſalute hominum ſolicitudinem, ait: *Apud homines hoc impoſſibile eſt*, ſcilicet divitem intrare in regnum cœlorum, & ſalvum fieri. *Apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt*: & proinde etiam iſtud, nempe, quia magna Dei gratia fieri poteſt, ut mutetur animus divitum, & vel divitias prorſus abjiciant, vel certe retinendo divitias, a cupiditate fiduciaque, ac tenacitate rerum temporalium ad charitatem æternorum, & a pernicioſa ſuperbia ad humilitatem ſaluberrimam convertantur, inquit Auguſt. cit. quæſt. 47. lib. 2. Quæſt. Evang. Quamvis ergo & pauperi ſit impoſſibile ſalvari ſine gratia Dei, divitibus tamen propter cauſas jam dictas ſignificat eſſe longe difficilius, longeque ſingulariori opus eſſe auxilio Dei, quo pauper non indigeat.

27. *Tunc reſpondens Petrus*, nomine reliquorum tamquam omnium caput, *dixit ei*, ſollicitus videlicet, non tam de ſalute ſua, & collegarum ſuorum, ut qui manifeſte non erant divites, quam de præmio paupertatis ſuæ: *Ecce nos reliquimus omnia*, nempe pauperibus, ſive jam vendita, ſive etiam integra in uſum pauperis uxoris, liberorum, aliorumque converſa. *Et ſecuti ſumus te*:

hoc eſt, utrumque conſilium, quod adoleſcenti præſc ipſiſti, vel plene ad litteram, vel certe maxima ex parte fecimus. *Quid ergo erit nobis?* mercedis, aut præmii, an theſaurus in cœlo, an aliquid inferius? Dubitat enim, eo quod vel non omnes ſua vendidiſſent, vel certe non divitias, ſed perpauca quædam, ut naviculam & retia pauperibus reliquiſſent. Magna tamen fiducia dicit, *Reliquimus omnia*: quia, ut Auguſtinus Epiſt. 89. totum mundum dimittit, qui & illud, quod habet, & quod optat habere, dimittit. Affectum enim, inquit Gregor. Homil. 5. in Evangel. debemus in hac re potius penſare, quam cenſum. Multum reliquit, qui ſibi nihil retinuit, & qui quamlibet parum totum deſeruit. A ſequentibus enim tanta dimiſſa ſunt, quanta a non ſequentibus concupiſci potuerunt. Hoc attendens ergo Dominus reſpondet Petro:

28. *Vos, qui ſecuti eſtis me*, corporaliter relictis omnibus, ut comites individui & ſectatores vitæ meæ. Sic enim hoc intellexit Petrus, & ſic eos feciſſe narraverat Matth. cap. 4. verſ. 20. & 22. omnium enim derelictionem iſta ſequela comprehendit. *In regeneratione*: non baptiſmi, ut Hilar. qui hoc jungit cum verbis, *ſecuti eſtis*, ſed mundi, qua cœlum novum, & terra nova creabitur, vel in regeneratione hominis noviſſima,

quæ juxta Auguſt. libr. 3. ad Bonif. cap. 3. ambigente nullo, eſt reſurrectio mortuorum: & propterea regeneratio dicitur, ut Auguſt. libr. 20. de Civit. cap. 5. quia per eam caro noſtra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum eſt anima noſtra regenerata per fidem. Per illam enim carnis incorruptionem ab omni corporeæ concretionis labe, & affectibus terrenis, veluti quadam regeneratione purificabimur, ut Ambroſ. apud. eumdem Auguſt. 4. ad Bonif. cap. 11... *Cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ*, id eſt, cum ſe palam vivis & mortuis magna cum majeſtate & gloria judicem exhibuerit. Seſſio enim tranquillitatem & auctoritatem judicis apte ſignificat: unde & hoc ſitu fortaſſis appariturus eſt in nubibus, veluti throno ſuo. *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim*, id eſt, etiam vos cum ſimili gloria judices mihi proximi apparebitis, unusquisque in throno ſuo. Alludit enim ad morem humanum, ubi cum Rege judicante Conſiliarii conſident, & ſimul ad numerum duodenarium Apoſtolorum. Præſentem enim juſtitiam & ſtatum eorum reſpiciebat, quemadmodum Scriptura in promiſſionibus & minis ſolet, ſubintelligendo tacitam conditionem, ſi in juſtitia & ſtatu illo perſeveraverint, a quo Judas excidit. Et quia omnium Chriſtum ſequentium, reli-

lictis omnibus, eadem ratio eſt, hinc Auguſtin. lib. 20. de Civit. cap. 5, per duodenarium numerum ſignificari tradit univerſam multitudinem judicantium, propter myſterium numeri ternarii & quaternarii, in ſe ductorum; quorum utroque quædam univerſitas in Scripturis indicari ſolet. Nam alioqui Paulus, qui ſe Angelos judicaturum dixit 1. ad Corinth. 6. ſedem judicandi non haberet. Simili modo illud, quod ſequitur, *Judicantes duodecim tribus Iſrael*, intelligendum eſt. Sub illis enim univerſitas judicandorum, ſeu omnes gentes intelliguntur, alioquin tribus Levi tamquam decimatertia injudicata recederet, ut Auguſtin. ibidem. Duodecim tamen tribus tantum nominat, eo quod illarum peculiariter ipſe eſſet Rex, ipſis Meſſias miſſus, illis denique ipſemet & Apoſtoli primo prædicare deberent. Porro judicium iſtud non eſt ſolius comparationis, ut vult Hieron. nam hoc & malis quibusdam competit, ut Ninivitis, Matth. 12. verſ. 41. neque etiam approbationis ſententiæ, quod omnibus bonis erit commune, ſed judicium poteſtatis & auctoritatis. Unde eis, tanquam principibus Regi proximis, primatus in regno cœlorum promittitur, & aliquid longe amplius, quam illi adoleſcenti.

29. *Et omnis, qui reliquerit*, &c. His verbis putat Theophyl. extendi ſuperius præmium ad alios quam ad Apoſtolos. Sed rectius dixeris cum Origen. Tract. 9. in Matth. & Auguſt. Epiſt. 89. hic tangi inferius genus hominum, & inferius præmium: ita ſcilicet, ut priori ſententia reſponderit Chriſtus de iis, qui omnia reliquiſſent, & Chriſtum ſecuti eſſent, ſicut Apoſtoli: hac vero poſteriori de iis, qui quamvis Chriſtum non ſecuti fuerint corporaliter, omnia tamen, vel aliquid propter ipſum reliquerint: id eſt, deſeruerint, etiamſi non vendiderint. Nam inter relinquenda ponitur etiam uxor, quæ vendi non poteſt, deſeri tamen poteſt, ſive ſtudio perfectionis, ad ſequendum Chriſti conſilium, ſi conſenſerit; ſive ad ſervanda præcepta, etſi fuerit invita & non conſenſerit. Poteſt enim occurrere neceſſitatis articulus, ut aut uxor ſit relinquenda Chriſtiano, aut Chriſtus: idemque judicium eſt de domo, parentibus, fratribus, & quibuslibet temporaliter bonis, ut latius tractat Auguſt. illa Epiſt. 89. in fine. *Propter nomen meum*, id eſt, propter me ſeu amore mei, videlicet potius quam me, aut fidem meam, aut præcepta deſerat. Non enim conjugia, aut cognationes dirimi Chriſtus cupit, ſed ſe uxori, parentibus, filiis, ipſique adeo vitæ præponi. *Centuplum*

lum accipiet: ſupple ex Marco & Luca: *in hoc ſæculo*, quod & poſtulat antitheſis cum *vita æterna*, ut ſequitur. *Centuplum* autem idem eſt, quod centies tantum, ſcilicet pro ſingulis relictis: ubi numerum certum poni pro incerto patet ex Luca, dicente, *Et non recipiat multo plura in hoc ſæculo*: quaſi dicer. Non damno, ſed lucro ei erit iſta relictio: partim quia, ut Hieronym. loco carnalium bonorum recipiet ſpiritualia, nempe virtutes animi, pacem & conſolationes, quæ comparatione & merito ſui ita ſunt, inquit, ut ſi parvo numero centenarius comparetur: partim quia loco unius fratris, ſororis &c. centuplo plures erunt, qui ei caſtum & ſpiritualem affectum, ac ſolatium fratris, ſororis, uxoris, &c. impendent, & ſuis domibus excipient, boniſque ſuſtentabunt. Hoc enim potiſſimum hic ſpectari ex Marco patet; qui dicit, *Qui non accipiat centies tantum, domos, fratres, ſorores, matres &c.* Qui etiam adjicit, *cum perſecutionibus*, hoc eſt, in mediis perſecutionibus: quando ad ſuos deſerendos compellitur & omnium auxilio deſtitui videtur. *Et vitam æternam poſſidebit*: ſupple ex Marco & Luca, *in futuro ſæculo*: item (quod in omnibus ſimilibus intelligi debet) niſi aliunde impedimentum objiciatur. Summa igitur promiſſionis eſt, quod qui ſua propter Chriſtum deſeruerit, longe felicior erit,

etiam in hoc ſæculo, quam ſi ſua retinuiſſet, & maxime in futuro.

30. *Multi autem erunt primi noviſſimi.* Ordo verborum eſt, Multi primi erunt noviſſimi, & contra. Varie hoc accommodant ad Chriſti propoſitum: ſed additum videtur, ne Apoſtoli mirarentur, quod ipſi viles homines judicaturi eſſent Judæos, ac duodecim tribus, & qui perſecutionibus preſſi ſua deſererent, in vita æterna cæteris antecellerent. Nam, ut hanc inopinatam viciſſitudinem ob oculos poneret, adducit generalem parabolam, in cujus fine concludit, *Sic erunt noviſſimi primi*, &c. quaſi explicuiſſet id, quod hic dixerat. Unde & hic, ubi nos legimus.

CAPUT XX.

Simile eſt regnum cœlorum, Græce & Syriace eſt, *Simile enim eſt, regnum cœlorum*, &c. ut ſit ratio præcedentis ſententiæ. *Simile* ergo eſt, &c. hoc eſt ſimiliter agitur in Eccleſia, quemadmodum ſi paterfamilias aliquis conduceret operarios ad excolendam vineam ſuam, paciſcendo cum eis.

2. *Denario diurno*, id eſt, denario argenteo, qui pro opera unius diei pendi ſolet. Intelligi enim videtur denarius

rius minor, unius drachmæ pondere, unius circiter Regalis Hiſpanici valore, de quo alibi diximus.

Et egreſſus circa horam tertiam. Pro horarum iſtarum intelligentia ſciendum eſt, Judæis & Romanis diem diviſum fuiſſe in horas duodecim, ſimiliter & noctem: quarum quæque dividebatur in quatuor partes æquales: quæ reſpectu noctis dicebantur quatuor Cuſtodiæ, ſeu Vigiliæ, reſpectu diei vero vocabantur iſtis uſitatis nominibus Prima, Tertia, Sexta, Nona. Dies enim & hora prima incipiebant in exortu Solis, & primus quadrans diei complectebatur horam primam, ſecundam, & tertiam totam; ſecundus quartam, quintam & ſextam, quæ terminabatur præciſe ipſo meridie; tertius ſeptimam, octavam & nonam; ultimus vero decimam, undecimam & duodecimam, quæ finiebatur ipſo occaſu Solis. Hinc eſt quod horæ iſtæ diurnæ longiores eſſent in æſtate, quam in hyeme, & e contrario horæ nocturnæ longiores in hyeme, quam in æſtate. Neque ulla hora reſpondebat noſtris adæquate & ſemper; niſi ſolus finis ſextæ, & initium ſeptimæ, quæ ſemper incidebant in medium diem, vel mediam noctem. Ex his patet, primum quadrantem in ſe complexum fuiſſe totam horam primam & tertiam. Unde quia hic dicitur *circa tertiam*, *circa ſextam*,

circa

circa nonam, & *undecimam*, intelligi videtur, finitam ſeu ſub finem tertiæ, &c. ubi incipiebat ſecundus quadrans, & circa finem ſextæ, ubi incipiebat tertius quadrans. Similiter ergo *circa undecimam*, id eſt circa finem undecimæ, cum ſcilicet non niſi una hora diei tota duodecima eſſet reliqua. Reliqua in littera parabolæ ſatis manifeſta ſunt. *Paterfamilias* itaque iſte eſt Deus in primis Pater, de quo Chriſtus Joan. 15. *Pater meus agricola eſt*: quamvis Hilar. intelligat Chriſtum Dominum. *Vinea* eſt Eccleſia, juxta Orig. in Matth. & Greg. Hom. 19. in Evang. *Operarii* homines ſunt, qui per fidem in Eccleſiam vocantur: nemo enim in eam intrare poteſt niſi vocatus per gratiam, idque ad excolendam vineam, id eſt, ad opera juſtitiæ facienda, & quidem *conventione facta*, id eſt, interveniente promiſſione mercedis. *Horæ* diverſæ diverſa tempora ſunt vocationis, quæ tamen non eodem modo ab omnibus intelliguntur. Ambr. enim libr. 7. in Luc. Iren. lib. 4. cap. 17. Orig. Hilar. & alii intelligunt per *diem totam* tempus, quod a mundi initio uſque in finem interjectum eſt. Ita ut primum mane, ſeu hora prima ſit mundi initium uſque ad diluvium: tertia hinc uſque ad Abraham: ſexta ab Abraham uſque ad Moyſen: nona, inclinante jam ſæculo, & palleſcente lu-

ce

ce virtutis, denotat tempus Legis, & decolores hominum mores, a Moyſe uſque ad Chriſtum: undecima ab adventu Chriſti, uſque ad finem mundi, quæ a Joanne *noviſſima hora* dicitur: quo tempore Gentiles in vineam excolendam vocati ſunt, quibus etiam dictum, *Quid hic ſtatis tota die, otioſi?* Eo quod uſque ad ultimam tranſacti mundi ætatem juſtitiam neglexerant: idque ſicut ajunt, *Quia nemo nos conduxit*, id eſt, nullus Patriarcha, vel Propheta nobis veritatem & vitæ vias prædicavit. Alii intelligunt diverſas ætates hominum, quibus ad fidem & juſtitiam faciendam in Eccleſiam vocantur, ita videlicet, ut qui pueri venerunt, hora prima adducti ſint; qui adoleſcentuli, tertia; qui juvenes, ſexta; qui viri, & in ſenectutem vergentes, nona; qui decrepiti, vel in fine vitæ, ut latro, undecima: non enim omnes Deus primo mane vocat. Ita Auguſtin Serm. 237. de tempore, cap. 1. Baſil. reg. 224. inter breviores, Nazianzen. Orat. 40. & alii. Utramque expoſitionem complectitur Greg. Homil. illa 19. jam citat. Hieronym. & Auguſtin. & ſane utrovis modo recte intelligi poteſt. Et primo quidem modo ſcopus parabolæ erit, oſtendere, quod Gentiles ſine injuria æquentur antiquis Patribus, ac Judæis, quamvis prius vocatis; ſecundo vero, nihil intereſ-

tereſſe, qua ſua ætate aliquis ad fidem vocetur; quod ſane videtur parabolæ congruere. Ultimi enim dicuntur breviori tempore operati, & tamen parem recipere mercedem. Nihil autem intereſt, qua mundi ætate vocetur aliquis, ut diutius, vel minus diu operatus dicatur, ſed qua ſua ætate. *Forum*, in quod paterfamilias exit, totus eſt mundus, in quo extra Eccleſiam non niſi otioſa & mundana tractantur. *Denarius*, qui æqualiter ſingulis redditur, eſt vita æterna, ſeu regnum cœlorum, ubi erunt omnes, quos prædiſtinavit Deus, ut late declarat Auguſt. libr. de ſancta virginit. cap. 26. Nam quamvis ſtella a ſtella differat in claritate, & diverſa ſint Sanctorum merita, in vita tamen æterna & in regno cœlorum eſſe omnibus commune eſt, ſicut in cœlo eſſe omnibus commune eſt ſideribus. *Veſpera diei* eſt finis mundi & noviſſimi judicii dies. Nam quamvis mors uniuscujusque ſit ejus veſpera, communis tamen omnibus veſpera eſt illa dies. Procuratorem, ſeu œconomum Iren. libr. 4. cap. 70. vult eſſe Spiritum ſanctum, qui dividit ſingulis, prout vult. Rectius cum Gregor. dixerimus eſſe Chriſtum, qui judex vivorum & mortuorum conſtitutus ſuam ſingulis mercedem dabit: & quamvis omnibus ſimul, tamen *incipit a noviſſimis uſque ad primos*; quia ut

Auguſt.

Auguſt. Serm. illo 59. cap. 4. qui poſt. unam tantum horam laboris mercedem acceperunt, priores videntur accepiſſe, quia minus diu dilati ſunt. *Murmur* ſignificat Sanctorum admirationem, vel, ut Chryſoſt. ac Theophyl. indicat tantam eſſe Dei gratiam erga Gentes, vel eos, qui ultima vitæ ætate vocati ſunt, ut humano more, ſi fieri poſſet, alios ad invidiam & murmur concitaret. Nam quamvis, ut verſ. 4. dicitur, omnibus etiam ſero vocatis, quod juſtum fuerit, detur, ſi mercedem cum opere compares, tamen quia opus illud eſt gratiæ & gratuito datum, merito mirantur noviſſimis tantam gratiam eſſe factam, ut magnitudine dilectionis compenſantes laboris brevitatem, in mercede æquentur primis, *Qui portaverant pondus diei*, id eſt, continuum totius diei laborem, & *æſtus*, Solis: nempe propter graviores labores ante Chriſti adventum, cum ſæviret diabolus, vitaque eſſet diuturnior, & gratia minor; vel propter graviores per totam vitam carnis æſtus, ac tentationes, quæ in hora noviſſima, nempe ſub Chriſti gratia, vel ſenectute, longe mitiores ſunt. Et quia totum iſtud gratiæ Dei eſt, quam ipſe, quibus vult, facit, hinc *reſpondet* paterfamilias *Uni*, loco omnium, *Amice, non facio tibi injuriam*, &c. id eſt, non fraudavi te pacta mercede. *Volo autem & huic noviſſimo*

vissimo dare, nempe ex liberalitate mea, quamvis brevissimo tempore laboraverit, *sicut & tibi.*

15. *Aut non licet mihi, quod volo, facere?* Græce & Syriace additur, *in meis*, id est, in rebus meis, seu (ut Augustinus explicat Serm. cit.) de meo. *An oculus tuus nequam est*, seu malus, *quia ego bonus sum?* id est, An tu invidus es, quia ego in alium liberalis sum? *Malus* enim *oculus* Hebræis significat invidiam, ut videre licet Marci 7. vers. 22. & clare Proverb. 23. v. 6. ubi pro homine invido est Hebraice *Ragh ghaijn*, oculus malus, & Eccl. 31. v. 14. eo quod ex oculis invidia potissimum eluceat. Hæc videtur genuina parabolæ explicatio. Nam quod plerique recentiores velint, per *primos* significari Judæos; per *novissimos* Christianos, eo quod Judæi acceperint tantum mercedem temporalium, Christiani vero vitam æternam, multis modis videtur parabolæ dissonare, utpote in qua primi clare dicunt, *novissimos sibi pares esse factos*, & paterfamilias dicit, *Volo huic novissimo dare sicut & tibi.* Unde omnes etiam acceperunt singulos denarios, id est, parem mercedem.

16. *Sic*, id est, quemadmodum in hac parabola, qui primi vocati fuerant, ultimo acceperunt mercedem, & qui longe diutius gravioresque labores pertulerant, nihilo tamen cæteris ampliorem,

sed

ſed potius minorem, quamvis laboribus parem mercedem acceperunt: ita etiam in regeneratione fiet, ut multi, qui *noviſſimi*, & abjectiſſimi in hoc mundo fuerant, relinquentes omnia, perſecutionibus preſſi, &c. fiant *primi*: & e contrario, qui hic *primi* fuerant, ut Scribæ & Phariſæi, & ſimiles, fiant *noviſſimi*, & ab ipſa vita æterna excludantur. Eſt enim repetitio ſententiæ præcedentis, ad cujus probationem hæc parabola, quæ de ſolis in vitam æternam vocatis loquebatur, interpoſita fuerat. Unde id, quod ſequitur, *Multi enim ſunt vocati*, &c. eſt ratio non ejus, quod in parabola contigiſſe dixerat, ubi omnes electi erant, ſed ſententiæ illius generalis, maxime quatenus Apoſtolos, ac Judæos, ſeu duodecim tribus reſpicit, ut dictum eſt in fine Cap. præcedentis. Itaque *Multi ſunt vocati*, a Deo ad fidem, ad charitatem, ad perfectionem Evangelicam, & ad regnum cœlorum, *Pauci vero electi*, ad id ſcilicet, ad quod vocati fuerant, maxime ad regnum cœlorum. Et ideo non eſt mirum, quod qui primi videntur vocatione & hominum judicio, fiant noviſſimi, & contra. Electio enim iſta occulta eſt & ſingulariſſimæ Dei gratiæ: ex qua fit, ut, quamvis omnes vocentur, pauci tamen ex iis vocentur ſecundum propoſitum, ut Apoſtolus loquitur, hoc eſt, ita vocentur a Deo, ut reipſa

credant, ut juſtificentur, ut glorificentur, Deo eis dante perſeverantiam.

17. *Et aſcendens*, &c. *aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecreto:* Græce (*kat idian en te hodo*) ſeorſim, ſcilicet ab aliis diſcipulis & turbis, ne ſequens prædictio nimis divulgaretur, & ita mors ejus, vel impediretur, vel procurata videretur. *Et ait illis:*

18. *ecce aſcendimus*, &c. quaſi diceret, Ecce jam in hoc aſcenſu præ foribus eſt, quod aliquoties prædixi vobis de morte mea.

19. *Et tradent eum gentibus*; Romanis ſcilicet & Præſidi Pilato, ſicut ipſe teſtatur Joan. 18. verſ. 35. *Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi.* Tradent autem, ut gravius crucietur, nempe *ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Ad crucifixionem ſolam expreſſe tradiderunt; ad reliqua tacite, tum quia gratum eis fuit, quidquid ei ſupplicii inferretur: tum quia materiam illuſionis & flagellationis præbuerunt, accuſando eum tamquam affectatorem regni. Interim hæc prædicit, ut ad patientiam & animi conſtantiam præmuniret. Nam quod Lucas c. 18. v. 34. dicit, quod *nihil horum intellexerunt*, intellige, quod non intellexerint mortis iſtius tam ignominioſæ myſterium & fructum ad redemptionem generis humani: non quod verba clariſſima non intellexerint. Alioquin enim

non

non diceret Marcus c. 10. v. 32. quod *discipuli stupebant*, nempe Christum tam alacriter nihilominus præcedentem, & quod *sequentes timebant*, scilicet mortis prædictæ periculum.

20. *Tunc*, audita per filios mentione resurrectionis, & sessionis super duodecim sedes ad judicandas duodecim tribus. Putabant enim Christum jamjam proficisci ad capessendum regnum suum, quod more Judaico in terra Jerosolymis exspectabant. *Accessit mater filiorum Zebedæi*, Jacobi & Joanis, nomine Salome, ut colligitur ex Marci 15. vers. 40. juncto cum Matth. 27. vers. 57. *Petens aliquid ab eo*, in genere, ut fidem ejus magis obstringeret, ne re statim intellecta repelleretur. Marcus dicit ipsos filios petiisse, quia scilicet matrem ad petendum subornaverant, ut petitio esset honestior, & impetratio facilior, eo quod mulier, & pro filiis, & Christo cognata (ut multi) & ipsi serviens, facilius flectere posse videretur: & ut repulsæ pudor, & cæterorum Apostolorum invidia esset minor. Unde notat Aug. lib. 2. de consensu Evang. c. 64. & Hieron. hic, non tam matri quam filiis instigantibus Christum v. 22. respondisse. Matrem autem ipsam pulchre & latius excusat Ambros. in Luc. brevius Hieron. quod error esset muliebris, & effectus pietatis. Petebat enim pro filiis: *Dic*,

ut ſedeant, &c. jube ſtatim tamquam Rex, ut filii mei cingant tibi utrumque latus, ac veluti proximi, & proceres regni ſedeant. His enim verbis primas in regno petit, & clare alludit ad ſedes illas duodecim, de quibus cap. præced. v. 28. ut a filiis inſtructam fuiſſe liqueat.

22. *Reſpondens autem dixit* ipſis filiis: *Neſcitis quid petatis*, quia neſcitis, quid ſit regnum meum, nempe non carnale in hoc mundo, ſed ſpirituale: neſcitis, quid ſit ſedere mihi proximum, id eſt, neſcitis, quam magnum ſit, & ipſas Angelicas excedens virtutes, ut Chryſoſt. Neſcitis, quid faciat idoneum tali loco, ſcilicet non ſanguinis nexus, ſed potatio calicis: neſcitis, quam inordinate petatis, triumphum ſcilicet ante victoriam: denique neſcitis, qua via impetretur, nempe non hujusmodi precibus, ſed meritis. *Poteſtis bibere calicem*, ignominiæ, ſupplicii, & mortis, *quem ego bibiturus ſum?* id eſt, Satiſne virium habetis, ut eamdem, quam ego, ſortem ſubeatis certaminis, paſſionis & mortis, quæ eos, qui primas in regno meo obtinere volunt, neceſſe eſt imitari? *Calix* enim in Scripturis uniuscujusque ſortem, ei a Deo decretam, ſignificare ſolet, ſive bonam, ut Pſal. 15. v. 3. & Pſal. 22. verſ. 3. *Calix meus inebrians*, &c. ſive, quod frequentius eſt, malam, ut Pſalm. 10. verſ. 7. & Pſ. 74. v. 9.

Ca-

Calix in manu Domini vini meri plenus mixto: quæ metaphora Prophetis valde uſitata eſt, ut liquet Iſaiæ 31. v. 17. & Jeremiæ 25. v. 15. & alibi. Deſumptam autem volunt ab antiquo potantium ritu, quo convivii præſes unicuique ſuum miſcebat calicem ſeu portionem, quam biberet. Itaque his verbis docet eos Chriſtus & exemplo ſuo modum, quo obtinerent id, quod petierant. Quod idem Græcus textus, & Syriacus hoc loco itemque Latinus apud Marcum, alia explicat methaphora. *Et baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Eamdem enim paſſionem ſuam vocat *baptiſmum*, ſicut & Lucæ 12. v. 50. qua ita undique obrutus & afflictus fuit, ſicut homo undique aquis mergitur; per aquas enim inundantes tribulationes ſignificare Scripturis familiaris tropus eſt, ut patet Pſ. 8. v. 1. 2. 3.... *Dicunt ei, Poſſumus.* Sentiebant enim ſe animo paratos in carcerem, & mortem cum Chriſto ire, ſicut & Petrus poſtea; ſed quemadmodum honoris, quem ambierant, magnitudinem, ita & neceſſarias ad bibendum hujusmodi calicem vires neſciebant: dulce enim martyrium, ſicut & bellum, inexpertis.

23. *Ait illis: Calicem quidem meum*, id eſt, meo ſimilem, *bibetis*, quia alter eorum mortem pro Chriſto Act. 12. alter exilium, fervens oleum, graveſque

tribulationes paſſus eſt, Apocalyp. 1. verſ. 9. quæ omnia ad calicem Domini pertinent. *Sedere autem ad dexteram*, &c. id eſt, ſummum in regno meo honoris gradum, *non eſt meum dare vobis*, id eſt, ſuperbis: hoc enim adhuc eſtis, inquit Auguſt. Pſal. 126. Unde illis verbis, *Poteſtis bibere calicem*, &c. putat eos ad humilitatem paſſionum ab ambitione fuiſſe revocatos. Capite vero 12. libr. 1. de Trinit. aliter exponit, *Non eſt meum*, id eſt, non eſt humanæ poteſtatis hoc dare, quia tamquam ab homine poſtulatis: ſed paternæ, ac proinde & meæ æternæ prædeſtinationis. Poſſent hæc verba appoſite ad mentem petentium ſic exponi: Primas regni ſedes non eſt æquum, ut pro libitu meo humanoque beneplacito diſtribuam, amicorum, familiarium, conſanguineorum cedendo affectibus aut votis: ſed illis dandæ ſunt, quibus a Patre ſunt decretæ, nempe certantibus & vicentibus: quibus enim certamen & victoriam, illis & coronam paravit. Ita fere Chryſoſt. Hieron. & Theophyl. Nec ait ergo Chriſtus, nec negat eos eſſe, quibus dandæ ſint illæ ſedes, ſed oſtendit non ſic eſſe dandas, taciteque eorum animos prius ad labores cogitandos quam ad coronas excitat. Græce deeſt illud, *vobis*; & tunc iſte ſenſus eſt, *Non eſt meum dare* am-

ambitioſe petentibus, *ſed quibus*, id eſt, niſi quibus *paratum eſt a Patre*, per æternum decretum: ſic enim Græcum *alla* aliquando vertitur, ut Marci. 9. v. 7.

24. *Et audientes decem, indignati ſunt*, carnaliter æmulantes de petitione carnali. Ex eodem enim fonte indignatio & petitio prodiit; quia quiſque ſibi more aulicorum hujus mundi primatum ambiebat. Itaque omnibus ex æquo medicinam admovens, exemplo tum Regum tum ſuo eos ad modeſtiam revocat.

25. *Scitis, quia principes gentium dominantur eorum*, id eſt, eis, quibus præſunt, ſeu Gentibus, ut Græcum ſonat; id eſt, Scitis quod Principes hujus mundi, ijque gentiles, a Dei cultu & religione alieni, dominantur in ſubditos, ſeu dominandi & imperandi faſtum ex principatu quærunt utpote eum ſolo dominatu, non utilitate ſubditorum metientes. Nam Græce verbum *katakurieuin*, id eſt, *Dominari* propter additam præpoſitionem, *kata* in malam partem ſumitur: quod eodem verbo & ſenſu vetat paſto es Petrus, Epiſt. 1. c. 5. v. 3. dominari in clerum, id eſt, in gregem, qui eis ſorte obtigit. *Et qui maiores ſunt*, ſeu magnates Gentium, qui dignitate pollent inter eas, *poteſtatem exercent in eos*, id eſt, eo referunt dignitatem ſuam, ut jubeant, imperent, & alios imperioſa poteſtate ſua quo quomodo ad obſe-

quium impellant: quasi dicer. Christus, Scitis affectationem, qua laboratis, esse Gentilium, amantium solum dominatum, & potestate sua ad fastum & gloriam suam abutentium. Quæ sententia & assertive, & majori emphasi interrogative legi potest:

26. *Non ita erit inter vos*, discipulos videlicet regni cælestis, quorum mores, a Gentibus Dei ignaris differre debent. *Sed quicumque voluerit inter vos maior fieri.* Hieron. Chrysost. & Hilar. in Psalm. 118. intelligunt hic præscribi modum parandi principatum in regno cœlorum, scilicet humilitate ministrandi & serviendi hic omnibus, non fastu dominandi. Sed aptius dixerimus Christum ex onere incumbente primatui regni cælestis, seu Ecclesiæ, ab eodem affectando deterrere, hoc sensu: Qui voluerit major fieri, seu esse, ut sequitur vers. 27. id est, qui statuerit magnus esse & auctoritate eminere, suscipiendo principatum, ille jam major factus, *sit vester minister*, id est, sciat ita se præesse debere, ut non honorem suum, commodum, aut imperandi fastum ex principatu quærat, sed ministerium aliorum: sive ita, ut se exhibeat ministrum, salutem tantum eorum quærendo: quod idem repetit aliis verbis v. 27. sed cum quadam auxesi. Plus est enim *primum* esse, quam *majorem*: & plus est esse,

servum,

ſervum, quam *miniſtrum*: quaſi dicer. Sciat ſe, quidquid bonorum habet corporis, animi, fortunarum, & vitam ipſam ſaluti veſtræ procurandæ impendere debere, inſtar ſervi. Nam, ut præclare Auguſt. 19. de civit. cap. 14. In domo juſti viventis ex fide, & adhuc ab illa cæleſti civitate peregrinantis, etiam qui imperant, ſerviunt eis, quibus videntur imperare. Neque etiam dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi: nec principandi ſuperbia, ſed providendi miſericordia. Et ſic expoſita Matth. ſententia prorſus convenit cum ea, quæ eſt Lucæ 22. v. 26.

28. *Sicut filius hominis*, ego ſcilicet omnium citra controverſiam major, primus, & princeps, *Non venit* in hunc mundum, *miniſtrari*, id eſt, eo ſcopo, ut ſibi ab aliis miniſtretur, ſive ut hominum miniſterio utatur, ad pompam magnificentiæ ſuæ, *ſed miniſtrare*, id eſt, ſed ut hominum ſaluti, & utilitati, diſcurrendo, prædicando, ſanando, moriendo ſerviat. Nam, hoc eſt, quod addit, *Dare animam ſuam*, id eſt, ut profundat ipſam vitam ſuam, ſive ut tradat ſemetipſum Deo Patri, juxta dicta Matth. 10. verſ. 39.... *Redemptionem*, Græce *lutron* id eſt, pretium redemptionis, quo captivi redimuntur, *pro multis*, omnibus ſcilicet, qui ſimul multi ſunt, redimendis ab ira Dei, & capti-

vitate diaboli. Maluit tamen, *multis*, quam, *omnibus* dicere, ut non ſufficientiam ſuæ redemptionis, ſed fructum, exprimeret, qui non in omnes, ſed multos redundabit, ut inſinuat Hieron. quo modo & infra c. 26. verſ. 28. & Paulus ad Hebræos 9. v. 28. Chriſtum oblatum dicit ad multorum exhaurienda peccata.

29. *Et egredientibus illis ab Jericho.* Ita Marcus cap. 10. v. 46. idem miraculum narrat factum in egreſſu a Jericho. Namquod unum tantum cæcum nominat, Matth. vero duos, fieri potuit, ut ſignificaret illum unum fuiſſe famoſiſſimum, unde & pater ejus a Marco exprimitur: alterum ignotum, ſicut hanc apparentem contradictionem ſolvit Auguſt. lib. 2. Quæſt. Evang. quæſt. 48. & lib. 2. de conſen. cap. 65. Majorem difficultatem habet, quod Lucas c. 18. v. 35. notat, hoc eſſe factum, *cum appropinquaret Jericho*, id eſt, ante ingreſſum in Jericho. Et quamvis indicet Auguſt. hoc intelligi poſſe cum eſſet prope Jericho, ſcilicet ingrediendo, magis tamen inclinat, ſequendo proprietatem verbi, *appropinquaret*, hoc factum eſſe ante ingreſſum, & ita eſſe aliud miraculum, ſimile ei, quod narrant Matth. & Marcus. Sed tanta eſt omnium omnino cæterarum circumſtantiarum ſimilitudo, ut idem plane miraculum a tribus narrari videatur.

Et

Et ita dicendum eſt, Lucam exprimere locum, unde primo incœpit cæcus clamare, ſcilicet cum appropinquaret Jeſus Jericho: ſed cum eſſet dilata ſanitas ejus, eum iterum obſediſſe viam, cum egrederetur Jericho, & tunc vocatum eſſe ac ſanatum. De oratione vero iſta, *Miſerere noſtri, filii David*, vide dicta Matth. 9. v. 27. & c. 15. v. 22.

31. *Turba autem increpabat eos, ut tacerent*: putans eos vel ſtipem more mendicorum a Chriſto petere, vel importunis clamoribus Chriſto voces eorum diſſimulanti, eſſe moleſtos: forte & quod ægre ferrent nonnulli eum vocari Filium David. *At illi magis clamabant*: ut ſtrepitum turbæ ſuperarent, neſcii quantum Chriſtus abeſſet. Per quod indicatur ardor deſiderii ipſorum. Allegorice & pulchre tractat hanc hiſtoriam Auguſt. Serm. 18. de verbis Dom. c. 11. & ſeqq. Nam duo cæci ſunt duo populi, Judaicus & Gentilis, non oculis ſed animo cæci: qui, *tranſeunte Jeſu*, id eſt, diſpenſante nobis temporalia, ac tranſitoria adventus & incarnationis ſuæ opera & ſacramenta, *clamant*, ut ſanentur & operibus & vocibus, dum gratiæ & Evangelicæ legi per opera congruere volunt. Quod cum facere incipiunt, *turba prohibet*, id eſt, conſuetudo deſideriorum carnalium, vel dilectores hujus mundi impediunt, ſed perſeverando vincunt ſtrepitum, ut *ſtan-*

te

te Jesu, id est per stabilem divinitatem ejus sanentur, ut videre possint, ac diligere incommutabilem lucem æternæ sapientiæ. Eodem fere modo lib. 1. Quæst. Evang. quæst. 28. Latius vero & magis tropologico sensu tractat hæc Gregor. Hom. 2. in Evang.

CAPUT XXI.

Et *cum appropinquassent Jerosolymis, & venissent Bethphage in montem Oliveti.* *Mons Oliveti* dicitur, eo quod esset locus olivis consitus. Unde Græce vocatur mons (*helaion*) *olivarum*. Distabat ad orientem a Jerusalem itinere sabbati; ut est Act. 1. vers. 12. hoc est, mille circiter passibus, si remotissimam ejus radicem spectes. Nam Josephus lib. 6. de bello Judaico c. 3. scribit sex stadiis distare, nempe spectando verticem Vallis Josaphat, quæ interjacet inter urbem & montem & quam mediam secat torrens Cedron. *Bethphage* vero vicus est seu villula sacerdotum, ut Hieron. ad radicem orientalem illius montis sita. Unde quod Luc. & Marcus dicunt hoc factum esse, cum Jesus appropinquasset Bethaniæ, quæ tamen Joan. 11. vers. 18. dicitur distare a Jerusalem stadiis quindecim, id est, passibus facile 170.

aut

aut 180. intelligendum eſt, Evangeliſtas ruditer deſcribere ſitum locorum iſtorum; quaſi dicer. Cum eſſent propinqui Bethaniæ, unde veniebant, Joan. 12. v. 1. & 12. Bethphage, monti olivarum, & Jeroſolymis: *Tunc miſit duos diſcipulos.* Quidam apud Auctorem operis imperf. Petrum & Philippum fuiſſe volunt, quod obſcure indicat Hilar. alii Petrum & Joannem, ſed res incerta eſt.

2. *Dicens: ite in caſtellum:* Græce *komeo*, id eſt, pagum ſeu vicum, *Quod contra vos eſt*, id eſt, e regione veſtri. Ex quo quidam putant fuiſſe Bethphage, quo tendebant. *Et ſtatim*, in ipſo ſcilicet introitu pagi, *Invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea*, aſinum, tenerum quidem & necdum ad opera ſeparatum, utpote ſuper quem, juxta Marc. & Lucam, nemo adhuc hominum ſediſſet, equitationi tamen idoneum. Nam Judic. 4. v. 4. filii Jain dicuntur ſediſſe ſuper triginta pullos aſinarum: & ſimiliter Judic. 12. verſ. 14. filii nepotes Abdon ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum.

3. *Et ſi quis vobis aliquid dixerit*: nempe, *Quid facitis?* ut Marc. vel: *Quare ſolvitis?* ut Lucas, vel ſimile quid: *Dicite, quia Dominus*, non noſter vel veſter, ſed abſolute Dominus, ſcilicet omnium, & jumentorum iſtorum, & dominorum eorum, & totius creaturæ, *His opus habet.* Non vult ergo vi tolli, ſed

dup-

duplici argumento dominii & neceſſitatis eos perſuaderi, ut abduci ſinant. *Et confeſtim dimittet eos*, occulta virtute mea perſuaſus. Hæc ergo mandando Chriſtus manifeſtavit & omniſcientiam ſuam, & dominium ſupremum, & omnipotentiam in univerſa, ne forte caſu inventis aſina & pullo, Zachariæ vaticinium ſibi adaptaſſe videretur. Nam fiebat hoc totum non novitatis vel laboris levandi cauſa, ſed *Ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam*, &c. Ubi, *ut*, non ſolum conſequentiam ſignificare poteſt, ſicut alias ſæpe expoſuimus, ſed etiam finalem cauſam, nempe ut oſtenderet de ſe Zachariam prophetaſſe, & ita Judæi ſe Regem ſuum agnoſcerent. Nam cauſa hujusmodi introitus in Jeruſalem fuit, ut verus Rex Iſrael, quia hactenus Regium titulum & honorem fugerat, morti vicinus ſe palam Regem profiteretur; ſed ita tamen, ut ſimul regni ſui in hoc mundo qualitatem & ſpecimen exhiberet, a mundi regnis diverſiſſimum. Humilia enim excelſis miſcuit, regiam magnificentiam plebeja humilitate temperavit. Nam vectus eſt quidem jumento, & ſtrato, & cum acclamationibus, quod ſolent Reges: ſed illi ſuperbis equis, hic aſino; illi propriis, hic commodato; illi ephippiis phaleratis & gemmatis, hic vilibus veſtimentis; illi armatis ſtipati, hic inermibus diſcipulis;

illi

illi cum acclamationibus totius civitatis, hic puerorum & pauperis vulgi. Mansuetudine enim & humilitate voluit subditos suos ad se trahere, & imitando regni sui consortes fieri. Et ne cui hæc regia pompa ridicula videretur, vaticinii prædictione eum revocat, hoc ipsum prædicentis. Citat autem non tam verba quam sensum Zachariæ; nisi malis esse duo testimonia mixta, Zachariæ scilicet & Isaiæ 62. v. 11. ubi similiter legimus.

5. *Dicite filiæ Sion*, id est, annuntiate ei faustum lætissimumque hoc nuntium: qua de causa legitur in Zacharia *Exulta satis filia Sion*. Porro *Sion* erat mons, a meridie ambiens Jerosolymam, in eminente & solida prærupta petra, unde arx ei imposita fuit, quam cepit David, 2. Reg. 5. v. 7. Et quia plateis atque ædificiis montem illum instruxit, dicta est ibidem *civitas David*. Est autem in *filia Sion* Hebraismus, quo civitas seu congregatio civium *filia* appellari solet, sicut Psalmo 44. *filia Tyri*, & 136. *filia Babylonis*; quod a Poëtis quoque Græcis usurpatum. Simul est & synecdoche, qua a parte urbis, ubi Regia erat, tota civitas significatur. *Ecce Rex tuus*, verus, legitimus, e gente tua, tot vaticiniis promissus, tam diu exspectatus, ecce *venit tibi*, id est, jam jam adest in salutem, non oppressionem tuam

ut

ut ſæpe Reges: quod pulchre Propheta exprimit, etſi omittat Evangeliſta, addendo *Juſtus & ſalvator*: quaſi dicer. Venit, ut te juſtificet & ſalvet, ne pereas: *Juſtus* enim regendis, *Salvator* tuendis ſubditis prodeſt; quæ duo optima Regis officia ſunt. *Manſuetus*, Hebraice (*Ghani*) *pauper*, pro quo LXX. videntur legiſſe (*Ghanau*) *manſuetus*: nam uti vocum, ita & ſignificationis eſt ſumma affinitas. Pauperes enim ſpiritu, qualis maxime Chriſtus fuit, etiam manſueti eſſe ſolent. Hoc addit, maximi ſolatii loco. Reges enim tumentes opibus & faſtu fere dominantur in ſubditos, capite 20. verſ. 25. & minime manſueti ſunt. Signum autem manſuetudinis *Sedens* (Hebraice *equitans*) *ſuper Aſinam*. Græcum & hæbraicum verti poteſt, *ſuper aſinum*, quomodo plerique vertendum putant, ut repetitione Hebræis uſitata idem per *aſinum* & *filium ſubjugalis* ſignificaverit. Moventur eo, quod tres reliqui Evangeliſtæ ſolius pulli mentionem fecerint, & nemo ſuper duobus jumentis ſedere potuerit; unde hoc Hieron. & Beda ad allegoriam transferunt. Sed quia ex verſu 2. & 7. clare patet aſinam ſimul adductam fuiſſe, recte vertitur etiam hic *aſinam*, maxime cum vox Græca *onos*, & Hebraica *Athon*, etiam *aſinam* ſignificet, ut patet 2. Reg. 19. verſ. 26. & quia nomina generum ac ſpecierum utrumque

que ſexum Hebraice comprehendere ſolent. Itaque juxta communiorem & veriſimiliorem, expoſitionem, cui S. Auguſt. favere videtur libro 2. De conſenſu c. 66. ſedit Chriſtus, & *ſuper aſinam*, in aſcenſu fortaſſis ac deſcenſu montis, tamquam robuſtiorem: ac deinde in ingreſſu urbis ſuper *pullum, filium ſub jugalis*, id eſt, animalis ſub jugo aſſueti, ſcilicet aſinæ: nam Heb. eſt *(Ben athonoth) filium aſinarum*, id eſt alicujus ex aſinabus, quomodo vitulus in Scripturis dicitur filius bovis ſeu vaccæ. Intelligitur enim pullus hactenus matrem ſequi ſolitus: unde LXX. dicunt *pullum novum.* Quia igitur Chriſtus expreſſe dixerat v. 3. *Dominus* non hoc, ſed *his opus habet*, ideo diſcipuli

7. *Adduxerunt aſinam & pullum*: & conſequenter illi duo diſcipuli, loco ephippiorum, *impoſuerunt*: non ſuper unum ſolum, ſed *ſuper eos veſtimenta ſua*, exteriora, id eſt, pallia, ut Græce, ut ita commodior & honeſtior eſſet equitatio: *Et eum deſuper ſedere fecerunt*, Græce iterum *(epano auton) ſuper eos*, id eſt, ſuper aſinam & pullum collocarunt, viciſſim ſcilicet, ut ſupra dictum, quamvis & ad veſtimenta referri poſſit. Notant autem plerique veteres, ut Hieron. hic, & Auguſt. 12. contra Fauſtum, capite 42. per *pullum*, ſuper quem nemo ſederat, ſignificatum eſſe populum gentilem,

nullo legis jugo domitum, per *asinam subjugalem* Judaicum. Utrique insedit Jesus, utrumque sibi subdidit, missis ad eos duobus discipulis, uno in circumcisionem, altero in Gentes.

8. *Plurima autem turba*, id est, plurimi ex turba, qui partim e Bethania secuti fuerant, partim ex Jerosolymis, procedebant ei obviam, ut patet Joan. 22. versu 12. & seqq. *Straverunt vestimenta sua*, exteriora, ut supra, *in via*, ut esset mollior & ornatior, & incessus honorificentior, cum vestimenta etiam ab asina calcarentur. Maximi hoc honoris & observantiæ argumentum fuit, & vix umquam Regibus exhiberi solitum. *Alii autem cædebant ramos de arboribus*, oleis & palmis, quarum ibi copia: & eadem de causa *sternebant in via*. Addit Joan. eos accepisse ramos palmarum manibus. Fiebat hoc ex usu Judaico, ubi moris fuit non solum in festo tabernaculorum, sed etiam in aliis solemnibus gaudiis ramos virides maxime palmarum ferre manibus, ut videre licet in fundatione arcis Jerusalem, 1. Machab. 13. v. 51. & in purificatione Templi 2. Machab. 10. versu 7.

9. *Turbæ autem quæ præcedebant.* Ingentem fuisse facile ex eo colligitur, quod ex solemnitate Paschali Jerosolymis affluxerant, ut ex Joan. 12. patet. Nam paucis annis post testatur Josephus oc-

cur-

curriſſe Ceſtio Gallo, Syriæ Præſidi, facile trigeſies centena millia. *Clamabant*, laudantes ſcilicet Deum præ lætitia. Cauſa fuit propter omnes, quas viderant, virtutes ſeu miracula, ut expreſſit Lucas c. 19. v. 37. ubi & locum notat, ubi contigit, ſcilicet prope deſcenſum montis Oliveti. Maxime autem eos moverat miraculum ſuſcitati Lazari: nam propterea & obviam venerant, ut Joannes notat. *Oſanna Filio David.* De voce *Oſanna* multæ auctorum conjecturæ ſunt. Clemens Alexand. lib. 1. Pædag. c. 5. dicit ſignificare lucem, gloriam, & laudem; Hilar. redemptionem: ad quos videtur reſpexiſſe Auctor operis imperf. dum illas opiniones nonnullis tribuit. Quidam apud Theophyl. dicunt hymnum ſignificare: apud Juſtin. quæſt. 50. excellentem magnificentiam. Auguſtin. Tract. 31. in Joan. ſcribit ex Hebræo eſſe vocem obſecrantis, quæ magis affectum animæ indicet, quam rem aliquam ſignificet, quaſi eſſet interjectio. Sed veriſſimum eſt id, quod tradit Hieronym. Epiſt. 145. ad Damaſum & hic in Comment. *Oſanna* eſſe vocem compoſitam ex *Hoſchag*, ſeu *Hoſchiagh*, id eſt, *Salva*, & *Na*, id eſt, *quæſo*. Contrahi vero & per ſyncopen pronuntiari, inſtar unius dictionis, docet Elias in Thisbi. Deſumpta eſt autem ex Pſalmo 117. verſ. 25. ſicut evidens facit id, quod

hic habetur, *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Nam ille totidem verbis eſt verſus 26. immediate ſequens. Itaque quia Pſalmus iſte, ut inquit Hieron. manifeſte de Meſſia prophetat, & in ſynagogis Judæorum creberrime legebatur, hinc populis notior erat: ut proinde illum cœperint Jeſu tam vero Meſſiæ acclamare, præſertim cum divino inſtinctu res iſta ageretur, ut patet ex verſ. 16. de pueris, & Lucæ 19. v. 40. Accedit, quod ex antiquis Hebræorum libris, ipſoque uſu hodierno, conſtet *Oſanna* fuiſſe ſolemnem acclamandi & bene precandi formulam, in feſto tabernaculorum tam uſitatam, ut etiam ipſi ſalicum rami, quos manibus ferebant, vulgo non intelligente linguam Hebraicam, eodem nomine *Oſanna* appellarentur, ut idem Elias in Thisbi teſtis eſt. Et hinc eſt quod in precibus Judæorum hodiernis, quæ quaſi Litaniæ ſunt, ex nominibus & beneficiis Dei conflatæ, vox illa *Oſanna*, ſexcenties, ad ſingula pene Dei nomina & beneficia, repetatur, ſicut apud nos *Te rogamus audi nos*, vel *Libera nos Domine* vel *Ora pro nobis*. Fuit itaque a diſcipulis & populo uſurpata vox illa, juxta ſignificationem Pſalmi, cujus verſus canebant, pro *Salva quæſo*, ut eſſet acclamatio exultantium, quaſi dicerent, *Salva quæſo Regem noſtrum*: non diſſimilis illi

li apud nos uſitatæ, *Vivat Rex*, vel *Io triumphe*. Patet hoc ex eo, quod in eodem verſu ejusdem Pſalmi ſequitur, *O Domine bene proſperare*, ſive, ut Hebraice legitur, ſimili plane forma (*Hatzlichah na*) quaſi diceres *Hatzlichanna*, id eſt, *Proſpera quæſo*, ſeu *Proſperum da ſucceſſum*. Unde quamvis Hieron. velit ſenſum eſſe, *Oſanna*, id eſt, *Salva quæſo*, nos ſcilicet ſeu populum tuum, aptius tamen videtur dici, quod petant ſalvari & proſperari Regem ſuum. Sequitur enim *filio David*, quod Latine diceremus *filium David*. Nam verbum illud Hebraicum conſtruitur uſitate non tantum cum accuſativo, ſed & cum dativo, ut patet Judic. 7. v. 2. & 2. Reg. 10. verſu 11. quo modo etiam hic habetur in Syriaco, quaſi dicer. Salutem adfer, quæſo, filio David: cujusmodi phraſis ſervata eſt etiam in Latino Pſalmo 97. verſu 1. *Salvavit ſibi dextera ejus*. Quamquam appoſite valde hic ſenſus eſſe poſſit: Solemne illud Oſanna ſit, ſeu acclametur filio David, regnum Davidicum auſpicanti. Nam hæc videtur eſſe cauſa, cur cæteri Evangeliſtæ referant vocem illam acclamatam fuiſſe, ſine ullo addito, & ab omnibus ſine interpretatione ſervata ſit, ut indicarent quaſi materialiter novo Regi more ſolito acclamari. Nam ad regni inaugurationem eos reſpexiſſe, patet ex eo,

quod Marcus acclamatum dicit: *Benedictum quod venit regnum patris noſtri David*: cujus ſcilicet reſtauratio per Meſſiam futura, & tamdiu expectata, jam tantem venit. Unde quod hic addit Matth. *Benedictus qui venit.* &c. Lucas exprimit, *Benedictus qui venit Rex*, id eſt, omni benedictione & proſperitate repleatur Rex iſte noſter Meſſias. *Qui venit*, non tamquam ſeipſum ingerens, ſed *In nomine Domini*, id eſt miſſus a Deo, & perſonam gerens Dei, viſitantis populum ſuum. *Oſanna in altiſſimis*, ſupple *audiatur*, ut ſit quaſi ardens populi exhortatio ad exclamandum magnis vocibus Oſanna Regi ſuo. Vel, *in*, poſitum eſt pro, *ex*, hoc ſenſu: Oſanna, ſeu ſalus ac proſperitas veniat Regi noſtro divinitus de cœlis altiſſimis. Similis phraſis eſt Pſal. 148. v. 1. *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis*, id eſt, de excelſis: eſt enim repetitio Hebræis familiaris. Unde Lucas quaſi interpretans cæteros, addit, *Pax in cœlo*, id eſt, ſalus ac proſperitas de cœlo & *gloria in*, id eſt, de *excelſis*, deſcendat ſcilicet ſuper Regem noſtrum. Quod ergo frequentiſſime Oſanna repetebant, in ſummi ardoris ac affectus argumentum erga Regem fiebat. Sic enim olim cum populus Regibus atque Epiſcopis acclamabat, pro numero acclamationum æſtimabatur affectus, ut patet ex geſtis

Ec-

Eccleſiaſticis apud Auguſt. Epiſt. 110. ubi *Deo gratias, Chriſto laudes, fiat*, &c. acclamantur pluſquam vigeſies, imo trigeſies ſexies. Quod igitur in iſtas voces erga Chriſtum tunc erumperent; cauſa indicatur a Luca c. 19. v. 11. *Eo quod eſſent prope Jeruſalem*, civitatem ſcilicet regiam, caput regni, & quia exiſtimarent, quod confeſtim regnum Dei manifeſtaretur.

10. *Cum ergo inſtraſſet Jeroſolymam*, Iſraelitici regni metropolim, cum tanto applauſu, *commota eſt univerſa civitas*, id eſt, cives Jeroſolymitani, maximeque ſacerdotes, novitate ſcilicet ſpectaculi attoniti: nam qui clamabant, fere erant exteri, & advenæ, ut indicatur Joan. 12. v. 12. *Dicens, Quis eſt hic?* id eſt, qualis eſt iſte, ut cum tanto honore & applauſu Rex Iſrael ſalutetur? Videntur enim invidiæ verba, quibus honore indignum ſignificent.

11. *Populus* autem ſimplex & candidus reſpondet: *Hic eſt Jeſus Propheta*, Græce (*outos heſtin Ieſos ho prophetes*) *ille Propheta*, nempe a Moyſe promiſſus, Deut. 18. v. 15. ſicut hoc ponderant Hieron. & Theophyl.

12. *Et intravit Jeſus*, ſcilicet eadem hac die: nam quæ ſequuntur verſ. 15. de pueris, adhuc Oſanna clamantibus, videntur omnino ad hanc diem pertinere. Itaque Marc. qui ad ſecundum diem

referre videtur, usus est recapitulatione ejus, quod pridie acciderat, ut exponit Augustin. lib. 2. De consensu Evangel. c. 68, etsi alli minus apte velint Matthæum hic uti anticipatione. Intravit autem non in arcem Sion, eo quod nollet hujus sæculi Regem agere, sed *in templum*, ut verus Filius Dei Patris. Intelligit autem atrium extremum, quod vocabatur Prophanum, & atrium Gentium, quia & gentilibus & immundis orationis causa patebat. Erat enim & aliud atrium pro Israelitis, ubi erat porticus dicta Salomonis: aliud denique ipsi templo proximum, solis Sacerdotibus pervium, ubi erat altare: de quibus Josephus libro 15. Antiquit. capite ult. & lib. 6. De bello Jud. cap. 6.

Et ejiciebat, ex illo atrio extremo, *Omnes vendentes & ementes in templo*, nempe omnis generis hostias ad sacrificia necessarias, agnos Paschales, oves, boves, columbas, &c. quas peregrini non poterant domo adducere, sed emere cogebantur. Fiebat hoc commercium olim in ipsa urbe: sed vel commoditatis, vel lucri causa a Sacerdotibus, locum verisimiliter elocantibus, in atrium istud, quod orationi tantum servire debebat, translatum fuerat. Erat enim istud atrium ingenti magnitudine, imo facile quatuor stadiorum. Numerum quoque vendentium & ementium

fuisse

fuiſſe magnum his Paſcalibus diebus, inde patet, quod Joſephus lib. 7. de bello Jud. cap. 17. teſtetur ſub Ceſtio Præſide fuiſſe cæſa hoſtiarum Paſchalium ducenta quinquaginta millia & ſexcentas. *Et menſas nummulariorum evertit*, qui mutabant aurum argento, monetam majorem minore, peregrinam uſitata, & in menſis numerabant, ut vel oblationibus votivis vel emptioni hoſtiarum commode ſervi et, & inde lucrabantur. *Et cathedras*, ſeu ſedilia, in quibus toto die commoditatis cauſa ſederent, *vendentium columbas evertit:* ne ad menſas vel ſedes ſuas reverterentur. Unde & *nummulariorum effudit æs*, ut ait Joan. c. 2. in alia ſimili ejectione. Hoc igitur facto publica & vere Regia auctoritate uſus eſt, ſe & regem, & ſummum templi Pontificem, divinique cultus Præſidem ipſo facto exhibens. Unde merito Hieron. & alii factum iſtud ſummopere mirantur, velut maximum ſignorum, quod unus tantam multitudinem, fretam auctoritate Sacerdotum, quibus inviſus erat, & quidem præſentium, ignominioſe flagello expulerit. Igneum enim quiddam, inquit Hieron. & ſidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majeſtas lucebat in facie.

13. *Et dixit eis: Scriptum eſt, Domus mea*, templum ſcilicet meum, in quo inhabito, *Domus orationis vocabitur*, id eſt,

domus orationis erit, ſub qua & gratiarum actio & omnis cultus Dei comprehenditur. Iſaias addit c. 56. *cunctis populis.* Et quo, & aliis loci circumſtantiis, patet agi de Eccleſia novi Teſtamenti: cujus quia typus fuerat templum Judæorum, Chriſtus ad illud prophetiam iſtam transfert, *Vos autem feciſtis illam*, iſtis mercimoniis, *ſpeluncam latronum*: quia cum avaritia, mendaciis, fraudibus, & conſequenter inopum deſpoliatione conjuncta eſſe ſolent; qui latronum inſidiantium ſanguini & vitæ mores ſunt. Adde quod loci ſacri & ſacrificiorum prætextu, quemadmodum latrones ſpelunca, ſeſe tegerent.

15. *Videntes autem principes ſacerdotum & Scribæ mirabilia, quæ fecit*: Regium ſcilicet ingreſſum, mirabilem illam tantæ auctoritatis ejectionem, & ſalvationem ægrorum: & *pueros clamantes in templo*, id eſt, continuantes adhuc clamores, quos majores inchoaverant, quemadmodum fere ſolent.

16. *Dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt?* nempe quomodo te Regem vocitant iſti, quorum teſtimonium futile ac puerile eſt, & quos verbo facile compeſcere potes? Nam ex invidia taxant his verbis vanitatem in Chriſto, & inanem affectionem ac delectationem tituli Meſſiæ & Regis. Quibus dixit: *Utique: numquam legiſtis, quia ex ore* (illud, *quia*, ex

He-

Hebraica & Græca phraſi redundat) *infantium & lactentium perfeciſti laudem?* id eſt, laudem tuam, o Deus, quæ ab adultis canitur, aut cani deberet, omnibus numeris perfectam, expreſſiſti ex ore, etſi non ex mente parvulorum: quaſi dic. Vultis ut os claudam ætati parvulæ, cui Spiritus ſanctus aperuit, & jam olim aperiendum prophetavit? Auctor Operis imperf. *infantes* intelligit, non ætate, ſed ſimplicitate cordis: *lactentes* vero fide & ſenſu imperfectos & ineruditos. Et ſane tales videtur reſpexiſſe Prophetia Pſalmi, generaliter prædicens, per infirma mundi, ut per Apoſtolos & Gentiles, Deum eſſe clarificandum: quod Chriſtus ad veros & ætate pueros, tamquam maxime ſimplices, & ſenſu ineruditos, transtulit & accommodavit. Ubi Hier. notat reſponſi dexteritatem, quod neque dicendo, *bene faciunt pueri*, Phariſæis anſam calumniæ apud Præſidem præbuerit, neque rurſum dicendo, *errant, debetis ætati ignoſcere*, veritatem læſerit.

17. *Et relictis illis abiit:* nempe, ut Marcus, cum veſpera facta eſſet, *in Bethaniam*, vicum, ut ſupra ex Joan. 11. v. 18. quindecim ſtadiis diſtantem Jeroſolymis, id eſt duobus circiter milliaribus Italicis. *Ibique manſit*, manſit noctu in domo ut veriſimile eſt Mariæ & Marthæ, unde paulo ante venerat.

18. *Mane autem revertens in civitatem esuriit*: sive excitaverit in se famem illam, edendo miraculo opportunam, sive versperi incænatus naturaliter mane esurierit: nam fictam fuisse famem, ut aliqui volunt, miraculi patrandi causa nulla dicendi necessitas est.

19. *Et videns fici arborem*, &c. *venit ad eam*, quærens scilicet ut Marcus, si quid forte inveniret in ea, nempe quo famem levare posset. *Et nihil invenit in ea nisi folia tantum.* Causam notat Marcus, quia non erat tempus ficorum, ut pote paulo ante passionem, circa finem mensis Martii. Cur ergo quæsivit? Quia secundum hominem incognita ei fuit species arboris, inquit Calvinus, in Harmonia. Sed hoc ineptum. Quæsivit ergo, ut homines solent, id quod sciebat se non inventurum partim ad habendam miraculi patrandi occasionem, quo ille, qui semper benignitatis exempla in hominibus, nunc tandem semel etiam severitatis virtutisque puniendi, sed in re insensata, Judæis & Apostolis demonstraret, ut Chrys. & Hilar. partim & maxime ad mysterium figurandum, quod a plerisque veteribus observatum fuit, eodem scilicet Hilario, Hieronym. Theophyl. Orig. Tract. 17. in Matth. Non enim vel ex inediæ impatientia, vel ex iracundia maledixit ficui, sicut rebus inanimatis iracundi homines solent

(pue-

(puerilis enim & ridicula fuiſſet ultio) ſed ejusdem myſterii cauſa. Ficus enim typus eſt ſynagogæ, cui datum eſt tempus pœnitendi inter diſceſſum Chriſti & reditum ad judicium. *Venit*, eſuriens ejus ſalutem: ſed *invenit* infœcundam, foliis dumtaxat veſtitam, id eſt, verbis inanibus legis, templi, cæremoniarum, traditionum, jactantia nudaque religionis ſpecie; fructibus vero juſtitiæ vacuam, bonis operibus ſterilem: ideo plectitur populus ille maledictione & ariditate, quia a Deo & gratiæ humanæ derelictus & reprobatus eſt, ut, qui ante fructus ferre noluit, jam obduratus & exſiccatus nec poſſit. Idque *in ſempiternum*, Græce (*eis ton aiona*) *in ſæculum*, hoc eſt, ut Hieron. in longum tempus, quia Judæi ſaltem in fine mundi converſi, ſcilicet cum plenitudo gentium intraverit, fructum ferent.

20. *Et videntes diſcipuli*, non tunc, ſed poſtridie mane cum illac præterirent, ut Marc. notat, *mirati ſunt*, de tanta virtute maledictionis: ideo enim aiunt: *Quomodo continuo aruit?* ſcilicet ad illius ſententiæ pronuntiationem. Nam ad hunc ſenſum reſpondet Chriſtus:

21. *Si habueritis fidem*, nempe præſtantiſſimam illam, quam comparavit alibi grano ſinapis: *Et non hæſitaveritis*, operis difficultate territi, & diffidendo. Græce eſt (*me diakridete*) *non dijudicaveritis*, id eſt,

eſt, non diſcreveritis inter opus facile, ac difficile, quemadmodum diffidentes ſolent, ſed æqualiter Deum bonum & omnipotentem facturum confidatis id, quod expedire judicaveritis: non ſolum *de ficulnea facietis*, id quod ſcilicet in ficu factum eſt, *ſed & ſi monti huic*, &c. de quo vide dicta Matth. 4. v. 19.

22. *Et omnia quæcumque petieritis*: nempe ſecundum voluntatem ejus, ut eſt 1. Joan. 5. verſ. 14.... *In oratione*, ſæpe enim fideles adhibendas etiam preces indicat ad impetrandum. *Credentes accipietis*, fide ſcilicet non hæſitante. Fides enim & fiducia requiruntur.

23. *Et acceſſerunt ad eum principes Jacerdotum*: de quibus dictum cap. 2... *Et ſeniores populi*, id eſt, judices ejus, ac magiſtratus. Addunt alii *Scribas*, id eſt, Legis doctores, adeoque totum concilium, cui in religionem & civilia erat auctoritas penes Judæos, ut ſcilicet Jeſum tali pompa, numero, auctoritate terrerent inquirentes ex eo, *in qua poteſtate hæc facis?* id eſt, qua auctoritate, ut Græce eſt, populum doces, venditores victimarum ejicis, Regis & Chriſti voces tibi acclamari ſinis? *Et quis dedit tibi hanc poteſtatem?* Tune tibi a teipſo privatim arrogas, an de cœlo data eſt, &c. Nos enim penes quos, utpote legitimos ſucceſſores Moyſis, omnis in templum, vel religionem & doctri-

nam

nam auctoritas est, hanc tibi non dedimus. Quam quæstionem ipse non vult solvere; sed ita respondet, ut ipsimet solvant, interrogando *unum sermonem*, id est, unam rem aliquam, seu unum aliquod more Hebraico; ubi verbum generalissime pro re usurpatur.

25. *Baptismus Joannis*, sub quo tota ejus prædicatio & functio intelligitur, sicut sub circumcisione subinde tota lex, *Unde erat?* e *cælo*, *an ex hominibus?* id est, quis ei dederat potestatem baptizandi? Deusne immediate de cælo, an homines committendo, vel ipse usurpando?

26. *Si dixerimus* e *cælo*, id est, quod auctoritate divinitus accepta officium suum exercuerit, *dicet nobis*: *Quare ergo non credidistis illi?* Prædicanti, ac testificanti, me esse Filium Dei & Christum, ut patet Joan. 1.... *Si autem dixerimus*, *ex hominibus*, id est, humanam esse adinventionem, & consequenter potestatem usurpatam, *timemus turbam*, id est, populum gregatim a Joanne baptizatum. Lucas clarius, *Plebs universa lapidabit nos*, scilicet tamquam palam blasphemos. *Omnes enim habebant Joannem sicut Prophetam*, id est, tamquam vere Prophetam, cujus auctoritas non est ab hominibus, sed immediate a Deo. Illud enim, *sicut*, non est similitudinis, sed veritatis nota, quod Marcus expressit, dicendo, *Omnes enim habebant Joannem*, *quia vere*

Pro-

Propheta esset: & Lucas, *certi sunt Prophetam esse.* Itaque utrinque constricti perplexitate quæstionis, ac discriminis vitæ amittendæ, & veritatis confitendæ,

27. *Dixerunt: Nescimus*, nempe id quod ipsis etiam latentibus totus populus noverat, quod ex ore Joannis audiverant, Joan. 1. v. 32. unde multis modis mentiuntur. *Dico vobis*, &c. id est; Quemadmodum vos non vultis mihi diserte respondere de potestate Joannis, ita nec ego vobis, nequitia plenis, de mea. Sed sicut ipsi in cogitationibus suis responderant, Joannis auctoritatem esse a Deo, ita & Christus tacite ipsis indicat suam esse a Deo, insinuando scilicet, ea se potestate hæc facere, quam Joannes ei prædicatione & testificatione sua tribuerat.

28. *Quid autem vobis videtur*, de hoc quod adjicio, quod non potestis dicere vos etiam nescire, *quis*, uter scilicet *ex duobus* illis filiis, *fecit voluntatem*, seu præceptum, *Patris*, de operando in vinea;

31. *Dicunt ei: Primus*, quia illi verba tantum, non facta defuerant, alteri vero facta non verba. Quis autem non malit verbis negari sibi id, quod poscit, dummodi quod poposcerit fiat, quam non fieri, quod spondetur ut fiat? cum facti effectus ex desperatione sit gratior, spes autem destituta plus doleat. Ex hoc autem ipso arctissime concludit in eos

Chri-

Chriſtus, *Quia Publicani & meretrices*, &c. homines antea præ cæteris in utroque ſexu vita infames, *Præcedent* vos, Græce (*proagusin umas*) *præcedunt vos*, id eſt, vobis, qui religionem profitemini, & juſtitiam verbis promittitis, exemplum & ducatum præbent, ut imitemini: quaſi dicer. ſi prior filius fecit voluntatem Patris, ergo Publicani & meretrices eam faciunt, ante nolendo recte vivere, poſtea pœnitendo, exemploque vos præcedendo: vos vero nequaquam eam facitis. Rationem explicat verſus ſequens.

32. *Venit enim ad vos Joannes in via juſtitiæ*, ſcilicet incedens, id eſt, juſtitiam & pœnitentiam, prædicatione, converſatione, totaque vita irreprehenſibili præ ſe ferens, ut nihil dubium eſſe poſſet, quin miſſus eſſet a Deo; *Et non credidiſtis ei*, obtemperando ei, de pœnitentia, de Chriſto, de regno cœlorum annuntianti. Credere enim medico eſt ejus præcepta ſequi. Sic namque *Publicani & meretrices crediderunt ei*, mente ſcilicet, & factis fidei conſonis, pœnitentes, baptiſmum ſuſcipientes, Chriſto prædicato adhærentes, regnum propoſitum vi facta rapientes. *Vos autem videntes*, hujusmodi pœnitentiam & vitæ correctionem in Publicanis & meretricibus, *Nec pœnitentiam habuiſtis poſtea, ut crederetis ei*, hoc eſt, non eſtis ſaltem eorum exemplum ſecuti, quos præcedere de-

bebatis, ſed permanſiſtis obſtinati in incredulitate. Hinc patet, juxta ſcopum Chriſti, per *primum filium* intelligi Publicanos, & meretrices: per *ſecundum* vero Scribas & Phariſæos, ut exprimit Hilar. Can. 21. Illi primo noluerunt operari juſtitiam, ſed poſtea pœnitentia ducti ſunt; hi verbis eam prætulerunt, factis non præſtiterunt. Sed quia iſta duo hominum genera typus fuerunt Gentium & Judæorum, hinc per *primum filium* Gentes, per *ſecundum* Judæos magno conſenſu intelligunt veteres, Orig. Tract. 18. in Matth. Athan. diſput. cum Ario in Conc. Nicæno, Chryſoſt. Theophil. Auctor operis imperf. Hieronym. hic, & alii. Gentes enim accepta naturali lege eam ſervare noluerunt, ſed poſtea per pœnitentiam & Chriſti fidem ſe correxerunt: Judaicus populus magnifice ſpondens, Exodi 19. v. 8. *Cuncta quæ locutus eſt Dominus, faciemus*, in vineam non ivit, id eſt, legem non obſervavit, ſed inſuper hæredem occidit, quod alia parabola ob oculos ponit, ad plebem quidem loquens, ut ex Luca patet, ſed in Phariſæos.

33. *Homo erat Paterfamilias.* Iſte Deum Patrem ſignificat, univerſæ creaturæ velut magnæ familiæ maximeque rationalis, natura Dominum, benevolentia patrem. *Qui plantavit vineam.* Vineam iſtam Iren. lib. 4. cap. 7. intelligit humanum

manum genus: ſed rectius Origen. Tract. 18. in Matth. Hieron. & alii, populum Judaicum, de quo Iſaias cap. 5. v. 7. *Vinea Domini exercituum domus Iſrael eſt:* quam ex Ægypto ſilveſcentem tranſtulit Canaam, ut eſt Pſalm. 79. v. 9. Tunc autem eam plantavit, quando ei Deus ſui notitiam inſeruit, ut indicat Auguſtinus Serm. 59. de verbis Dom. cap. 2. hoc eſt, quando eam in formam Eccleſiæ redegit, ut ferret fructus juſtitiæ. *Et ſepem circumdedit ei*, dum eam per Angelos & homines providentiæ ſuæ cuſtodia & munitione vallavit; quam minatur ſe detracturum, ut ſit in direptionem & conculcationem, Iſaiæ 5. verſ. 5.... *Fodit in ea torcular.* Quod alii intelligunt altare, holocauſtorum ſanguine quaſi muſto redundans, alii aliud: non inepte intelligi poſſet lex urgens & premens, ut unuſquisque fructum edat. *Et ædificavit turrim*, ſive templum, ut Hieron. & Orig. ſive Jeroſol. ex quorum utroque ſpeculatores ad cuſtodiam vineæ proſpectabant, quod officium hic maxime indicatur. Quamquam fortaſſe, per *turrim*, *torculare* ac *ſepem* nihil aliud velit, niſi Deum omnium neceſſariis vineam inſtruxiſſe, nihilque ultra debuiſſe ei facere, quod non fecerit, ut indicatur in ſimili plane parabola, Iſaiæ 5. v. 4.... *Et locavit eam*, id eſt, non dedit, aut vendidit, aut alienavit, ſed

gubernandam & excolendam tradidit, pactus se daturum fructuum portionem, & æternæ vitæ mercedem *Agricolis*, Regibus scilicet, sacerdotibus, Scribis, seu doctoribus, judicibus, ut quisque eorum juxta functionem suam, vineam excoleret. *Et peregre profectus est*, quando subtractis illis mirabilibus præsentiæ suæ signis, tamquam absentem se gessit, qui nusquam aberat.

34. *Cum autem tempus fructuum appropinquasset.* Fructus sunt vita bona, justitia, & obedientia mandatorum. Tempus reddendi fuit quidem semper, ex quo lex data fuit, sed maxime post datos populo judices, Reges ac Duces, quia tunc nulla superat excusatio. *Misit servos suos*, nempe Prophetas, ut August, Serm. 59. de verbis Dom. & alii consentiunt, imo ipse Christus satis explicat, qui misit illos, *ut fructus acciperent*, id est, eos monendo exigerent. Ex quibus *alium ceciderunt*, ut Jeremiam, c. 20. vers. 2. Micheam 3. Reg. 22. v. 24. *Alium occiderunt*, ut eundem Jeremiam, Isaiam, Ezechielem, & alios: *alium lapidaverunt*, Zachariam filium Joiadæ, 2. Paral. 24. v. 21.

36. *Iterum misit alios plures prioribus:* ut hæc Dei longanimitas eos adduceret ad pœnitentiam, & sollicitudo ad officium. Unde Jerem. c. 7. v. 25. *Misi ad vos omnes servos meos Prophetas per diem con-*

sur-

ſurgens diluculo, &c.... *Et fecerunt illis ſimiliter*, de quo generatim teſtantur S. Stephanus, Act. 7. v. 52. & Apoſtolus ad Heb. 11. v. 36. & ſeqq.

37. *Noviſſime autem*, tanquam ad Prophetarum finem, *Miſit ad eos filium ſuum*, unigenitum. Seipſum ſignificat, ut diſtinguat a filiis adoptivis, quos ſervos vocaverat. *Dicens*, *verebuntur filium meum*, id eſt, æquitas poſtulat, ut revereantur: magis enim indicatum vult officium eorum, quam rei eventum. Unde Lucas dixit, *forſitan verebuntur*, attribuens Deo id, quod homo paterfamilias, rerum incertus, merito de colonis cogitaſſet ac dixiſſet: ſic tamen ut ſimul eorum libertas arbitrii indicetur.

38. *Agricolæ autem videntes filium*, id eſt, agnoſcentes eum eſſe filium, ex teſtimonio ſcilicet Joannis, ex ſignis mirabilibus ut Joan. 15. verſ. 24.... *Dixerunt intra ſe*, id eſt, in animo ſuo, vel etiam inter ſe, unus ad alterum: hoc enim videtur poſtulare colloquium ſequens, quod latius prophetatur, & pulchre deſcribitur Sap. 2. v. 12. uſque ad 21. prout veteres unanimiter explicant: *Hic eſt heres*, regni ſcilicet, & dominii in populum Iſrael; heres, inquam, non qui Patri morienti ſuccederet, ſed cum vivente & regnum donante regnaret. *Venite, occidamus eum.* Quod ab eis dictum eſſe & concluſum, præ-

unte Caipha, teſtatur Joan. c. 11. v. 50. & 53. idque paucis diebus ante prolatam hanc parabolam. *Et habebimus hereditatem ejus*, id eſt, libere pro arbitratu noſtro dominabimur in populo ejus, liberati ab ejus exprobatione, opprobriis, & ignominia. Nam cauſæ occidendi fuerunt, partim aſperitas reprehenſionum Chriſti, & inde nata confuſio coram populo, ut indicatur illo loco Sap. 2. partim ambitio libere dominandi, in populo, ut inſinuatur Joan. 11. v. 48. ubi timent, ne a Romanis expellantur, nempe ſi intelligerent alium Regem, Meſſiam ſcilicet eſſe ſuſceptum a Judæis.

39. *Et apprehenſum eum ejecerunt extra vineam*: proteſtando per hoc, quod non agnoſcerent eum eſſe vineæ dominum: *Et occiderunt*, importunitate extorquendo a Romanis mortis ſententiam. Prædicit itaque hic & mortem, & mortis locum: nam extra Jeruſalem, quæ erat vineæ caput, ſeu, ut Apoſt. ad Hebr. 13. extra portam paſſus eſt Dominus.

40. *Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* Eos ipſos agricolas hæredicidas, ad quos loquebatur, facit judices, ut appareat ſententiæ æquitas, ſimili plane modo, ut in eadem parabola Iſaiæ. 5. v. 3.

41. *Ajunt illi* (Chriſto: eſt enim dativus) *Malos male perdet*, id eſt, malos male mulctatos ſeu malis affectos perdet:

det: & *vineam ſuam*, ſcilicet reliquias Iſrael, quibus Gentes inſerentur, non excidet, nec donabit aliis, ſed *locabit aliis agricolis*, id eſt, regendam committet aliis, Apoſtolis ſcilicet & ſucceſſoribus eorum, *Qui reddant ei fructum temporibus ſuis*, ſtatutis & opportunis, id eſt, qui ſic excolant vineam Dei, ut uberes bonorum operum fructus ferat Deo, ut magis indicatur v. 43. Porro verba iſta tribuuntur a Marco & Luca ipſi Chriſto, & eis auditis narrantur Sacerdotes dixiſſe: *Abſit*. Quare ne hæc ſibi repugnare videantur, alterutrum dicendum eſt, vel cum Auguſt. lib. 2. de conſ. Evang. cap. 70. quod quidam Sacerdotes reſponderint hæc verba, quæ tamen etiam Chriſto tribuantur, quia Chriſtus eſt veritas, cui omnis veritas tribuenda eſt, per quemcumque dicatur: vel facilius, ut Chryſoſt. quod primo reſponderint Sacerdotes hæc verba, ut Matth. narrat; deinde Chriſtus ea approbaverit, ut Marcus & Lucas, ſed ita tamen, ut ſignificaret ſe in ipſos Sacerdotes præſentes collimare: quo audito contradixerint Chriſto, dicentes, *Abſit*, ſcilicet ut nos juxta parabolam tuam necem hæredi paremus, & conſequenter nobis iſta contingant, ut male perdamur, & vinea a nobis auferatur. Quamvis ergo Matthæus non poſuerit, quod iſti parabolæ contradixerint, aperte tamen con-

traditionem respicit, dum subjungit, Jesum illis dixisse:

42. *Nunquam legistis in Scripturis.* Est enim modus refellendi id, quod præcesserat, tamquam contrarium, ut observavit Augustinus loco cit. Idem namque valet atque id, quod significantius Lucas dicit, *Quid est ergo quod scriptum est?* quasi dicer. Si vos recte dicitis, *Absit* quasi non esset verum id, quod dixi in parabola: quid ergo dicit Scriptura illius Psalmi, quem de messia scriptum canitis? *lapidem, quem reprobaverunt ædificantes*, id est, lapis ille, quem architecti, qui præsunt ædificandæ synagogæ ac domui Dei, tamquam structuræ inutilem abjecerunt, *Hic factus est in caput anguli*, id est, caput anguli, quem Paulus ad Ephes. 2. v. 20. uno verbo Græco vocat *akrogoniaion*, id est, summum angularem seu in extremo & supremo angulo positum; qui est præcipuus in structura: utpote superne continens totam junctúram duorum parietum, sicut inferne lapis fundamentalis. Itaque hic alio sermone parabolico iidem sunt ædificantes, qui in parabola erant agricolæ: idem ædificium, quod vinea; idem lapis reprobatus, qui filius seu hæres occisus, ut annotavit Hieron. Ædificantes ergo hoc loco sunt Sacerdotes & Principes populi, ut exponit S. Petrus Act. 4. vers. 11. quia docendo regendoque sy-

ſynagogam in domum Dei ædificabant. Qua de cauſa & Apoſtolus ſe *ſapientem architectum* vocat, 1. ad Corinth. 3 verſ. 10. ipſum vero populum ibidem vocat *Dei agriculturam*: ac *Dei ædificationem*, hoc eſt, juxta has parabolas, Dei vineam, Dei domum. *Lapis* vero dicitur Chriſtus, propter ſoliditatem ac firmitatem ſeu ſtabilitatem, quam tribuit Eccleſiæ ſuæ, tamquam in fundamento ejus poſitus, cui tota ſtructura innititur. Vocatur vero *angularis* propter indiſſolubilem junctúram, quam tribuit ædificatio. In angulo enim ingentes lapides ponuntur, qui utrumque parietem ex diverſo venientem complectantur & jungant. Unde per hoc indicatur, Chriſtum in uno ædificio ſuo junctúrum duos populos de Circumciſione & præputio venientes, id eſt, Judaicum & Gentilem, ut Auguſt. 18. de verbis Dom. cap. 10. & alibi ſæpius, & ab omnibus pene veteribus hujus loci Interpretibus annotatum eſt, Orig. Hilar. Hieron. Theoph. & inſinuatum a Paulo, ad Epheſ. 2. verſ. 14. & 15. *Caput* autem *anguli* dicitur honoris cauſa, ut opponatur hoc reprobationi ejus: quaſi dicer. quem reprobarunt ipſi, tamquam ineptiſſimum ædificio, *hic factus eſt*, id eſt, fiet, phraſi Prophetica futura tanquam præterita vaticinantium, ſummus in angulo, id eſt, dux & caput Eccleſiæ, & quidem ex

duobus jam populis conflatæ. *A Domino*, id est, non ab hominibus, seu humana industria, sed divina omnipotentia. Est enim tacita oppositio Dei, eligentis illum lapidem in caput anguli, contra homines reprobantes, ut clare indicatur 1. Pet. 2. vers. 4.... *Factum est istud*, Græce hic, & Hebraice in Psal. 117. legitur: *Facta est hæc, & est mirabilis*: sed mansit phrasis in Græco ex Hebraico, ubi carentes neutro ponunt pro eo fœmininum: sicut quando dicunt, *Unam petii a Domino, & hanc requiram*, id est, unum. Factum est ergo istud a Domino, quod scilicet lapis ille, seu Jesus reprobatus, renitentibus inimicis factus sit per resurrectionem princeps Ecclesiæ, & quidem ita, ut duos parietes istos sub se conjunxerit. *Et est mirabile in oculis nostris*, id est, est nobis mirabile visu, seu mirabile videtur nobis, qui adhæremus lapidi illi per fidem; loquitur enim Psalmus ex persona crediturorum tempore Christi.

43. *Ideo*, quia scilicet juxta Scripturam istam, reprobando lapidem a structura vestra, impleturi estis id, quod in parabola de hærede vineæ occidendo attuli, *Dico vobis*, omnibus, tam principibus, tamquam mali totius auctoribus, quam plebi eis adhærenti, *Quia auferetur a vobis regnum Dei*, ut scilicet non regnet amplius Deus, seu Christus

in

in vobis: id eſt, fiet, ut non ſitis amplius ſynagoga, populus & hæreditas, & regnum ejus, quem reprobaſtis. *Et dabitur*, per gratuitam gratiam, & miſericordiam, & bonitatem vocationis, quam erga Gentes peculiariter prædicat Apoſtolus ad Romanos 15. v. 9. & 11.... *Genti facienti fructus ejus*, id eſt, Gentibus edituris fructus dignos regno Dei, nempe fructus juſtitiæ. Itaque prædicit hic reprobationem Judæorum, cum ablatione veri cultus Dei, & Gentes occaſione reprobationis eorum ad fidem & regnum Dei eſſe vocandas, ut clare docet Paulus Act. 13. v. 46. & latius ad Rom. 11. v. 25. & ſeqq.

44. *Et qui ceciderit ſuper lapidem*, &c. Certum eſt, *cadere ſuper lapidem*, & *lapidem cadere ſuper aliquem*, hic diſtingui, illud minus, hoc maius eſſe. Unde diverſis modis hoc exponitur. Veriſimilius videtur id, quod dicunt Chriſoſt. hom. 96. & Auguſt. lib. 10. quæſt. Evang. q. 30. ut *cadere ſuper lapidem* ſit offendere ſeu impingere in lapidem, adhuc in terris poſitum, quemadmodum ambulantes ſolent, hoc eſt, *ſcandalizari in Chriſto* ut eſt c. 11. v. 6. nam hac de cauſa vocatus eſt Chriſtus *lapis offenſionis* & *petra ſcandali*: quod fit, dum Chriſtus vel non creditur, vel creditus deſeritur, vel male vivendo contemnitur, ut explicatur optime 1. Petri 2. v.

8.

8. Qui ergo ſic offenderit in lapidem, *Confringetur* Græce (*ſouthlatheſetai*) *conquaſſabitur*, ſicut & apud Lucam vertitur, hoc eſt lapidem non lædet, ſed ipſemet ita collidetur, ut quidem penitus non intereat, ſed tamen toto corpore afflictus, & quaſi fractus doleat. *Super quem vero*, pondere ſuo ex alto *cecidit*, lapis iſte, *conteret eum*, Græce (*kikmeſei*) *ventilabit*, id eſt, ita conteret, ut in minutas partes, in auras diſpergatur, nullaque reparationis ſit ſpes. Prima igitur parte ſignificatur pœna præſentis vitæ, quæ peccantes in Chriſtum ſequitur, ſive in anima, ſive in corpore: ſecunda vero pœna damnationis futuræ, cum lapis ille de cælo ſuper impios tota mole caſurus eſt. Unde aliqui alluſionem ad vaſa fictilia fieri putant, quæ ſi ceciderint in magnum lapidem, franguntur quidem, ita tamen, ut nonnumquam propter magna fragmenta aliquo modo reparari poſſint: ſin lapis in ipſa ex alto ceciderit, penitus in minutiſſimas partes conteruntur.

CAPUT XXII.

1. *Simile factum eſt regnum cælorum*, ſeu Eccleſia, hoc eſt, ſimile quid accidit in colligenda ex hominibus Eccleſia, in qua Deus regnum ſuum inchoat,

choat, ut poſtea compleat, ac ſi Rex quiſpiam pararet nuptias filio, ad quas propinqui venire detrectarent, &c. Rex enim iſte Deus Pater eſt, *qui fecit nuptias filio ſuo*, unigenito, uxorem ducenti. Uxor iſta, ſeu ſponſa eſt Eccleſia, juxta Apoſt. ad Epheſ. 5. verſ. 25. & ſeqq. & Apocal. cap. 21. v. 2. & 9. Unde *Nuptiæ* non ſignificant hic ipſam matrimonialem conjunctionem, vel incarnationem Chriſti, per quam Eccleſia ei ſponſa facta eſt, ſed nuptiale convivium, ſplendidum, & magnificum, unde ad ipſum dicuntur homines invitati. Hoc autem non eſt aliud, niſi ille doctrinæ, Sacramentorum, & gratiarum apparatus, quo Deus tamquam diverſis ferculis hominum animas, per fidem ſibi copulatas paſcit, & in æternum gaudiis beatæ vitæ paſturus eſt.

3. *Et miſit ſervos ſuos*, Joannem Baptiſtam, imo & ipſum Chriſtum Dominum, qui formam ſervi accepit, *Vocare invitatos ad nuptias*, id eſt, ut eos, qui jam olim invitati fuerant ad nuptias, ſuo tempore celebrandas, ad diem nuptiis præfinitum vocarent. Invitati illi ſunt Judæi, qui jam olim per Moyſen & Prophetas de tali convivo Meſſiæ exhibendo certiores facti, & invitati, & ad credendum perſuaſi fuerant. Hi ergo, jam jam inſtante convivii die, vocati ſunt per ſervos illos, prædicantes;

Pa-

Pœnitentiam agite, *appropinquavit enim regnum cælorum*, ut ad convivium venirent, id est, ut Ecclesiæ credendo in Christum insererentur. Fit allusio ad morem humanum, quo, decreto jam matrimonio, futuræ nuptiæ consanguineis plerumque denuntiantur, sed sic tamen, ut, cum dies instat, denuo vocentur, ut ad præstitutam veniant. *Et nolebant venire*, id est, noluerunt in Christum credere, Ecclesiæ ejus inseri, & participes convivii fieri.

4. *Iterum*, semel jam contemtus, *misit*, post mortem ac resurrectionem filii sui, *alios servos*, Apostolos duodecim, Paulum, Barnabam, Stephanum & alios, qui præscriptis verbis hæc denuntiarent invitatis: *Ecce prandium paravi*, id est, non jam dies prandii nuptialis instat, sed advenit, & omnia omnino ad refectionem mentis in hac vita necessaria præparata sunt. Prandium enim spiritualia vitæ præsentis bona respicit, cœna vero futuræ gaudia, de qua Lucæ 14. Hac ergo prædicatione jubet Rex, & quidem ultimo, annuntiari Judæis; Messiam, agnum sine macula, jam esse mortuum, crucifixum, resurrexisse, & ad epulandum propositum, omniaque jam consummata esse, quæ ad plenissimam redemptionem, salutem, & refectionem desiderantur; hoc enim per *tauros* & *altilia* videtur significari. Quam-

quam

quam ſigillatim Chriſtus per *taurum* ſignificari poſſit, ad explendam famem, & ad ſuſtentationem rudiorum, ut robuſti fiant; idem vero per *altilia*, ad præbendas delicias ſublimis contemplationis ſpiritualibus. *Venite ad nuptias*, id eſt, nihil jam ſupereſt, niſi ut veniatis, & menſæ accumbentes, convivii illius magnifici honore, deliciis, gaudiis, reipſa perfruamini, credendo in Chriſtum.

5. *Illi autem*, aliis rebus occupati & præpediti, *neglexerunt*, ſeu non curarunt venire, & Evangelicæ veritati credere, & *abierunt*, ad ſua quiſque negotia, nempe *Alius in villam ſuam, alius vero ad negotiationem ſuam*, diverſis ſcilicet terrenarum rerum amoribus, ſtudiis ac lucris abſtracti.

6. *Reliqui vero*, longe magis impii & ingrati humaniſſimæ invitationi ad inæſtimabilem tanti convivii fœlicitatem, *tenuerunt ſervos ejus*, &c. prout in Actibus Apoſtolorum de Jacobi & Stephani occiſione, & Pauli, aliorumque contumeliis narratur.

7. *Rex autem cum audiſſet*, tantum contemptum gratiæ, ſervorum contumeliam ac cædem, *iratus eſt*, iſt eſt, ultionem tandem decrevit, poſt tantam ſcilicet diſſimulationem, *Et miſſis exercitibus ſuis* (Romanos intelligit ſub Tito & Veſpaſiano) *perdidit homicidas illos*, gladio, fame, & peſte: uſque adeo, ut Joſephus lib.

lib. 7. de bello Judaico c. 17. teſtis ſit, periiſſe ſola ultima Jeroſolymæ obſidione undecies centena millia, præter innumeras clades, quibus & ante, & poſtea alibi affecti ſunt. Quamvis autem textus hoc factum dicat propter cæſos ſervos Regis, non negat tamen ipſius Chriſti occiſionem præcipuam fuiſſe cauſam. *Et civitatem illorum ſuccendit*: quod ad literam etiam contigiſſe idem Joſephus eodem libro teſtatur.

8. *Tunc ait ſervis ſuis:* non poſt perditos homicidas ſuccenſamque civitatem, ſed tunc, cum pervicaciter ad nuptias venire, ſeu Chriſti fidem recipere detrectarent, *Nuptiæ quidem paratæ ſunt*, durat enim ac celebratur nuptiale iſtud prandium a morte Chriſti, uſque ad veſperam mundi, quando æterna cœna incipiet: *Sed qui invitati erant, non fuerunt digni.* Plus ſignificat, quam dicit, nempe Judæos, non tantum non fuiſſe dignos nuptiis, ſed per tantam pervicaciam, ingratitudinem, & impietatem etiam indignos: non ita gentes. Hinc ergo, ut Apoſt. ad Rom. 11. v. 11. Judæorum delicto ſalus facta eſt Gentibus, quia cum ſe judicaſſent indignos æterna vita, & nuptiis iſtis, prædicatores ad Gentes converſi ſunt, Act. 13. v. 46. ut qui numquam invitati fuerant, in Chriſtum credendo, ad nuptias venirent; hoc eſt, enim, quod addit:

9.

9. *Ite ergo ad exitus viarum*, id eſt, quia Judæi venire nolunt, percurrite omnes vias, uſque ad omnes earum angulos, atque exitus, id eſt, per univerſum mundum omnibus Gentibus uſque in fines orbis terræ, prædicate Evangelium. *Et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias*, nemine cujuscumque conditionis, quantumvis barbaro, excluſo: nempe ut æmulatione vel zelotypia ſtimulati Judæi ægre ferendo ſibi ſalutem a barbaris præripi, convertantur.

10. *Et egreſſi congregaverunt omnes*, id eſt, ex omni hominum genere, ſeu ex omni tribu, & lingua, & populo & natione, & ſexu, & profeſſione, *malos & bonos*: non qui ſe malos perſeveraturos profiterentur: ſed *malos*, ſive qui laterent, dum ingrediendo probitatem ſimularent: *bonos* autem, qui ſæculo uti verbis, ita factis renuntiabant: ſive *malos & bonos*, quo ſcilicet jam adducti ad nuptias mali & boni apparerent: ſive denique *malos & bonos* dictum eſt ſecundum quandam humanam converſationem, in qua etiam ii, qui nondum crediderunt, vel laudari, vel vituperari ſolent: quas interpretationes dat Aug. libr. de fide & operib. c. 17. Nemo enim proprie loquendo bonus eſt ante fidem. *Et impletæ ſunt nuptiæ*, locus ſcil. nuptialis, ſeu, ut Syrus, domus convivii, *diſcumbentium*: quaſi dicer. ita non

perierunt impensæ convivii, & mortis Christi, propter Judæos venire detrectantes; sed multo pluribus adductis, domus, hoc est, Ecclesia, impleta est. Nam ut Apost. ad Rom. 11. delictum eorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum divitiæ gentium.

11. *Intravit autem rex*, convivii cœnaculum, *ut videret*, seu spectaret, *discumbentes*, convivas, utrum scilicet omnia digne tantis nuptiis, tanto sponso & sponsa agerentur. Significatur autem visitatio Dei, in die judicii facienda. Addit hoc, ne sibi unusquisque ex gentilibus satis esse putaret, quod vocatus venire voluisset, etiamsi indigne se gereret vocatione sua. *Et vidit ibi hominem*, id est, unum quemdam, *non indutum veste nuptiali*, id est, decente nuptias & festum diem: lacera enim & sordida veste dehonestari solent nuptiæ, & sponsus contemni. Hanc vestem parabolice Calvinus intelligit fidem; sed male, quia per eam ad nuptias venerat, August. 22. contra Faustum cap. 19. gloriam sponsi, quam quisque, non suam, quærere debet. Quid hoc sit, exponit ipse lib. ad Donatistas post Collat. cap. 20. & latius quodam Sermone de nuptiis in appendice, videlicet fidissima sponsi Christi charitas. Vestis enim nuptialis accipitur in honorem conjunctionis sponsi & sponsæ: ac talis est, inquit,

ut

ut eam non habeant, nisi boni, in convivio relinquendi. Quæ sane vestis sola charitas est, qua maxime sponsus honoratur: & hic est communis antiquorum sensus, Gregorii, Ambrosii, & aliorum. Nam quod Chrysost. hanc exponit esse vitam immaculatam, seu virtutibus splendidam, a peccatorum sordibus alienam; Auctor imperf. & Hieron. opera bona seu novi hominis; Hilarius candorem habitus cælestis & Spiritus sancti gloriam; in idem prorsus redeunt: charitas enim sine illis esse non potest, nec illa sine charitate.

12. *Et ait illi: Amice.* Amicum vocat, quia ad nuptias amico animo invitatus fuerat, inquit Hieronym. & ut zelo justitiæ, non autem odio se increpari intelligeret. *Quomodo huc intrasti*, id est, qua fronte & audacia te in tantas nuptias intrusisti, & cum cæteris versaris, *non habens vestem nuptialem*, id est, legibus nuptiarum requisitam, quæ in sponsi & sponsæ gloriam cedat? Arguitur autem in eo solus defectus charitatis, tametsi de cætero se modeste gessisset, neque convivas perturbasset. Quod ergo judicium eorum erit, qui sordide & flagitiose vivunt, omniaque tumultibus miscent, quibus convivas in Ecclesia perturbent? *At ille obmutuit*, quia ubi veritas ipsa judex erit, cessabit omnis excusatio,

palliatio ac defensio. Unde, illo per ipsum silentium se condemnante,

13. *Dixit rex ministris*, justitiæ suæ, Angelis scilicet: *Ligatis manibus*, ne se defendere queat, *& pedibus*, ne fugere: quibus significat inevitabilem ejus pœnam absque ulla spe liberationis, aut præsidio defensionis, *mittite eum*, Græce (*arate*) *ejicite*, scilicet foras ex nuptiis & ex cœtu Sanctorum, qui charitate velut veste immaculata amicti sunt, *In tenebras exteriores*, carcerem inferni: de quibus tenebris & stridore & fletu, vide dicta in cap. 8. versu 12. Delabitur hic Christus a cortice parabolæ ad rem significatam; in quam collimans etiam mox concludit:

14. *Multi enim sunt vocati*, ad nuptias Filii Dei, ad consortium regni cœlorum: sub quibus vocatis comprehendit etiam invitatos vocatosque, qui venire detrectaverant, scilicet Judæos, maxime tamen eos, qui venerant quidem, sed vestis, id est, probæ conversationis defectu ejecti fuerant. *Pauci vero electi*, a Deo, ut in cœna æterna, ad quam ex prandio nuptiali perducendi sunt, salute potiantur. Tangit enim radicem primam, ex qua oritur diversitas, ut vocati vel veniant, vel decenti veste nuptiali induantur, vel in ea perseverent, ne convivio ejiciantur. Ex hoc autem, quod unus tantum ejectus

ctus dicitur, multique remanserunt in convivio, cum tamen e contrario multi dicantur vocati, & pauci electi: concludit Aug. Serm. cit. & lib. De gestis Pelagii c. 3. per ejectum parabolice significari universum malorum cætum, qui in Ecclesia bonis permixti vivunt, & multitudine sua electos longe superant.

15. *Tunc*, cum irritati essent tot parabolis Pharisæi, præ cæteris infensi Christo, *Consilium inierunt, ut caperent eum in sermone*: Græce (*pagideusosin*) *ut illaquearent*, seu verbis velut laqueo, caperent, ut, quem vi non audebant capere, operibus tamen videbant irreprehensibilem, ipsi jam toties suis verbis capti, viciſſim proposita captiosa quæstione eum verbis in periculum adducerent.

16. *Et mittunt ei discipulos suos*, quasi ipsi ignotos, quos tamen ipsos fuisse Pharisæos notat Marcus. *Cum Herodianis*. Gentiles eos fuisse sentit Auctor operis imperfect. Chrysost. vero & Hieron. milites Herodis: Theophyl. eos, qui Herodem Christum putarent. Verisimile est fuisse Herodis, non primi illius, sed filii ejus Tetrarchæ, qui Antipas dictus est, domesticos. Ille enim tempore passionis Christi jam instantis erat Jerosolymis, Lucæ 23. versu 7. Unde Syrus vertit, *Cum iis, qui de domo Herodis*, seu *cum domesticis Herodis*, &

Evangelium Hebræum Eliæ Hutteri & aliorum legit, *cum servis Herodis*. Herodes enim Magnus impense faverat Romanorum tributis, quibus olim præfuerat; quem & filium ejus imitatum fuisse non est dubium. Pharisæi contra favebant Judaicæ libertati, & Herodis erant adversarii. Testis est enim Joseph. l. 18. Antiq. c. 2. fuisse quosdam ex Juda Galilæo ortos, sed eadem plane cum Pharisæis sentientes, qui neminem præter Deum, Dominum ac Principem haberi aut nominari vellent, adeoque Romanis ac tributis erant infensissimi. *Dicentes*, Græce rectus casus est: unde Syrus, *Et dicunt ei*, scilicet Pharisæi, per os discipulorum. Quo indicatur præscriptis verbis quæstionem a Pharisæis mittentibus fuisse propositam. *Magister, scimus quia verax es*, id est, quod amas veritatem, nec solum amas in te, sed etiam in aliis. *Et viam Dei in veritate doces*, id est, doces vere, sincere, absque fuco & respectu viam, quam Deus ab hominibus ambulari cupit, hoc est, quid Deus velit fieri, & non fieri. *Et non est tibi cura de aliquo*, id est, non curas quemquam, quo minus liberrime absque odio, aut metu, aut gratia veritatem dicas. Veracitas enim reddit hominem incommutabili veritati similem? veritas autem neminem curat, palpat, aut metuit. *Non enim respicis per-*

perſonam hominum: Marcus, *Non vides in faciem hominum*, utrumque Lucas breviter explicat, dicendo, *Non accipis perſonam*, hoc eſt, ſolius cauſæ merita intueris, nihil curans quaſcunque extraneas perſonarum conditiones, ad cauſam non pertinentes, divitias, honores, potentiam, &c. Veriſſima eſt iſta ſinceri Doctoris, maximeque Chriſti, laus, nullo hominum reſpectu, gratia, aut metu ab officio & libertate aſſerendæ veritatis deflectere. Sed in Phariſæis erat iſta peſtilentiſſima adulatio, eo tendens, ut Chryſoſt. notat, ut Chriſtum inflarent, & audacem redderent, atque ita in ancipiti conſtitutus aliquid diceret, vel contra religionem & libertatem Judaicam, ut ſic Phariſæi præſentes eum plebi inviſum redderent, vel contra præſentem Reipublicæ ſtatum, ut ſic eum Herodiani comprehenderent, & apud præſidem Pilatum accuſarent: nam de hac ipſa tributi cauſa apud Pilatum mentiti ſunt, Lucæ 23. v. 2. Et hoc eſt, quod Lucas aperte dicit, eos fuiſſe inſidiatores, qui ſe juſtos ſimularent, quæſtionemque propoſuiſſe, ut traderent illum principatui & poteſtati Præſidis.

17. Quandoquidem igitur tam incorruptus iis Doctor veritatis, *Dic nobis: Quid tibi videtur*, de hujus quæſtionis veritate; quæ conſcientiam noſtram torquet & perplexam facit? *Licet cenſum*

dare Cæsari, an non? Salva scilicet religione & absque offensa Dei. Pompejus enim primo universam Judæam vectigalem populo Romano fecerat: deinde Augustus cum circa tempus nascentis Christi toti nationi censum seu tributum annuum imposuisset, Judas Galilæus hoc indignum ratus, populum ad rebellionem incitaverat, ut multis locis indicat Josephus & Gamaliel Actorum 5. v. 37. Hinc orta quæstio, tempore Christi maxime controversa, utrum liceret tributum Cæsari solvere? Pars affirmativa tenebatur ab Herode & Herodianis, & Romanorum fautoribus: negativa a Juda Galilæo, atque ejus discipulis, & maxime grata erat populo ac Pharisæis.

18. *Cognita autem Jesus nequitia eorum*, id est, fraudulenta hypocrisi, *ait: Quid me tentatis*, seu experiri scientiam meam cupitis, *hypocritæ?* aliud enim voce, aliud opere proferebant: nam benevolentiam erga Jesum, magnam æstimationem ejus, studium veritatis & justitiæ & religionis simulabant, cum nihil eorum esset ipsis cordi.

19. *Ostendite mihi numisma census*, id est, speciem monetæ, qua census, Judæis imperari solitus a Romanis, solvi debet. Constat enim ex Ælio Lampridio, moris fuisse Romanis Imperatoribus, ut numismata, pro ratione tributi vel census, magna vel parva conderentur. *At illi*

obtu-

obtulerunt ei denarium: quod fuit numiſma Romanum; intelligit autem argenteum. Teſtatur enim & miratur Plinius lib. 23. c. 3. populum Romanum victis gentibus in tributo ſemper argentum imperaſſe, non aurum. Putatur autem hic fuiſſe denarius minor, unius Atticæ drachmæ pondere, hoc eſt, valoris circiter Regalis Hiſpanici, qui olim quinque, nunc ſex ſtuferos valet. Cum autem conſtet ex cap. 17. v. ult. Cenſum illum fuiſſe didrachmum, hinc ſequi videtur, eum vel denario duplicato debuiſſe ab omnibus ſolvi, vel certe pro ratione facultatum uniuscujusque, uno vel duobus.

20. *Et ait illis: Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio?* Nam ut nunc, ita & olim tempore Chriſti, ſignabantur nummi imagine Principis, vel Reipublicæ & caracteribus limbum ambientibus, ut ex multis vetuſtis nummis conſtat. Quamvis initio apud Romanos pecude, unde pecunia dicta, ſignarentur; deinde aliis notis, Jano, bigis, quadrigis, victoria, &c. ut videre licet apud Plin. loco citato. Interrogat hæc Chriſtus, non quod ignoret, ſed partim ut ex propriis eorum verbis quæſtionem ſolveret, partim ut ſignificaret non ſibi terrena eſſe curæ, ſed cæleſtia.

21. *Dicunt ei: Cæſaris*, veriſimiliter Tiberii, utpote jam decimumoctavum

imperantis annum. *Tunc ait: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Quibus verbis tacite significatum esse a Domino plerique volunt, tributum illud esse Cæsari, in recognitionem dominii, solvendum, utpote cui se subjectos usu numismatis ejus profiterentur. Sed merito dubites, utrum hoc sequatur: nam & Abrahám, Gen. 23. v. 16. usus est moneta publica, scilicet Hetheorum, inter quos vivebat, quibus tamen non erat subjectus: & Judæos verisimile est pecunia Græca & Romana propter commercii commoditatem ante subjectionem, esse usos; & tyrannis etiam census, qui non debetur, solvi solet. Itaque verisimile est, Christum, sicut ancipiti & lubrica quæstione pulsatus fuerat, ita & lubrice atque ambidextre respondisse, ut nihil decideret, sed eos incertos relinqueret, quid Cæsari deberet solvi, an census, an honor, an obedientia? sicut eos etiam de solvendis Deo incertos reliquit, cum dicit, *& quæ sunt Dei, Deo.* Hoc tamen duabus de causis adjecit. Primo ut indicaret, etsi, quæ sunt Cæsaris, Cæsari solverentur, neminem ex eo impediri, quin reddat ea, quæ sunt Dei Deo, ut Origenes; illud enim pauperiorem forsan reddet, non tamen impium. Ita docens, nihil obstare religioni, sicut ipsi putabant, quo minus, salva pieta-

te,

te, & Cæsari pareretur in iis, quæ ad ipsum spectabant, scilicet terrenis, & simul Deo, in rebus divinis. Secundo, ut simul eorum negligentiam perstringeret, in iis solvendis, quæ sunt Dei, obedientia scilicet mandatorum ejus: quasi dicer. De solvendis debitis Cæsari, avaritia stimulante, estis anxii, cum de solvendis debitis Deo nihil curetis: hoc oportet facere, & illud non omittere, cum res postulat.

22. *Et audientes mirati sunt*, responsum tam cautum, in quo nihil reperiri posset, quo vel in populi, vel in Cæsaris offensam caderet, ut speraverant. Lucas hoc exprimit, *Et non poterant verbum ejus reprehendere coram plebe.*

23. *In illo die accesserunt ad eum Sadducæi.* De hac secta diximus alibi, sicut & de lege suscitantium semen, id est, filium & posteritatem fratri, id est proximo cognato suo, sine liberis defuncto. Primogenitus enim filius ex uxore, fratris nomine defuncti appellabatur, ut Lex ait, hoc est, habebatur filius & heres defuncti, non viventis. Proponunt Sadducæi hanc quæstionem, ut absurditate, quæ ex ea sequi videbatur, (quod scilicet vel plures eamdem haberent postea simul uxorem, vel unus præ cæteris quibus erat par jus) expugnarent resurrectionem, & consequenter regnum cœlorum & vitam æter-

ternam, quam Chriſtus prædicabat. Neque enim ſuſpicari poterant carnales homines, vitam ibi cælibem eſſe ducendam. Proponunt autem ex ipſa lege Moyſis, quam ſolam recipiebant, ut teſtatur Joſephus 18. Antiquitatum cap. 2. Quibus reſpondet:

29. *Erratis*, negando reſurrectionem, & ignorando modum ejus, dum ſcilicet putatis vitam, quæ futura eſt, fore vitæ præſenti ſimilem. *Neſcientes Scripturas*, quia non intelligitis eas, quæ de hac re loquuntur: *neque virtutem*, ſeu omnipotentiam Dei, cujus poteſtate corpus redactum in cineres, ad vitam, eamque longe aliam, ac jam vivimus, revocabitur. Tangit igitur duplicem radicem erroris iſtius, ignorantiam Scripturarum & omnipotentiæ Dei: quibus de cauſis ab omnibus olim, tum Judæis, tum Philoſophis, tum hæreticis, reſurrectio ſublata fuit, & etiamnum hæreſes contra pleroſque arduos fidei articulos excitantur. Primo igitur docet eos errare in modo futuræ vitæ intelligendo, convellens totius erroris fundamentum.

30. *In reſurrectione enim*, id eſt, tempore reſurrectionis, ad quam omnis vita poſt eam ducenda, ſpectat, *neque nubent*, viri, *neque nubentur*, fœminæ: nam Græce eſt (*ute gamuſin, ute ohgamizontai*) *neque uxores ducunt, neque dantur ad nuptias*; quo modo eadem Græca verba verſa

ſunt

ſunt Lucæ 17. v. 27. Itaque hic, contra Latinorum conſuetudinem, *Nubere* tributum eſt viris, & *Nubentur*, uſurpatum eſt perſonaliter. Colligit autem hinc Hieron. tum hic, tum Epiſt. 27. ad Euſtochium, in reſurrectione futuram ſexuum diverſitatem. Neque enim recte de lapidibus, vel rebus quæ non poſſunt nubere, dixeris, *non nubent*, &c. Quamvis Tertullianus lib. de habitu muliebri, cap. 2. Origenes & alii nonnulli, eundem ſexum, qui viris, videantur tribuiſſe fœminis: ſed recte Auguſt. 22. de Civit. cap. 17. corporibus vitia detrahentur, natura ſervabitur. Non eſt autem vitium ſexus fœmineus, ſed natura erunt membra non accommodata uſui veteri, ſed decori novo, quo non alliciatur aſpicientis concupiſcentia, quæ nulla erit, ſed Dei laudetur ſapientia, atque clementia, qui & quod non erat, fecit, & liberavit a corruptione, quod fecit. *Sed erunt ſicut Angeli Dei in cælo*: ſeu qui in cœlo ſunt, ad differentiam dæmonum, hoc eſt, vivent abſque nuptiis, cibo, potu cæteriſque mortalitati ſuſtentandæ & propagandæ neceſſariis, ſicut Angeli, quod Auguſtin. loco citat. dicit: Erunt ſicut Angeli, ſeu æquales Angelis immortalitate, atque felicitate, non carne. Non enim hic natura Angelica, ſed ſimilitudo ſpiritualis converſationis promittitur, ut Hieron. locis cita-

citatis: qui ad Euſtochium rectè notat, ſicut & Baſil. libr. de vera virginit. Virgines iſtam Angelicam ſimilitudinem reſurrectionis in hac vita prævenire, quorum puritatem in corruptibili carne circumferunt.

31. *De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis.* Hic eos probat neſcire Scripturas, retundens ex ipſo Moyſe argumentantes ex Moyſe, cum alioqui longe clariora ex Prophetis teſtimonia ſuppeterent.

32. *Ego ſum:* id eſt, non ſolum olim fui, ſed etiam nunc ſum, *Deus Abraham, Deus Iſaac*, &c. Sub hac propoſitione quodammodo ſubſumit Chriſtus: atqui *Non eſt Deus mortuorum*, id eſt, eorum, qui corpore & anima extincti ſunt, *ſed viventium.* Unde concludendum relinquit; ergo Abraham, Iſaac, & Jacob non ſunt mortui, ſed vivunt, & conſequenter mortui reſurgunt.

Contra quam argumentationem moveri difficultas poteſt, quia, quamvis animæ Patriarcharum ſolæ viverent, nec reſurgerent corpora, Deus poſſet vocari eorum Deus. Sed duobus modis reſponderi poteſt. Primo, ut omnia verba in ſuo rigore accipiantur, & immediate corporum reſurrectio probetur. Nam Abraham, Iſaac, & Jacob non ſunt nomina animarum, ſed perſonarum, ſeu ſuppoſitorum, corpore & anima conſtan-

ſtantium, ut notavit Theophyl. in cap. 12. Marci: & viventes, cum de hominibus ſermo eſt, dicuntur, qui corpore & anima unitis vivunt. Itaque cum dicatur Deus Abraham, & Iſaac, & quidem dicatur Deus tantum eſſe viventium, quos pridem corpore defunctos eſſe conſtat: neceſſe eſt Abraham & Iſaac ſuis corporibus adhuc vivere, ſed Deo. Nam hunc ſenſum indicat Lucas, cum addit, *Omnes enim vivunt ei*, nimirum quia morte breviſſimo tempore velut ſomno intercurrente tantum dormiunt, non mortui ſunt Deo, utpote quos ad vitam corporis mox revocaturus eſt. Hac enim de cauſa mortui vocantur ab Apoſtolo *dormientes*, ſicut & Lazarus Joan. 11. v. 11. & puella Matth. 9. verſ. 25. *dormire* dicuntur. Declarat hoc Chryſoſt. appoſita ſimilitudine Adami, quia ſicut pomo comeſto, decretaque mortis ſententia, ſtatim mortuus dicitur, tametſi diu poſtea ſupervixerit: ita viciſſim mortui, propter decretam a Deo reſurrectionem, dicuntur ei vivere. Et hoc modo Chriſtus immediate probaſſet reſurrectionem. Secundo & fortaſſe facilius reſponderi poſſet, Chriſtum in verbis ſuis ſpectaſſe mentem Sadducæorum. Sadducæi autem teſte Joſepho 18. Antiquit. cap. 2. cum corpore extinguebant ſimul & animas. Itaque immediate Chriſtus probat animas

mas permanere poſt mortem corporis, ex eo, quod vocetur Deus Abraham, & Deus non ſit Deus mortuorum, id eſt, penitus extinctorum, etiam quantum ad animam, ſed viventium. Quodſi anima non extincta, ſed immortalis permanet, ergo reſurgent & corpora. Anima quippe ex naturali quodam pondere requirit conjungi corpori, & per quam juſtum eſt, ut quod particeps fuit operum, ac laborum, pœnæ quoque & præmii particeps fiat. Et hinc eſt, quod non tantum Sadducæi, ſed & olim Philoſophi, & hodie Athei, cum animæ immortalitate etiam corporum reſurrectionem ſuſtulerunt, & e contrario qui immortalitatem animæ, iidem & corporibus reſurrectionem tribuerunt. Unde & Paulus 1. ad Corinth. 15. v. 18. & 32. ex negata corporum reſurrectione infert, dormientes perire, ſcilicet etiam quantum ad animam, & pios labores nihil prodeſſe: & 2. Machab. 12. v. 44. concluditur, orationes pro defunctis nihil profuturas eſſe, niſi reſurgant & corpora.

34. *Phariſæi autem audientes*, &c. ne ſcilicet etiam ſibi videretur ſilentium impoſitum, ut deprimerent Chriſti gloriam, coram turbis admirantibus; *Convenerunt in unum*, ad proponendam novam quæſtionem, qua ille, qui Sadducæos ſuperaverat, a ſe ſuperaretur.

35.

35. *Et interrogavit eum unus ex eis*, nempe Phariſæis, *Legis Doctor:* Marcus *Scribam* vocat, Syrus *Legis peritum;* ex quo patet, Legis doctorem etiam Scribam eſſe, & eosdem Scribas eſſe potuiſſe & Phariſæos, utpote cum hoc ſectæ eſſet nomen, iſtud officii. *Tentans eum*, id eſt, ut experiretur ignotum, inquit Auguſt. 2. de conſenſu cap. 73. hoc eſt, ut amplius experimentum caperet peritiæ Scripturarum eius. Hic enim quamvis Phariſæis invidia ſtimulatis ſe obtulerit, qui quæſtionem ex intimis Legis arcanis petitam Jeſu proponeret, bono tamen animo ad ſciendam ſcilicet ſententiam Chriſti hoc feciſſe colligi videtur ex Marci 12. verſ. 28. & ſeqq. Interrogavit ergo:

36. *Quod eſt mandatum magnum in Lege?* id eſt, maximum inter omnia Legis Moyſis mandata, ut ex Marco patet, qui dicit, quod eſſet *primum omnium mandatum?* Carent enim Hebræi ſuperlativo. Videtur iſta quæſtio tunc fuiſſe controverſa, ut notavit Beda in Marcum, aliis mandatum de ſacrificiis, aliis aliud præferentibus. Ait illi Jeſus:

37. *Diliges Dominum Deum tuum.* Apud Marcum præmittitur etiam illa præfatio, quæ habetur Deuter. 6. *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus Deus unus eſt:* qua manifeſte præmittitur dilectioni, & fundatur in animo fides unitatis eſſentiæ

divinæ; occultius autem Trinitatis personarum, ut obſervavit Euthymius, in eo quod ter nomen Domini, ac Dei repetitur. Cui præfationi mox ſubjungitur apud Marcum, *Et diliges Dominum*, &c. quaſi dicer. itaque quia unus eſt, totum amorem in illum Dominum Deum tuum converte. Pro quo Hebraice eſt nomen *tetragrammaton*, id eſt, quatuor litterarum, (*IHVA*) ſeu *Iehova* quod Deum ſub omnis eſſentiæ pelago exprimit, & ita tacite rationem continet ejus, quod ſequitur, cur ſcilicet ex toto corde, toto animo, tota mente &c. ſit diligendus; nimirum quia eſt primum ens, ſummum bonum, abyſſus, fons ac principium omnis entis & boni, ac proinde primum & ſummum, quod mereatur diligi. *Deum tuum*, qui te ſibi in populum peculiarem elegit, in filium adoptavit, diligit, & ex dilectione innumeris cumulavit beneficiis. Nam in prima parte ſumma ratio diligendi ſuggeritur, ipſa divinæ naturæ excellentia: hic vero proxima, ipſius ſcilicet in nos amor, ac beneficentia; ut, ſi in amando tardiores fuerimus, ſaltem amantem redamemus. *Ex toto corde.* Hoc additur, ut diſtinctius intelligamus, quomodo totus amor noſter in unum Deum noſtrum converti debeat. Recte itaque obſervat Baſil. in Pſalm. 44. & Theodoret. quæſt. 3. in Deuteron. per iſtud, *ex toto*, ſeu *omni corde*, præcipi nobis,

nobis, ut non ſcindamus dilectionem in dilectionem Dei, & rerum inferiorum Deo: quantum enim in eas dilectionis impenderis, tantum Deo ſubſtrahi neceſſe eſt. Sed quia jam fundata in animo dilectione Dei, unicuique rei, parentibus, liberis, cæterisque omnibus utilia ex ejusdem illius divinæ dilectionis legibus procuranda ſunt (ſic enim Deus ipſe, quem diligis, jubet:) hinc fit, ut quidquid aliud juſto genere amoris, qui longe inferior eſt, in animum venerit, illuc rapi, & referri debeat, quo totius dilectionis illius impetus currit. Tota enim illa dilectio proximorum in illam dilectionem Dei referenda eſt, quæ nullum a ſe rivulum extra ſe duci patitur, cujus derivatione minuatur, ut Auguſtinus libr. 1. de doctrina Chriſtiana, cap. 22. Sic ergo *cor totum* opponitur cordi in plures amores diverſos diviſo, quod hic fieri vetat. Opponitur etiam *cor totum* cordi remiſſo, ac languido, ut ſignificetur nihil nobis magis, aut æque diligendum eſſe, ac Deum; nihil illius amori præferendum, aut æquandum: qui ſenſus ex primo ſequitur. Sed magna eſt ſententiarum diverſitas in aſſignando diſcrimine *cordis*, *animæ*, *mentis*, *fortitudinis*, *virium*, quibus nominibus hoc præceptum diverſis locis exprimitur. Juxta Auguſt. loco citato, *cor* ſignificat cogitationes, *anima* vitam, *mens* intellectum:

juxta Nyſſenum libr. de creat. hominis, *cor* deſignat animam vegetabilem, *anima* ſenſitivam, *mens* intellectivam. Alii, maxime recentiores, putant hæc omnia unum idemque ſignificare, & ad majorem tantum energiam repeti, eiusque ſignum eſſe, quod aliquando aliquid eorum ommittatur. Sed hoc nihil aliud probat, niſi vel præceptum iſtud ſubinde non plene exprimi, vel certe unum eorum ex alio intelligi poſſe. Rectius igitur & veriſimilius videtur dici, ſicut alibi diximus, & hic locus poſtulat, ut iterum dicatur, quod, cum dilectio ſit voluntatis actus, volun as ipſa per *cor* ſignificetur. Nam ſicut cor eſt principium omnium corporalium motuum, ita voluntas, maxime quantum ad intentionem finis ultimi, qui eſt obiectum charitatis, eſt principium omnium motuum ſpiritualium. Et ideo ubicumque præceptum iſtud ponitur, ſemper *cor* ponitur primo loco, tamquam fons iſtius dilectionis. Tria ſunt autem principia actuum, quæ moventur a voluntate, intellectus ſcilicet ſignificatus hoc loco per *mentem*, & vis appetitiva interior deſignata per *animam*, & vis executiva exterior omnium actionum, quæ exprimitur Deuter. 6. per *fortitudinem*, & Marci 12. verſ. 30. per *virtutem*, & Lucæ 10. verſ. 27. per *vires*: eadem enim iſta tria ſunt. Præcipitur igitur, ut tota noſtra

ra intentio feratur in Deum, quod eſt *ex toto corde*; &, ut noſter intellectus ſubdatur Deo maxime per fidem, quod eſt *ex tota mente*; & ut appetitus noſter inferior regatur ſecundum Deum, quod eſt *ex tota anima*; &, ut exteriores actus noſtri obediant Deo, quod eſt *ex tota fortitudine*, ſeu virtute, ſeu viribus. Ita fere S. Thomas 2. 2. quæſt. 44. art. 5. Ex quo patet, quam vere Auguſtin. dicat loco ſuperius allegato, nullam vitæ noſtræ partem hoc præcepto relinqui, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut alia re præter Deum velit frui. Cui conformiter Victor Antiochenus in Marcum ait, idcirco in iſta Lege repeti *cor*, *animam*, *mentem*, *virtutem*, quo hominem tanto Dei amore flagrare debere demonſtret, ut nihil prorſus in ullam omnino animæ facultatem irrepere ſinat quod ejus erga Deum dilectionem excludat, aut diminuat, aut alio transferat.

38. *Hoc eſt maximum mandatum*, id eſt, præcipuum, quia maxime ab homine requiſitum, omnia ſecum trahens mandata; plenitudo enim legis eſt dilectio, ad Rom. 13. item omnium mandatorum finis & ſcopus; finis enim præcepti eſt charitas, 1. ad Timoth. 1. v. 5. . . *Et primum*, dignitate, tanquam de fine ultimo, de ente primo, de ſummo bono, atque ita neceſſario eſt finis aliorum

mandatorum, & in intentione tam legislatoris, quam factoris primum.

39. *Secundum autem simile est huic*; officio; quia similiter dilectionem præcipit; & amplitudine, quia universa secundæ tabulæ præcepta continet, sicut alterum primæ. *Diliges proximum*, nempe quemlibet hominem; nam ut Iren. lib. 4. cap 27. homo homini proximus. Hinc illa laudatissima sententia cujusdam apud Comicum qui reprehensus fuerat, quod aliena curaret negotia. Homo, inquit, sum, humani a me nihil alienum puto; cui tota aliquando theatra plausisse ferunt. Utitur autem nomine *Proximi*, ut tacite suggerat rationem legis, seu dilectionis istius, nempe societatem, fundatam in proximitate, hoc est in conjunctione naturali, non sanguinis, sed animorum, id est, rationis & imaginis Dei, & consequenter præcipue in capacitate summi boni, in qua socij & proximi sunt omnes homines. Si enim pecuniæ ratio socios facit, quanto magis ratio naturæ, non negotiandi, sed nascendi lege communis? inquit August. Epist. 52. .. *Sicut teipsum*, id est, similiter atque te diligis, etsi non æqualiter. Similitudo autem ista dilectionis attenditur primo & maxime in fine diligendi proximum, scilicet propter Deum. Hinc August. lib. 10. de Civit. cap. 4. Cum mandatur de proximo diligendo, sicut

seip-

ſeipſum, quid aliud mandatur, niſi ut ei quantum poteſt, commendet diligendum Deum? Dilectio quippe ſui, non propter Deum, non eſt vera ſui dilectio. Cum enim ſe diligere ſit, ſibi velle ſummum bonum, tunc veriſſime & propriiſſime homo ſeipſum diligit, cum Deum diligit; nam hoc ipſum eſt, ſibi velle ſummum bonum. Unde idem Auguſt. lib. de morib. Eccleſ. cap. 26. Solus ſe novit diligere, qui Deum diligit: ſicut ille ſe ſatis diligit, qui ſedulo agit, ut ſummo & vero perfruatur bono. Quod ſi nihil eſt aliud, quam Deus, quis cunctari poteſt, quin ſeſe amet, qui amator eſt Dei? Et iſta cauſa eſt, cur nullum præceptum ſit, ut homo diligat ſe, quia in dilectione Dei perfectiſſime involvitur. Secundo, attenditur iſta ſimilitudo in rebus, quas proximo velle debemus, ſeu in officiis, quæ ei præſtare debemus, nempe bona, non mala, ſive corporis, ſive animæ: omnia enim officia ſocietatis humanæ ex illo unico præcepto naſcuntur, &, ut ibid. Auguſt. ad duo revocantur: nempe, ut in nullo lædamus proximum, ſecundum illud Apoſtolicum, ad Rom. 13. v. 10. *Dilectio proximi malum non operatur*: deinde ut eum, cum poſſumus, adjuvemus. Unde utrumque complectens Auguſt. lib. de vera relig. cap. 46. Ea eſt regula dilectionis, inquit, ut quæ homo vult

ſibi bona provenire, & proximo velit; & quæ accidere ſibi mala non vult, & illi nolit. Quorum affirmativum indicatur ſup. Matth. 7. v. 12. *Omnia, quæcumque vultis*, ut *vobis faciant*, &c negativum vero Tobiæ 4. verſ. 16. *Quod ab alio oderis fieri tibi*, &c. Ex his patet, non eſſe neceſſe addere, ut proximus non diligatur, propter propriam utilitatem, aut delectationem. Nam & hoc includitur in eo, quod debeat eum diligere propter Deum, ſicut & ſeipſum. Nam, ut optime Auguſt. loco de morib. Eccleſiæ citato: Quod agis tecum, hoc agendum cum proximo, id eſt, ut ipſe etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tamquam teipſum, ſi non ad id bonum, ad quod ipſe tendis, adducere ſatagis.

40. *In his duobus mandatis univerſa Lex*, Moyſis, & non tantum Decalogus ejus, *pendet & Prophetæ*, ſeu Prophetarum doctrina: hoc eſt, inquit Auguſt. libro 1. quæſtione Evangelica qu. 33. & latius lib. de perfect. juſtitiæ cap. 5. in his duobus habent finem, & ad hæc duo referenda ſunt: quidquid enim Dei lege prohibemur, & quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur & jubemur, ut duo illa compleamus. Imo tota Scriptura, adeoque Dei cum hominibus providentia non aliud ſpectat. Unde Auguſt. ubi Scriptura aperta eſt, charitas

patet;

patet: ubi obſcura eſt, charitas latet: de quo vide & in Pſal. 140. Reſte autem obſervat Epiſt. 52. idem Auguſt. dici, *In his duobus mandatis*, non *in his tribus*, quaſi tertium eſſet de diligendo ſeipſo, ut intelligeretur, inquit, nullam eſſe aliam dilectionem, qua quisque diligit ſeipſum, niſi, quod diligit Deum; qui enim aliter ſe diligit, potius ſe odiſſe dicendus eſt. Cum ergo ſummam agendorum Phariſæos Chriſtus docuiſſet, nunc etiam ſummam credendorum novæ Legis eos ex Scripturis docere volens & omnem prætextum ſe perſequendi ad necem tollere:

41. *Congregatis Phariſæis*, nempe contra ſe, ut ſupra vidimus v. 34. *Interrogavit eos*, ſuo jam jure & vice: utpote jam toties ab eis interrogatus ac tentatus.

42. *Quid vobis videtur de Chriſto? Cujus filius eſt?* Hanc quæſtionem clare de ſeipſo propoſuerat Apoſtolis, Matth. 16. v. 13. & 15. Hic vero proponit in genere abſtrahendo a perſona ſua. Statim enim, ut Chryſoſt. ut eum ſeductorem & perditum eſſe reſpondiſſent. *Dicunt ei, David*: quod ita tritum tunc erat, ut etiam vulgo eſſet notiſſimum: ſicut aliquoties ſupra vidimus. Sed ita hoc intelligebant, ut nihil amplius de Chriſto ſuo ſentirent, niſi Regem de ſtirpe David terrenum fore Dei adoptione filium chariſſimum, qui Judæos diſperſos

in terrenam libertatem aſſereret, regnum David collapſum multo auguſtius reſtitueret, & uſque ad fines terræ ſubactis gentibus dilataret: cujusmodi etiamnum expectant Judæi. Hanc opinionem ergo ut corrigeret Dominus, ait:

43. *Quomodo ergo*, ſi ſcilicet nihil aliud eſt, niſi Davidis filius, *David in ſpiritu*, nempe ſancto, id eſt, per ſpiritum ſanctum actus & impulſus, qui mentiri, aut errare non poteſt, *vocat eum Dominum*, ſcilicet ſuum? Pater enim non vocat filium Dominum ſuum. Locus autem, quem citat, eſt ex Pſalmo 109.

44. *Dixit Dominus*, nempe Deus; eſt enim hic Hebraice nomen illud ineffabile, quod ſoli Deo competit, & fere verti ſolet, *Dominus*, eo quod Hebraice legi ſoleat per (*Adonai*) quod *Dominum* ſignificat. *Domino meo*, Meſſiæ ſcilicet, ſeu Chriſto: Hebraice eſt (*Ladoni*) quod hominibus tribui ſolet. Unde vis argumenti non eſt ſita in eo, quod vocet ſimpliciter *Dominum*, ſed *Dominum meum*, cujus ſcilicet ipſe ſit ſervus. *Sede a dextris meis*, id eſt, habeas & habere agnoſcaris æqualem mecum gloriam, majeſtatem, imperium. Unde urgens hanc phraſis iſtius prærogativam Apoſtolus ad Hebr. 1. v. 17. ait: *Ad quem enim hominum aut Angelorum dixit aliquando, Sede a dex-*

dextris meis? Et 1. ad Corinth. 15. v. 25. hunc locum paraphraſtice citans ait: *Oportet illum regnare; donec ponat*, &c. & ad Epheſ. 1. v. 20. clarius explicans effectum iſtius ſeſſionis, *Suſcitans*, inquit, *illum a mortuis & conſtituens ad dexteram ſuam in cæleſtibus ſupra omnem principatum, & virtutem, & dominationem*, &c. Eodemque modo ad Philippenſes 2. v. 9. Ex quibus patet, Apoſtolo interpretante, Deum Patrem hoc dixiſſe, id eſt, tradidiſſe Chriſto hanc ſeſſionem a dextris tempore glorificationis ejus poſt reſurrectionem. Tunc enim res fieri dicitur, quando innoteſcit, & ipſe Chriſtus hoc ſatis declarat infra c. 26. v. 64. tametſi ab initio incarnationis Chriſtus, cum accepit eſſe Deum, accepit & æqualem Patri gloriam, quæ poſtea manifeſtata eſt. Eſt autem locutio metaphorica, ab humano more ſumpta, ubi ad dexteram eſt locus maxime honorificus. Nec tamen hac phraſi Pater ad ſiniſtram eſſe, Filioque poſtponi ſignificatur: nam mox eodem Pſal. v. 5. Pater dicitur eſſe a dextris Filii. Quamvis enim in ſermone proprio dextera inferat reſpectum ad ſiniſtram, non tamen neceſſe eſt hoc etiam ſermone metaphorico indicari. Verbis ergo, ut Baſil. lib. de Spiritu ſancto cap. 6. honorificis, & præſidentiam declarantibus ſignificatur ſummi honoris æqualitas;

plus

plus videlicet cuique perſonæ quodammodo tribuendo, ne minus habere credantur, ut ait Ambroſ. de Filio lib. 2. de Spiritu ſancto c. 12.. *Donec*, id eſt, etiam donec: exprimit enim illud tempus, quo maxime videri poterat non ſedere ad dexteram; relinquens intelligendum maxime ſeſſurum poſtea. Non enim præſentium promiſſio eſt futurorum exceptio: ut Baſil. hom. 25. vide dicta c. 1. v. ult. Unde Apoſtolus ad Hebr. 10. v. 12. *In ſempiternum ſedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum*, &c. Ex quo Apoſtoli loco intelligitur tempus noviſſimi judicii ſignificari quando dicit, *Donec ponam inimicos*, ſeu adverſarios tuos omnes, Reges, populos, imperia, &c. *Scabellum pedum tuorum*, id eſt, ita ſubjectos tibi, ut inſtar ſcabelli ſub pedibus tuis eos conculces & proteras: quo abſolutiſſimum imperium Chriſti ſignificatur.

45. *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus eſt?* id eſt, quomodo iſta duo conſiſtunt? Non enim negat eum eſſe filium David; nam, ut Auguſtinus Serm. 234. de tempore, *quomodo*, verbum quærentis eſt, non negantis: ſed eo collimat, iſta difficultate objecta, ut cogerentur aliam ſublimiorem in eo naturam agnoſcere. Illi vero præoccupati cum eſſent iſta falſa opinione,

46.

46. *Nemo poterat ei respondere verbum*, seu quidquam, quod nodum illum solveret. Ex quo silentio manifeste constat & sequitur: primo, certum fuisse apud Judæos illius temporis, quod iste Psalmus a Davide scriptus fuerit contra cavillationes recentiorum Judæorum, qui putant scriptum esse, vel a Melchisedech, vel ab Eliezer servo Abraham, vel aliis tempore Davidis viventibus: secundo certum item fuisse Pharisæis, quod ille idem Psalmus de Christo scriptus esset contra alias recentiorum Judæorum tergiversationes, qui volunt scriptum, vel de Abrahamo, ut testis est hic Hier. vel de Davide, ut Aben Ezra, & Rabbi David putant, aut de Ezechia, ut Judæi olim exponebant, teste Justino contra Triphonem, & Tertull. lib. 5. contra Marcionem c. 9. nam alioqui facile respondissent Pharisæi, utroque modo difficultatem eludendo.

CAPUT XXIII.

1. *Tunc*, cum arrogantiam Pharisæorum de scientia repressisset, ut iisdem quoque tanquam incorrigibilibus palam pietatis ac sanctimoniæ larvam detraheret, *Locutus est ad turbas & discipulos*, ne imitationis contagio corrumperentur.

rentur. Et quia graviſſime Scribas & Phariſæos volebat perſtringere, ne officii auctoritatem lædere voluiſſe, vel eorum principatum affectare, vel odio eorum, & inimicitiis moveri videretur, prudenter præmittit:

2. *Super cathedram Moyſi*, id eſt, quam Moyſes inſtituit, Dei auctoritate. Significatur autem non ſuggeſtus, in quo docuit Moyſes, quaſi ea dumtaxat ſervanda juberentur, quæ ex tali cathedra docerent, ut quidam nimis materialiter acceperunt: ſed auctoritas Moyſis in rebus divinis, nempe docendi & interpretandi Legem Dei, præcipiendi regendique populum in iis, quæ ſpectant cultum Dei: ſic enim & cathedram Petri, auctoritatem Petri dicimus. Reſpicitur enim ad uſum, quo docentes, ac judicantes plerumque ſedent, ut fecit Chriſtus docens, Matth. 5. verſ. 1. & Lucæ 4. v. 20. & judicantes ſeſſuri ſignificantur, Matth. 25. v. 31... *Sederunt Scribæ & Phariſæi*, per legitimam in officio ſucceſſionem. Phariſæi enim & Scribæ videntur plerique fuiſſe ſimul ex ordine Levitico ac ſacerdotali: ita ut Phariſæis fere incumberet gubernare populum, & magiſtratum gerere, ut teſtatur Joſephus 18. Antiq. c. 2. Scribis, legem interpretari, Sadducæis ab utroque excluſis, vel in inſtituta Phariſæorum tranſeuntibus, ſi magiſtratum capeſſerent,

ut

ſit ibid. Joſephus, & ideo nulla hic de Sadducæis ſit mentio, nec etiam de ſacerdotibus ac Pontificibus ſub illis nominibus, nimirum ut auctoritati parceretur. Quia vero Moyſes Chriſti perſonam, & figuram geſſit, conſequenter Auguſt. Serm. 49. de verbis Domini c. 5. per Scribas & Phariſæos vult figurari Epiſcopos illos, doctoresque Chriſtianos, qui ſua quærunt, quique dicunt, & non faciunt, nempe quia Moyſis, hoc eſt, Chriſti, auctoritatem & locum tenent.

3. *Omnia ergo quæcumque* (quibus univerſalibus ſignis abſolutiſſima ſine exceptione obedientia indicatur) *dixerint vobis*, ſive docendo, ſive jubendo. Intellige autem, quamdiu non conſtiterit eſſe aperte contraria cathedræ, in qua ſedent, ſeu doctrinæ Moyſis & Legis Dei. Sic enim & Apoſtolus jubet filios obedire parentibus per omnia, ad Coloſſ. 3. v. 20. cum tamen notum ſit, Deo magis obediendum eſſe quam hominibus, ſi contraria tradant. Et hinc eſt, quod ipſe Chriſtus hoc ipſo cap. v. 16. & ſeqq. doctrinæ quædam capita in Moſaicæ corruptelam inducta, reprobat, & cap. 16. v. 6. & 12. monet a fermento, id eſt doctrina Phariſæorum, cavendum. *Servate & facite*, id eſt, omnino facite, quia ſcilicet non eorum, ſed Dei ſunt, quæ docent: nam ut Auguſt. 4. de doctr. Chriſtiana cap. 27. Ca-

thedra

thedra non ipſorum, ſed Moyſis, cogit eos docere etiam bona non facientes. Agunt ſua in vita ſua, docere autem ſua, cathedra illos non permittit aliena. Unde lib. 16. contra Fauſtum c. 29. advertere jubet, quantus honor hic deferatur doctrinæ Moyſi, in cujus cathedra etiam mali ſedentes bona docere cogebantur. *Secundum opera vero eorum nolite facere*, id eſt, ne auctoritas, quæ vos ad obedientiam doctrinæ movit: etiam ad vitæ imitationem moveat: quod cautiſſime idcirco monet, quia, ut Aug. abundant in plebe, qui malæ vitæ defenſionem ex ipſis præpoſitis, & doctoribus quærunt, reſpondentes in corde ſuo: Quod mihi præcipis, cur ipſe non facis? Atque ita ex vitiorum eorum moribus ſibi vivendi legem fingunt. *Dicunt enim*, ſeu præcipiunt optima quæque, juxta legem Dei, & *non faciunt*: vita enim verbis diſſidet. Atque ita conſequenter fieri ſolet, ut quod verbo in animis auditorum ſtruunt, vita deſtruant. Ut enim quis obedienter audiatur quantacunque granditate dictionis, majus habet pondus vita dicentis, inquit Auguſt. loco de doctrina Chriſtiana citato. Unde idem præclare monet auditores talium doctorum; tract. 46. in Joan. Botrum inter ſpinas caute lege, ne, dum quæris fructum (audiendo ſcil. malos doctores)

la-

laceres manum, & cum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem.

4. *Alligant enim* (metaphora a jumentis sumpta, quibus imponi & alligari solent farcinæ) *onera gravia & importabilia*, Græce (*dysbastakta*) *portatu difficilia*, nempe traditiones, tum seniorum, tum proprias, tum ipsius quoque præcepta divinæ legis. Datur enim ratio istius sententiæ generalis, *Dicunt, & non faciunt.* Hæc ergo omnia dicuntur *onera gravia*, &c. tum multitudine, tum gravitate, tum interpretationis duritia, tum accuratissimæ observationis rigore, quem postulabant. Quod verbo *alligandi* significatur: sicut fastus imperandi, & leges cudendi, per id, quod sequitur, *Et imponunt in humeros hominum*, ut ea ferant. Ipsi autem cum exemplo deberent præcedere gregem, *digito suo*, qui opponitur humeris, *nolunt ea movere*, id est, ne minimum quidem observandi conatum adhibere, ut saltem exemplo suo ea reddant leviora. Duplex igitur notatur hic perversitas, ut Chrysost. notat, quod sine venia exquisitissime vellent vivere multitudinem, & quod nimium sibi ipsis indulgendo, magnam assumerent licentiam: cum bonus Princeps in se sævus, in alios benignus esse debeat.

5. *Omnia vero opera sua*, si quæ faciunt, quæ speciem boni præ se ferant, *faciunt, ut videantur ab hominibus*, id est, ut glo-

riam hominum aucupentur, ſicut late & ſigillatim declaratum eſt cap. 6. Præcedenti ergo verſu taxabatur eorum aperta improbitas, hic vero ſimulata probitas, oſtentatione & vanitate plena. Hanc ergo per partes explicat.

Dilatant enim Phylacteria ſua, id eſt, amplioribus quam cæteri utuntur phylacteriis, ut videlicet in ſe convertant oculos hominum, & eis tanto religioſiores videantur. Erant enim *Phylacteria* membranæ, ut Hieron. in quibus erant ſcripta Legis mandata, quas & Phariſæi & Scribæ ab aure ad aurem fronti alligabant & brachio. Sic enim carnaliter intelligebant mandatum illud, Deuter 6. v. 8. quo nihil aliud jubebatur, niſi ut jugiter eſſent memores mandatorum Dei. Hinc ergo dictæ ſunt illæ membranulæ Judæis (*Tephilim*) quaſi alligamenta, Græce *Phylakteria*, quaſi conſervatoria, ad conſervandam memoriam Legis Dei. *Et magnificant fimbrias*, id eſt, magnas faciunt fimbrias ſuas, ſcilicet palliorum ſuorum, ut additur Græce & Syriace, nimirum ut magis viderentur memores Legis Dei, præferentes eam veſtibus, cum vita ſpernerent. Erant enim illæ *Fimbriæ* fila quædam non texta, in extremitate veſtis dependentia, quibus inſar limbi impoſita erat vitta coloris hyacinthini; quas & Chriſtum geſſiſſe patet Lucæ 8. v. 44. qua de re

dixi-

diximus num 15. in fine. Jusserat hoc Deus, ut eis visis veluti oblivioſi pueri, divinæ Legis recordarentur. Addit Hieron. ſolitos Phariſæos in illis fimbriis accutiſſimas ligare ſpinas, ut interdum pungerentur, & hac quaſi admonitione ad officium revocarentur.

6. *Amant autem primos recubitus in cœnis*, id eſt affectant locum honoratiorem in ſolemnibus conviviis: quæ antiquis magis eſſe ſolebant cœnæ, quam prandia, ut liberius poſſent ſine curarum interpellatione protrahi. Unde illud Apoſt. 1. ad Theſſal. 5. v. 7.... *Qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt.... Et primas cathedras in ſynagogis*, id eſt, primos conſeſſus in publicis conventibus, audiendæ legis cauſa, ubi humilitas regnare deberet: *Et ſalutationes in foro.* Submiſſionis iſtud genus eſt, quod per modum officii quotidiani præſtari etiamnum quibusdam in locis ſolet magnatibus, quos clientes ita colunt, vel domi eos viſitando, vel foris ſalutando. *Et vocari ab hominibus Rabbi.* Nomen eſt, quod dignitate, & inprimis eruditione præſtantibus apud Judæos tribuitur, quaſi dic. *Domine mi*, vel *Magiſter mi.* In his autem omnibus taxat non tam factum quam affectum eorum, quod ſcilicet amarent, id eſt, affectarent, & ſtudioſe appeterent hujusmodi vanitatis lenocinia. Nam talibus præcellentiæ no-

minibus vel signis, sæpe nos affici decet, amare & affectare non decet.

8. *Vos autem*, discipuli mei, quos a Pharisæorum vitiis alienos esse decet, *nolite vocari Rabbi*, id est, ne ametis vocari, sive ne affectetis hujusmodi glorioſæ appellationis titulos, placendo vobis in illis, sed potius, quantum in vobis est, declinate: hoc prohibens in discipulis, quod in Pharisæis reprehenderat: actio enim aliena non prohibetur, sed propria. *Unus*, seu unicus, *est enim Magister*, seu doctor, *vester*: qui scilicet vos omnes docet, & a quo habetis quidquid magisterii in alios exercetis. Unde tacite eodem modo fastum magisterii reprimit, quo Apostolus 1. ad Corinth. 4. *Quid habes* (in magisterio) *quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Græce additur, hic *Christus* sicut & Latine infra versu 10. Explicat autem nomine *Magistri*, quod supra dixerat *Rabbi*, unde Syrus eadem voce utitur. Hac ergo consideratione reprimit fastum gloriandi in illo titulo, eo quod ille soli Christo tanquam Deo vere, absolute & perfecte competat, a quo nos accepimus, quidquid habemus. Ipse est enim prima veritas, fons omnis veritatis & scientiæ, omniscius, apud quem omnis docendi auctoritas residet, & a quo in omnes defluit, qui solus vere docet hominem

scien-

ſcientiam, ſive naturale lumen cordibus ingerendo, ſive tenebras iſtius luminis ſua luce illuſtrando. Cæteri auribus vel oculis nuda ſigna ſuggerunt, quæ admonent tantum, ut naturali lumine quæramus veritatem, non autem exhibent, ut eam noverimus. Nam veritas ſeu ſcientia veritatis aliunde haurienda eſt, ut ſubtiliter, fuſe, & pulchre docet Auguſt. tum alibi ſæpe, tum libro fere toto de Magiſtro, maxime a C. 10. uſque ad finem. *Omnes autem vos fratres eſtis:* ſicut in natura, ita & in doctrina, unius Chriſti magiſterio accepta, quaſi condiſcipuli; eſt enim o poſitum ſuperiori membro. Unde concluſum vult, neminem gloriari, aut ſibi placere debere in titulis *Magiſtri* aut *Rabbi*; multo minus aliis ſe inde ſuperbe præferre, ſed omnem gloriam Deo & Chriſto tranſcribendam, cujus omnes diſcipuli ac miniſtri ſunt. Ex quo patet, hæc non obſtare, quo minus ſub magiſterio, & ut Hieron. loquitur, ſub conſortio hujus veri magiſtri, aliquis ad utilitatem aliorum, & ſit & vocetur *Magiſter*, ſicut & *Pater*, prout Apoſtolus ſe *Patrem Corinthiorum & Magiſtrum Gentium* vocat. Et quia *Fratrum* nomine uſus fuerat, arrepta occaſione tranſit ad titulum *Patris*.

9. *Et Patrem nolite vobis vocare ſuper terram*: quaſi dicer: Quin etiam ne quidem *Patrem* vocet aliquis quemquam ex

mortalibus in terra degentibus, nempe ſic, ut illi vitam & eſſe ſuum præcipue acceptum referat, atque ab ejus providentia maxime pendeat, & hæreditatem expectet, ſicut gentiles *Patres* vocant. Hoc enim vult ſubjuncta ratio: *Unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt*, ſcilicet Deus; omnium quidem ratione creationis, Chriſtianorum vero ratione regenerationis, cui univerſa vita, corpus, anima, ſenſus, ratio, mens, victus, ſanctificatio, adoptio, hæreditas accepta ferenda eſt; ita ut ab eo omnis paternitas in cœlo & in terra nominetur. Cum ergo impium ſit, Patris honore privare eum, qui nos genuit, hoc tantum doceri cupit, ut noverimus, inquit Chryſoſt. Hom. 37. quem proprie & principaliter Patrem vocare oporteat. Nam, ut notat Hieron. quemadmodum unus per naturam Deus, & unus filius non præjudicat, ne per adoptionem Dii vocentur & filii: ita & unus Pater & magiſter non præjudicat aliis, ne abuſive appellentur Patres & Magiſtri. Porro ſicut non vult, ut eo ſenſu, quem diximus, aliquem vocemus Patrem, ita nec, ut ipſi nos vocemus; quemadmodum ſupra vetando, ne vocemur Magiſtri, vetat etiam ne alios eo ſenſu vocemus. Et quia illa præcellentiæ affectatio veris diſcipulis Chriſti maxime perniciosa eſt, eamdem doctrinam iis-

dem

dem verbis repetit, ut altiſſime memoriæ imprimatur.

10. *Nec vocemini Magiſtri:* ubi ſimul explicat, quid ſibi ſupra voluerit illud, *Rabbi.* Et quia ſcopus iſtius ſaluberrimæ doctrinæ eſt humilitas, hinc addit:

11. *Qui maior eſt veſtrum*, id eſt, Qui ex vobis Magiſtri vel Patris, ſeu docendi regendive officio aut dignitate præcelluerit, non ſe exiſtimet cæteris præſtantiorem: ſed potius ille, *erit miniſter veſter:* Futurum pro Imperativo, id eſt, ille ſit miniſter, ſeu gerat ſe pro miniſtro: quaſi dicer: Nihil inde in ſe agnoſcat, aut vindicet, præter humilis miniſterii obligationem & ſedulitatem, gloriam omnem adſcribens Deo, quia vir bonus non dominandi cupiditate imperat, ſed officio conſulendi. Atque ita ut Auguſt. ait lib. 19. de Civit. cap. 16. magis debent patres, quod dominantur, quam ſervi, quod ſerviunt, tolerare, id eſt, tamquam durum quid ſuſtinere.

12. *Qui autem ſe exaltaverit*, in hujusmodi dignitatum ac titulorum ambitu & jactantia, ſibi in iis complacendo, ſibi aliquid trubuendo, inde aliis ſuperbe ſe præferendo, *Humiliabitur*, a Deo deprimetur. *Et qui ſe humiliaverit*, id eſt, demiſſe de ſe ſenſerit ac ſe geſſerit, nihil adſcribens ſibi ex donis Dei, non inde ſe aliis præferens, ſed in fontem ſuum refundens omnia, *Exaltabitur*, a

Deo, ſive per ipſum in futura gloria, ſive per homines in hac vita. Nam & hic veriſſimum eſſe ſolet, quod honor ſequatur fugientem, fugiat ſequentem, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Sententia autem iſta generalis eſt, ſæpius a Chriſto in diverſis propoſitis uſurpata, ut liqueat vel fuiſſe tritum tunc proverbium, vel apophthegma ipſi proprium. Ex quo etiam patet ſcopus totius doctrinæ ſuperioris, nempe Chriſtum non de vocabulis, *Magiſtri*, *Rabbi*, *Patris*, ſed re ipſa & faſtus affectatione contendiſſe *Væ autem vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ*. Hic jam orationem in Scribas ipſos & Phariſæos convertit, mira ſpiritus, verborumque libertate & acrimonia, octies ingeminans *Væ*, hoc eſt, minas impendentis a Deo ſupplicii, ſicut alibi octo beatitudines inculcaverat. In faciem autem, nihil veritus jamjam impendentem ab eis mortem, exprobrat eis ſcelera ſua, & præcipue hypocriſin, id eſt, ſimulationem ſanctitatis & religionis: per frequentem illius vocis repetitionem indicans fictum ac ſimulatum fuiſſe, quidquid in negotio religionis gererent. Id autem facit præſentibus turbis, ut ita, ſi non ipſi Phariſæi pudore vel terrore corrigerentur, ſaltem alii, detracta ſimulatæ ſanctitatis larva, ab eorum admiratione & imitatione revocarentur. *Clauditis regnum cælorum*, id eſt,

eſt, impedimentum præſtatis, ne introëant homines in regnum cœlorum, nempe non ſolum gravia illa onera, de quibus ſupra, hominibus imponendo, quæ ipſi digito non tangitis, ſed maxime eos a fide in Chriſtum avocando, doctrinam ejus damnando, miracula calumniando, ipſum ut ſeductorem perſequendo. Utitur autem metaphora ab eo, qui clavem auferendo, oſtium claudit, ne quis introëat, & idcirco dicit, *Ante homines*: quaſi dicer. Jam parantibus ingreſſum occluditis oſtium ante faciem. Lucas vero idem ſignificans dixit, *Tuliſtis clavem ſcientiæ*, id eſt, abſtuliſtis, & vobis ipſam vindicaſtis, & per illam ipſam modis jam dictis clauditis. *Vos enim non intratis*, quia onera quæ imponitis, digito non tangitis, & in eum, qui Evangelium prædicando diſſipat ea, non vultis credere. *Nec introeuntes*, id eſt, paratos credere in me, & pedem quaſi habentes in limine, *Sinitis intrare*, doctrina veſtra, exemplo, conſilio, juſſu, calumniis, terroribus eos a fide revocando.

14. *Væ vobis Scribæ & phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum*, id eſt, exhauritis ac devoratis facultates viduarum; quia hæ mulieres etiam minus cautæ, & magis ad pietatem pronæ eſſe ſolent, & quia viro deſtitutæ, conſiliario carent, & bonorum ſuorum dominæ

sunt. Unde circa viduas semper hypocritæ negotiari solent, & felicius aucupantur, *Orationes longas orantes*: Græce (*propheisei makra proseuchomenoi*,) *sub obtentu prolixæ orationis*, sicut vertitur Marci 12. versu 40. id est, sub specie longæ orationis, seu obtendentes tam crudeli avaritiæ adversus imbecillem sexum prolixas orationes, quibus earum salutem commendetis Deo. Obtentus enim iste veritati opponitur, & significat eos magis orationes simulasse, quam orasse, utpote qui non viduarum salutem, sed prædam captarent, cor non in cœlo habentes, sed in loculis. *Propter hoc*, id est, duplicem istam iniquitatem, scilicet propter immisericordiam in destitutas patrono mulierculas, & hypocrisin, *Amplius accipietis judicium*, id est graviorem condemnationem.

15. *Væ vobis Scribæ & pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare, & aridam*, id est, percurritis mare ac terram. Adagialis est locutio, quam Latine exprimunt, Omnem movetis lapidem, & adhibetis diligentiam, *Ut faciatis unum proselytum*, id est, ut unum advenam ad Judaicam religionem adducatis. *Proselytus* enim Latine advena dicitur, qui scilicet a Gentilismo ad Judaismum transfertur, quasi diceres adventitium religionis, qui opponitur Judæo nato. Etiam hac de causa vocantur *Hipocritæ*,

eo

eo quod ista sollicitudine, quæ in se bona erat, hoc spectarent, ut vel sanctiores inde viderentur, vel, ut Autor operis imperfecti, ut lucra sua e sacrificiis augerentur. *Et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos*, id est, multo magis obnoxium æternæ condemnationi, quam vos estis, quia facitis eum longe sceleratiorem, nempe partim doctrina traditionum, quibus corrumpitis legem, partim & maxime exemplo vestro, idque sive quia offensus redit ad vomitum, id est, idololatriam, sive ut Chrysost. quia comparatum est, ut probos magistros vix imitemur, improbos etiam improbitate superemus. Quamquam August. contra Faustum ideo *duplo* dictum putat, quia hoc implere negligebat, quod propria voluntate susceperat.

16. *Væ vobis duces cæci*, id est, qui duces doctoresque aliorum vos profitemini, & tamen ignorantia pleni estis. Paulo ante hypocrisin, hic vero ignorantiam eorum supinam perstringit in eo, quod dicerent *Quicumque juraverit per templum, & in altari*, id est, per altare, *nihil est*, id est, non debet, ut patet ex oppositio, quod sequitur, hoc est, non tenetur hoc jurejurando, nec reus est perjurii. *Qui autem juraverit in auro templi*, id est, per aurum, sive pecuniam,

quæ

quæ in templo offertur, & cui gazophylacia ſerviebant.

17. *Et quicumque juraverit in dono*, ſeu per donum *quod eſt ſuper illud*, videlicet per victimam ovis, bovis, ſimilæ, &c. Hoc juramenti genus Judæis, eisque ſolis erat familiare, dicebaturque *juramentum Corban*, id eſt, *donum* ſeu *doni*, ut teſtis eſt Joſephus libro primo contra Appionem, paulo poſt medium, his verbis: Inter peregrina ſacramenta, etiam juramentum, quod *Corban* appellatur, enumerat Theophraſtus. Apud nullos autem hoc reperitur juramentum, niſi apud ſolos Judæos, quod interpretatur ex Hebraica lingua *Donum Dei*. Hæc ille. *Debet*, perſolvere, quod juravit, ſeu tenetur jurejurando. Itaque Phariſæi, quamvis contempſiſſe videantur juramenta per creaturas, tamquam in quibus non interponeretur nomen Dei, ut diximus etiam cap. 5. v. 34. excipiebant tamen juramenta per aurum templi ac ſacrificia, tamquam nihil eſſet illis poſt Deum majus, aut ſanctius, utpote quæ immediate referrentur ad Deum, propter quæ templum & altare ſuiſſent condita. Nimirum ut ita populus, intelligens ſingularum oblationum ſanctitatem, promptior fieret ad illa frequentanda, quorum pars maxima in ſacerdotum lucrum cederet. Ita avaritia cæcitatis iſtius

ſtius & ſtultitiæ inde ſecutæ cauſa fuit. Hinc Chriſtus:

18. *Stulti & Cæci, quid enim majus*, id eſt, ſanctius atque dignius, *eſt, aurum an templum, quod ſanctificat aurum?* id eſt, a quo ſanctitas aliqua communicatur auro? *Nam* ante oblationem templo factam profanum eſt: templum vero non propter aurum, ſed propter Deum, domui ſuæ inhabitantem, ſanctum eſt. Idem judicium de hoſtia & altari. Hoc enim per ſe ex inſtitutione ſua Deo dedicatum eſt: hoſtia vero antequam altari imponatur, profana eſt, atque ipſa impoſitione fit ſacra. Itaque deſtruit Chriſtus præſuppoſitam eorum opinionem, qua putabant oblationes templo & altari eſſe ſanctiores unde error iſte de juramento fluxerat, argumentans ex illo principio: Propter quod unumquodque eſt tale, illud majus: atque ita iſtud, *enim*, rationem redit, cur cœcos appellaverit. Ex his ergo infert jam Chriſtus concluſionem Phariſaicæ doctrinæ contrariam.

20. *Qui ergo jurat in altari*, id eſt, per altare; Hebraiſmo, quo utuntur præpoſitione, *in*, cum verbis jurandi, ut patet Hebraice Iſaiæ 65. 16. Geneſ. 20. v. 16. & alibi ſæpiſſime. *Jurat in eo*, quatenus majus eſt victimis impoſitis, quæ ratio verſu 19. indicabatur. *Et in omnibus*, ſacrificiis ac donis, *quæ ſuper illud ſunt*, quæ vos majora eſſe dicitis: ac proin-

proinde omni modo tale juramentum vel æque vel magis obligat.

21. *Et quicumque juraverit in templo*, seu per templum *jurat in illo*, id est, non tantum jurat per illud, sed etiam *in eo, qui habitat in ipso*, id est, per Deum ipsum, cujus domus est templum. Domus enim cum inhabitatore suo, cujus majestas ibi relucet, qui in eo invocatur & colitur, qui effectu exaudiendi præsens est, simul consideratur, etsi non exprimatur.

22. *Et qui jurat in cœlo*, id est, quemadmodum etiam qui jurat per cœlum (adfertur enim hoc ad explicandum id, quod dixerat, quod scilicet juramentum per templum esset per Deum ipsum inhabitantem) *Jurat in throno Dei*, id est, per cœlum tamquam thronum gloriæ Dei; & *in eo*, Deo scilicet *qui sedet super eum*, vide dicta c. 5. v. 34. Hoc ergo docet, quod, cum jurare non sit aliud, nisi Deum testem invocare, creaturæ vero mutæ non possint esse testes veritatis, quicunque jurat per quamcumque creaturam juret, hoc ipso etiam per eam tamquam divinam, id est, tamquam ad Deum relatam, veluti creatorem ejus, vel præsidem, vel gubernatorem jurat, ac proinde Deum ipsum testem citat.

23. *Væ vobis Scribæ & pharisæi Hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum,*

&

& cimmum, id eſt, ſtudioſe decimas exigitis, inquit Hieron. viliſſimorum olerum, ut avaritiæ veſtræ conſulatis. Sed rectius Auctor operis imperfecti, exponit *decimas*, id eſt, decimas ſcrupuloſe offertis omnium. Hinc enim eſt iſta gloriatio Phariſæi, apud Lucam: *Decimas do omnium*, ſcilicet etiam viliſſimorum, quæ poſſideo, ubi Græce eſt idem verbum quod hic. Et hinc eſt quod eos vocat hic Hypocritas, videlicet quia minutias illas obſervabant, ut minimo diſpendio exactiſſimi viderentur legis obſervatores, cum tamen negligerent, & relinquerent, *Quæ graviora ſunt legis*, id eſt, quæ lex præcipue poſtulat, tanquam ipſum animum, internamque Dei ac proximi dilectionem ſpectantia, ſine quibus pietas conſiſtere non poteſt, & quorum comparatione omnes externæ obſervantiæ, de ſacrificiis, de decimis, de cæremoniis leviora ſunt, & velut media reſpectu finis, de quo ſupra c. 12. v. 7. & Micheæ 6. v. 8.... *Judicium*, id eſt, juſtitiam, qua cuique ſuum redditur: *& miſericordiam*, qua ex benignitate proximo ſuccurrimus conſilio, opera, operibus, etſi non debeatur ex juſtitia. Itaque duo illa complectuntur univerſa officia erga proximum, quibus eum diligimus, ſicut nos ipſos. *Et fidem*, in Deum, qua tamquam radice indicatur etiam ſpes & charitas: ſeu intelligitur fides in Deum,

Deum, quæ per dilectionem operatur, & proinde id, quod respondet illi maximo præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. *Hæc*, scil. graviora legis, quæ spectant duo illa maxima præcepta, in quibus universa Lex pendet & Prophetæ, *oportuit facere*, scil. summa cura præ ceteris omnibus; & *illa*, de decimis menthæ, anethi, &c. *non omittere*. Ex quo quidam inferunt, illas viliſſimorum olerum decimas vere fuiſſe debitas Levitis, quia dicitur, *oportuit*. Sed facile responderi potest, vel illud, *oportuit*, poni pro, conveniebat: vel Christum loqui juxta mentem Phariſæorum, scilicet si putarent ea ex lege deberi. Quamvis autem superficies Legis ea non videatur excludere, dum dicit Levit. *Omnes decimæ terræ*, sive de frugibus, Hebr. (*de semine*) *Domini sunt*: videtur tamen rigor ille non fuiſſe intentus a Legislatore. Et idcirco quando illa eadem generalis sententia, quæ habetur Deut. 14. v. 22. mox ibidem per partes explicatur, solum exprimuntur decimæ frumenti, vini & olei, quæ alibi dicuntur communiter decimæ de area ac torculari. Unde S. Hilar. dicit citra culpam præterire licuiſſe. Itaque Christus vehementius taxans præpostéram eorum diligentiam, addit:

24. *Duces cæci, excolantes*, seu qui excolatis, *culicem*, e potu vestro, ne strangulet

gulet bibentes, *camelum autem glutientes*, id eſt, ſecure ſine periculi metu transmittitis. Adagialis eſt ſententia, in cujus poſteriori parte hyperbole eſt. ſed non abhorrens ab uſu loquendi Hebræorum, apud quos *Culex* & *Camelus*, animal ipſis notum, pro minimæ & maximæ rei ſymbolis uſurpabantur: quaſi dic. Nonne cœci eſtis, qui tam anxie & ſuperſtitioſe ſervatis minima, cum graviſſima Legis capita ſine ullo conſcientiæ remorſu prætereatis; inſtar eorum, qui ſcrupuloſe culicem excolarent ex potu, & integra animalia majora deglutirent? Unde Auguſt. lib. 1. Quæſt. Evang. quæſt. 56. refert hoc ad factum eorum, quo latronem ſeditioſum dimiſerunt, quia ſcil. non ſolverat ſabbatum, & Chriſtum occiderunt; qui allegorice ſignificati fuerunt per culicem & camelum.

25. *Væ vobis*, &c. *quia mundatis, quod deforis eſt*, ſeu exteriorem ſuperficiem *calicis*, id eſt, vaſis, ex quo ſumitur potus & *paropſidis*, ſeu lancis, ex qua cibus. Per quæ ſignificat, quod exteriori munditiei corporis, & ſanctitati coram hominibus ſtuderent. Nam ut intelligerent ſermonem eſſe parabolicum, ſtatim tranſit ad proprium. *Intus autem*, id eſt, in anima & conſcientia, *pleni eſtis rapina*, id eſt, injuſtitiis, pauperum ſcilicet & viduarum oppreſſionibus, & *immunditia*, peccatorum. Quamquam

Græce perſiſtatur in eadem metaphora, ſcil. *Pleni ſunt*, calix & paropſis, *rapina & iniuſtitia*; ſignificando id, quod bibebant, & comedebant, per rapinas & injuſtitiam eſſe partum. Et ſic perpetua eſſet allegoria, ſignificans eos in animo plenos eſſe fraudibus & injuſtitia, exterius innocentes & ſanctos.

26. *Phariſæe cæce*, qui non intelligis, quæ ſit vera mundities coram Deo, *munda prius, quod intus eſt calicis*, id eſt, ea quæ continentur calice & paropſide, ſeu ipſum potum ac cibum, ne fraude & injuſtitia parti ſint: *ut fiat, quod deforis eſt, mundum*, id eſt, ut poſtea ordine ſuo mundes ipſum calicem ac paropſidem, quibus illi ſumuntur. Quo allegorico ſermone indicat ſtudendum eſſe ante omnia munditiei animæ & conſcientiæ; tum deinde etiam per ſe corpus & actiones omnes externas futuras mundas. Nam, ut Auguſt. in quodam Sermone, animi munditiam ſequitur corporis munditia. Non enim poteſt eſſe mundus animus in corpore immundo: nam qui mundus eſt animo, operari corpore flagitia non poteſt. Itaque ſicut animus naturaliter ſecum rapit corpus, ita animi integritas mater eſt omnis ſanctitatis corporis, & honeſtatis coram hominibus. Qua in re quia enormiter hallucinabantur Phariſæi, pleni hypocriſi,

criſi, pergit in eodem propoſito, alia ſimilitudine illam exprobrando.

27. *Væ vobis*, &c. *quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis*, id eſt, calce aut gypſo illitis. Judæorum enim ſepulchra pleraque erant ſuper terram, e ſaxis exciſa, in tar cubiculorum: *Quæ a foris parent hominibus ſpecioſa*, quia foriuſecus opere humano ſplendebant calce lita, & marmore veſtita, auro coloribusque diſtincta, quibus nihil proinde ad ſpeciem venuſtius; *Intus vero plena ſunt omni ſpurcitia*, abominanda ſcilicet immunditia cadaverum & vermium.

28. *Sic & vos a foris quidem paretis*, ſeu apparetis, *hominibus juſti*, phylacteriorum dilatatione, fimbriarum amplitudine, precum prolixitate, zelo faciendi proſelitos, anxia illa decimandi cura, externa iterataque ſæpius corporis lotione, cæteraque externa morum gravitate: *Intus autem*, in animis veſtris, *pleni eſtis hypocriſi*; quia cum hæc per ſe mala non ſint, ſed potius bona, ſtudio tantummodo ſimulandæ ſanctitatis ea facitis, ut videamini ſcilicet ab hominibus, ut eſt verſu quinto; *& iniquitate*, leges illas, quarum obſervatione gloriamini, prævaricando.

29. *Væ vobis*, &c. *qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum*, id eſt, ædificatis & ornatis ſepulchra Prophetarum, aliorumque juſtorum, a

patribus veſtris innocenter occiſorum (non enim aliquid diſtinctum vult dicere de Prophetis, quod non de juſtis, neque contra) nempe magnificis ſtructuris, picturis, ſculpturiſque monumenta eorum illuſtrando: ut ſcilicet per hoc teſtemini vulgo imperito vos occiſorum virtutes animo colere, ſcelera majorum occidentium deteſtari, eisque longe vos eſſe ſanctiores. Hoc enim eos iſto facto voluiſſe probat id, quod ſequitur.

30. *Et dicitis*: *Si fuiſſemus in diebus*, ſeu ætate, *patrum noſtrorum*, qui illos occiderunt, *non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum*, effundendo ſcilicet, id eſt, non conſpiraſſemus cum eis in eorum innocentium necem.

31. *Itaque teſtimonio eſtis*, per iſtam gloriationem, qua patribus vos jactatis eſſe diſſimiles: *quia*, ſeu quod, *filii eſtis eorum*, & proinde quod ſitis potius ſimiles. Lucas cap. 11. v. 48, addit, *Teſtificamini, quod conſentitis operibus patrum veſtrorum*. Cauſam addit: *quoniam ipſi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum ſepulchra*: quaſi dicer. vos jactatis, vos improbare patrum veſtrorum ſcelera: ego dico, vos potius approbare, quia tanta eſt veſtra in me diſcipulosque meos impietas, ut videamini repelle, quos patres veſtri occiderunt, ut plenum fiat homicidium: nempe quaſi latronum filii, qui non humanitate, ſed alio homicidii genere ter-

ræ ſuffodiunt, quos patres jugularunt. Videtur enim Chriſtus factum de ſe indifferens, ſpectata in eis morum perverſitate, in ſiniſtrum ſenſum trahere. Unde alii ſic accipiunt, quaſi Chriſtus ſignificare vellet: Patres veſtri occiderunt, vos autem ædificando occiſorum ſepulchra, quaſi trophæum victoriæ parentum erigere videmini; nempe ſi non animi veſtri ſcopus, ſed mores ſpectentur. Hinc addit:

32. *Et vos*, id eſt, Itaque vos, quemadmodum filios decet & filii ſolent, *Implete menſuram patrum veſtrorum*, id eſt, abſolvite menſuram illam impietatis, ac ſcelerum, a patribus veſtris inchoatam, quæ toti genti veſtræ ita præſtituta eſt, ut ea impleta excidenda ſit. Deus enim non ſinit impietatem, ac ſcelera in immenſum creſcere, ſed ſingulis non tantum hominibus, ſed & nationibus, certum limitem ſtatuit, quem non excedat, & quo cum pervenerit, turbinem indignationis ſuæ, vel exciſionis effundit. Ita ſatis clare colligitur ex Geneſ. 15. verſ. 16. *Nondum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum.* Hæc autem menſura Judæis fuit, ut ſinerentur uſque ad occiſionem Meſſiæ inſoleſcere, tum demum a Romanis occiderentur. Imperativus igitur hic pro Futuro prophetico more ſumitur, ut diximus in caput 13. verſ. 14. vel potius eſt acerba ironia minis

conjuncta, quasi dicer. Eja igitur pergite, absolvite patrum vestrorum cœpta, sicut filios decet, ut ira Dei in vos desæviat. Ironiam enim hanc explicat id quod adjicit sine ironia.

33. *Serpentes* propter nocendi acerbitatem cum calliditate coniunctam, *genimina viperarum*, quod alibi dixerat, *progenies viperarum*, id est, pessimorum parentum pessimi filii, homicidarum homicidæ: *quomodo fugietis, a iudicio gehennæ*, id est, quo pacto fieri potest, ut judicium Dei, quo gehennæ adjici meremini, effugiatis? inveterata enim & in naturam versa impietas difficillime exuitur. Vide dicta cap. 3. vers. 7.

34. *Ideo*, scilicet, quia genimina, seu filii estis viperarum, & ita mensuram patrum impleturi; non enim hic redditur causa missionis, quæ sequitur: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas*: illud, *ego*, emphasim habet, q. d. Ego, ad quem tamquam Deum, Deique sapientiam pertinet mittere Prophetas, *mitto*, &c. Explicat hanc energiam Lucas, quando dicit suis, non Christi verbis, *Propterea & sapientia Dei*, nempe ipse Jesus, dixit, *Mittam ad illos Prophetas*, id est, jam-jam statim a resurrectione mea mittam Prophetas, prophetiæ scilicet dono illustres, sicut probant Apocalypsis Joannis, & multæ prædictiones Pauli & Petri, & Agabi, Act. 11. vers. 72. & Act. 21.

vers.

verſ. 10.... *Et ſapientes*, id eſt, illa prædi-
tos ſapientia, de qua Luc. cap. 21. verſ.
15. cui non poterunt reſiſtere omnes ad-
verſarii; qualem fuiſſe Stephanum idem
teſtis eſt, Act. 6. verſ. 10.... *Et Scribas*,
doctos ſcilicet in regno cœlorum, hoc
eſt doctores & interpretes Scripturarum,
divinæque Legis peritiſſimos. Pro Sa-
pientibus & Scribis Lucas nude dicit A-
poſtolos, nempe, quia, ut Hilar. Can.
24. Apoſtoli totum ſimul erant, & de
futurorum revelatione Prophetæ, & de
Chriſti agnitione Sapientes, & de Legis
intelligentia Scribæ: vide alios Act. 13.
verſ. 1.... *Et ex illis*, id eſt, alios ex eis,
Occidetis, Stephanum, & Jacobum, alios
& crucifigetis, Simeonem filium Cleophæ,
ſecundum Hieroſolymorum Epiſcopum,
teſte Hegeſippo, apud Euſeb. (lib. 3. Hi-
ſtoriæ cap 16.) *& flagellabitis in ſynagogis*,
ut Paulus quinquies ſibi contigiſſe teſta-
tur, 2. ad Corinthios 11. v. 24.

35. *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis ju-
ſtus*, id eſt, ut ita juxta meritum ſce-
lerum veſtrorum redundet in caput ve-
ſtrum omnis ſanguis juſtorum, qui in-
juſte *effuſus eſt a ſanguine Abel juſti*, qui
primus propter juſtitiam celebris & ne-
catus fuit: *Usque ad ſanguinem Zachariæ
filii Barachiæ*. Quis ille ſit magna con-
tentio eſt. Plerique Græci, ut Baſil. in
ſerm. de nativitate Chriſti, Orig. hom.
16. in Matth. & alii, itemque Baronius

putant esse Zachariam patrem Joannis Baptistæ, quem ex traditione quadam dicunt ab Herode occisum inter templum & altare, eo quod cum pueros occideret, filium non prodidisset, vel ut alii, quod B. Mariam Virginem prædicarit. Favet huic sententiæ, quod Christus primum & ultimatum justum ab Judæis occisum exprimere voluisse videatur. Sed hanc traditionem ex apocryphorum somniis manasse dicit hic Hieron. Nonnulli & olim, & nunc volunt esse Zachariam, unum ex minoribus Prophetis, qui filius Barachiæ dicitur, Zachar. 1. v. 1. Sed minus verisimiliter, cum nihil de occisione ejus, multo minus de loco occisionis constet. Communior sententia est a S. Hieron. asserta, esse Zachariam filium Jojadæ, summi pontificis, quem constat occisum a Rege Joas *in atrio domus Domini*, ut est 2. Paralip. 24. v. 21. hoc est, ut hic dicitur, *inter templum & altare*, scilicet holocaustorum, quod in atrio ante templum sub dio stabat. Filius Barachiæ dicitur, vel quod Jojada Pontifex binominis fuerit, ut in Scripturis frequens est; vel quod tamquam vir sanctus *Barachias*, id est, *Benedictus Domini* dicatur: unde Hieron. testatur in Evangelio Hebraico, quo Nazareni utebantur, filium Jojadæ vocari. Exprimitur ergo Abel & Zacharias, non quod iste ultimus a Judæis occisus fuerit,

rit, ſed quia ultimus, de quo ex Scripturis canonicis conſtet; & quia, cum de vindicta ſanguinis innocenter fuſi Chriſtus agat, illam Scriptura diſertis verbis in Abel & Zacharia annotat, Geneſ. 3. *Ecce vox ſanguinis, &c.* & 2. Paralip. 24. *Videat Dominus & requirat.* Porro obſervatione digna eſt hiſtoria mirum in modum affinis huic loco, quam narrat Joſephus lib. 5. de bello Jud. cap. 1. ubi ſcribit Zachariam quemdam virum probum, filium Baruch (idem hoc, quod Barachias) fuiſſe paulo ante noviſſimam obſidionem Jeroſolymitanam a Judæis zelotis in templo, id eſt, in atrio occiſum, cum a ſeptuaginta judicibus unanimiter fuiſſet abſolutus. Ex quo factum, ut quidam ſuſpicatus fuerit Chriſtum prophetice id, quod futurum erat, veluti præteritum narraſſe. Sed quidquid ſit de hac hiſtoria, in omni ſententia tres naſcuntur difficultates: Prima, quomodo dicat Chriſtus, *occidiſtis*, cum præſentes Phariſæi nullum Zachariam ex iſtis occidiſſe videantur. Secunda, quomodo de Judæis iſtis vindicta capiatur cædis juſtorum præcedentium. Tertia, qua juſtitia omnis ſanguis, etiam a majoribus effuſus, ſuper iſtos veniat. Ad primam dicitur, totam nationem, ut unum populum conſiderari, in quo facta majorum tribuuntur filiis, & contra. Sic enim Abrahæ promiſſa,

ac data est terra Chanaam, sed in posteris ejus; & populo Judaico tempore Judith viventi tribuitur habitatio in Mesopotamia, descensus in Ægyptum, transitus per mare, ac desertum, quæ in majoribus contigerant. Ex hoc oritur solutio etiam secundæ quæstionis: nam ratione unitatis istius, qua unus est populus, & in quo posteri sunt aliquid majorum & majores aliquid posterorum, fit, ut facta majorum filiis imputentur: imo in illis quoque, non solum a Deo, sed & ab hominibus compensentur, sive in bonum, sive in malum. Et hinc est, quod Amalecitæ exciduntur propter facta parentum a quadringentis annis perpetrata, 1. Reg. 15. v. 2. & 3. tunc enim scelus patrum punitur in filiis qui aliquid eorum sunt. Hoc autem non semper, sed tunc solet fieri, quando filii peccata majorum imitantur, ut Augustin. libr. contra Adimantum cap. 7. & ita complent mensuram ab illis inchoatam: tunc enim excidium a perversa natione promeritum in illam quidem cadit, sed in postremis istius nationis exercetur & sentitur, quod justum est, ut sicuti mensuram peccatorum parentum, ita etiam pœnarum impleant. Sic igitur, qua justitia hoc fiat, quæ erat tertia quæstio, facile apparebit, si consideres vindictam illam esse quidem peccatorum, quæ parentes perpetrarunt,

quia

quia ſine illis præcedentibus non fuiſſet illata, multo minus tam acerba, ſed tamen eam non excedere magnitudinem ſceleris a ſolis filiis perpetrati, ſicut hoc de atrociſſimis Judæorum facinoribus, Chriſtum & Apoſtolos occidentium, & Eccleſiam perſequentium, evidens eſt. Vide dicta Exodi 20. verſ. 5.

37. *Jeruſalem, Jeruſalem.* Amantis & ex intimis viſceribus commiſerantis eſt iſta ingeminatio. *Quoties volui congregare filios tuos*, id eſt, quoties volui per Prophetas, aliosque ſervos meos, ac denique per me ipſum conatus ſum cives tuos in varia ſtudia diſtractos prædicatione, præceptis, promiſſis, minis ad me convertere, ſinu gratiæ meæ fovendos, & alis providentiæ protegendos, *Quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis:* ut partim calore foveat, quo roborentur & creſcant, partim adverſus milvum protegat, ne rapiantur: quod, ut illa affectu, ita Chriſtus poteſtate erga parvulos ſuos perficit, ut notat Auguſtin. qu. 36. lib. 1. Quæſt. Evang. Optime autem ſe comparat gallinæ: nam, ut ibidem & Tract. 15. in Joan. notat, hoc genus animantis magnum affectum in filios habet, ita ut eorum infirmitate affecta, & ipſa infirmetur, alis demiſſis, plumis hiſpida, voce rauca, omnibus membris demiſſa & abjecta, ut, etſi filios non videas, matrem tamen intelligas: ita

æterna

æterna Sapientia mater noſtra per carnis ſuſceptionem, affectiones & labores infirmata eſt, ut pullis ſuis congrueret: *Et noluiſti*, filios tuos congregari, id eſt, non permiſiſti & omnibus modis impediviſti, maxime per primates tuos. Voluntatem iſtam congregandi, plerique intelligunt voluntatem ſigni per prædicationem, minas &c. nam illi voluntati reſiſti ſolet ab hominibus; non autem efficacem, quæ ſemper impletur. Quamquam etiam de illa verba Chriſti vera ſunt: nam per illam filios ſuos ſæpe Chriſtus congregare voluit, & reipſa etiam invita Jeruſalem, & nolente, & reſiſtente congregavit, quoſcumque ipſe congregatos efficaciter voluit, ut exponit Auguſt. lib. 1. operis imperfecti, contra Julianum. Sed quia ille reſiſtendi conatus pœna digniſſimus fuit, & plures ibi erant, quos obduratione & deſertione dignos judicaverat, hinc addit:

38. *Ecce*, jam in proximo, *relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Templum intelligit Hieronymus a Chriſto deſerendum: rectius intelligas ipſam civitatem, adeoque totam regionem, quam prædicit in vaſtitatem eſſe redigendam per excidium urbis & gentis juxta illud Pſal. *Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit, qui inhabitet.* Et quia cauſa illius vaſtitatis ac deſertionis fuit, quod a præſentia & protectione Chriſti,

&

& gratiæ ipſius deſerti fuerunt (quam etiam nonnulli prædictis verbis ſignificatam fuiſſe volunt) hinc addit,

39. *Dico enim vobis: Non me videbitis amodo*, id eſt, ab hoc tempore, ſeu poſt breve tempus ſubtrahetur vobis præſentia, tutela, & gratia mea, ita ut neque corporis, neque animi oculis, incredulitate & cæcitate percuſſis, me amplius videatis: *Donec dicatis*, id eſt, donec mutatis jam animis celebrem illum verſiculum de Meſſia, quem indignamini eſſe mihi acclamatum, tribuatis mihi, & me Meſſiam agnoſcatis. Indicat autem tempus, quo ſub finem mundi ad ſe Meſſiam convertendi ſunt: nam de tota natione loquens, præſentibus tribuit, quod in poſteris implebitur. *Benedictus, qui venit in nomine domini*, id eſt, omnium hominum benedictione, & laude cumuletur ille, qui jam jam venit, ſeu ventutus eſt judicare orbem terrarum in juſtitia, juſſu, & auctoritate Dei Patris ſui. Eſt enim acclamatio, qua gratiſſimum ejus adventum ſibi eſſe Judæi teſtabuntur, quem majores eorum tanta contumelia repudiaverant. Unde non poterat Chriſtus acriori epilogo præſentes Phariſæos pungere, vel honorificentiori ſe accommodare.

CAPUT XXIV.

1. ET *egreſſus Jeſus de templo*, nempe ſub veſperam poſt labores docendi & prædicandi, *ibat*, e civitate verſus montem Oliveti, ubi noctibus morari ſolebat, ut Lucas teſtis c. 21. v. penult. *Et acceſſerunt diſcipuli, ut oſtenderent ei ædificationes templi*, id eſt, ſtructuræ raram pulchritudinem, pretium, firmitatem, magnificentiam. Marc enim & Lucas hoc explicant, dum ille quidem dicit, Magiſter, *aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ:* hic vero addit, quod *bonis lapidibus, & donis ornatum eſſet*: quæ dona Græce anathemata dicuntur, quæ ſcilicet Deo dedicata e parietibus, vel columnis ſuſpendi ſolent. Erat enim Templi iſtius novi ab Herode excitati ſtructura tota ad miraculum ſtupenda, ſive artem, ſive pretium, ſive materiam, ſive ornatum ſpectes. Aperit omnia latius Joſephus lib. 6. de bello Jud. cap. 6. ubi dicit: Exterior templi facies nihil quod animus & oculi mirarentur, non habebat: cruſtis enim aureis graviſſimis undique tecta, ſub ortum primum ſolis igneo ſplendore lucebat, & intueri conantium oculos quaſi Solis radiis avertebat. De lapidibus vero dicit lib. 15.

Antiq.

Antiq. c. ult Conſtabat e lapidibus candidis, firmiſſimis, magnitudine viginti quinque cubitorum in longum, octo in altum, latitudine vero duodecim. Quibus addit libr. 6. de bello nonnullorum ſaxorum longitudinem fuiſſe quadraginta quinque cubitorum. De donis vero dicit, circa templum affixa fuiſſe ſpolia barbarica, nempe ex victoriis aliquot ſæculorum, quæ omnia Herodes denuo dedicaverat, additis etiam recentibus Arabicis. Hæc ergo omnia oſtendebant Chriſto diſcipuli, non tam curioſitate, quam commiſeratione moti, ut quia tum alias, tum paulo ante Jeroſolymis interitum minatus fuerat, ambitione & magnificentia ſtructuræ Deo dedicatæ flecteretur, ut obſervat Hilarius. Sed iram Dei peccatis provocatam nec ſaxa, nec lapides placant. Itaque reſpondet:

2. *Videtis hæc omnia?* quaſi dicer. Conſiderate etiam atque etiam magnificentiam iſtam, ut magis Dei de ea ſententiam admiremini: nam *Amen dico vobis*, id eſt. tamquam certiſſimum vobis aſſero: *Non relinquetur hic lapis ſuper lapidem*, id eſt, lapidi adhærens, *qui non deſtruatur*: Græce (*Katalythetetai*) *diſſolvatur*. Qua vulgari hyperbole quamvis tantum ſignificari videatur, ſtructuram illam univerſam penitus deſtruendam, atque æquandam ſolo, tamen etiam ad litteram divina providentia ſententiam hanc Chriſti

ſti impleri voluit. Nam cum Romani, teſte Joſepho libr. 7. de bello Judaico cap. 18. templum quidem, imo civitatem totam ſubvertiſſent, fundamenta vero terræ infoſſa remanſiſſent, ſub Juliano Apoſtata, cum ea nudaſſent Judæi, ut novum templum imponerent, terræ motus excitatus lapides veterum fundamentorum concuſſit, ac longe lateque diſturbavit, ut teſtis eſt Socrates libr. 3. Hiſtoriæ cap. 17. & Ruffinus lib. 7. c. 38.

3. *Sedente autem eo ſuper montem Olivet:* ut quieſceret nonnihil a totius diei labore. Contigit hoc ſub veſperam, dum tenderet in Bethaniam, vel, ut alii, inde rediens, ut noctem in hoc monte orando conſumeret, ut ſupra ex Luca dictum. Marcus addit ſediſſe *contra templum*, id eſt, e regione, & facie in templum verſa, unde videntur occaſionem ſumpſiſſe interrogandi. *Acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecreto.* Idem tantum quatuor nominat, Petrum, Jacobum, Joannem, Andream, & pro, *ſecreto*, dicit eos *ſeparatim*, ſcilicet a cæteris Apoſtolis (nullæ enim hic turbæ aderant) Chriſtum interrogaſſe, ut ſcilicet tamquam familiarioribus facilius ea arcana de futuro templi & urbis excidio communicaret, præſertim cum non eſſet tutum de rebus illis palam loqui; hoc enim poſtea S. Stephano crimini datum fuit, Act 6. verſ. 14. Itaque dicunt; *Dic nobis, quando*

do hæc erunt? quod ſcilicet non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, quod recentiſſime fixum eis adhærebat: *Et quod ſignum adventus tui?* glorioſi ad judicium, de quo jam alias audivimus, cap. 13. verſ. 41. cap. 16. verſ. 21.... *Et conſummationis ſæculi?* id eſt, finis mundi, de quo ibidem cap. 13. Tria igitur diverſa quærunt & jungunt ſimul, quod reipſa quoque excidium urbis illius & orbis, & ſecundum adventum Chriſti ad regendum in mundo jam innovato diſcipuli conjungendum putarent. Et illa cauſa eſt, cur Marcus & Luc. confuſe tamquam de una re dicant, *Quando iſta fient?* ſcilicet de templo prædicta, *& quod ſignum, quando hæc omnia incipient conſummari?* Sed quia idem tempus erit conſummationis ſæculi & adventus Chriſti, diverſum vero everſionis Jeruſalem: hinc tamquam ad duas quæſtiones diſtinctas, diſtincte reſpondet ſuis locis, ut infra dicturi ſumus. Quia vero diſcipuli omnia confuſe interrogaſſe videntur, juxta Marc. & Lucam, vel ſaltem confuſe intellexiſſe; hinc Chriſtus quoque in initio confuſe reſpondet, revocans eos a curioſitate futurorum, & a cogitatione regni Meſſiæ ad ſollicitudinem de ſeipſis. Præmittit enim generalia quædam monita uſque ad verſ. 15. excluſive, de iis, quæ mixtim, tam excidium urbis illius, quam totius orbis (quia unum erat ty-

pus alterius, tam quantum ad ipsum excidium quam quantum ad signa, quæ præcesserunt) præcessura sunt: neque tam ad urbis aut orbis finem, quam ad ipsos Apostolos, eorumque successores instruendos pertinent, ut a periculis sibi caveant. Itaque respondet Christus:

4. *Videte, ne quis vos seducat*, abstrahendo vos a mea fide in aliquem errorem; quasi dicer. Vos de templo & novissimis mundi rebus estis curiosi & anxij, sed ante omnia de vobis ipsis curam gerite, ne seducamini.

5. *Multi enim venient*, post discessum meum a vobis, *in nomine meo*, id est, nomen di uitatemque meam usurpantes, *dicentes*, *Ego sum Christus*, seu Messias promissus, quos ideo v. 24. *Pseudochristos* vocat; *& multos seducent*, qui mendaciis illis fidem dabunt. Cavete igitur, ne inter illos sitis: nam ut Hilar. ut fides pestifero mendacio detrahi posset, admonitio præcessit. Tales impostores fuerunt, Theodas, de quo Act. 5. v. 36. & Josephus in fine c. 2. lib. 20. Antiq. itemque Simon Magus, qui se *virtutem Dei magnam* dixit, Act 8. v. 9. & se pro Christo venditavit, ut August. hæresi 1. necnon Menander apud Tertull. de præscript. cap. 4. Similes plures præcesserunt eversionem etiam Jerosolymæ, sed multo plures consummationem sæculi. Hoc ergo primum est signum utrique

rique excidio commune. Secundum est id, quod sequitur.

6. *Audituri enim estis prælia, & opiniones prœliorum*, id est, bella varia, & rumores bellorum, qui sæpe magis turbant ac terrent homines, quam ipsa bella. Lucas addit *seditiones*, quas multas & miras narrat Josephus præcessisse eversionem Jerosolymæ per totam Judæam: vide lib. 4. de bello Judaico c. 5. & aliis pluribus locis. Itaque recte præmonet: *Videte*, seu cavete, *ne turbemini*, plus æquo, ut idcirco vel a fidei meæ retinendæ vel aliis prædicandæ constantia discedatis. Duplex ergo bellum, ut Chrysost. eis prædixit; alterum spirituale a seductoribus: alterum corporale ab hostibus & seditiosis: nempe ut ad omnia adamantini fierent, &, si fractus illaberetur orbis, impavidos ferirent ruinæ: idque eo magis, quod illa evitari non possent. Oportet enim hæc fieri, suppositis scilicet hominum corruptissimis moribus, & consequenter justissimo decreto Dei, quo illos per bella conterere & emendare solet, ut Augustinus in præfat. libr. de civitate Dei. Unde merito virum prudentem æquo & imperturbato animo esse decet, ad illa mala toleranda, quæ ita *oportet fieri*. *Sed nondum*, id est, *non statim*, ut Lucas, cum scilicet ista fient, *est finis*, nempe sive Jerusalem, sive mundi: quasi dic.

Adhuc illa graviora præceſſura ſunt, quorum iſta tantum ſunt præludia.

7. *Conſurget enim gens in gentem.* Magis explicat id, quod prælia futura dixerat ante conſummationem, tam urbis quam orbis totius. Nam ante excidium Jeroſolymæ narrat Joſephus lib. 2. de bello Jud. cap. 11. 18. 19. Judæos conſurrexiſſe in Samaritanos, Romanos, Syros: rurſum Cæſarienſes, Scythopolitas, Aſcalonitas, Ptolomenſes, Alexandrinos, Damaſcenos in Judæos, cap. 19. 20. 21. 25. totiusque Syriæ regna in gentem Judaicam. *Et erunt peſtilentiæ & fames:* Græce inverſo modo (*Limnos kai loimoi*) *fames & peſtilentia*, videlicet juxta proverbium (*Loimos meta limnin*) *Peſtis poſt famem*, & utraque belli filia eſſe ſolet. De ingenti fame ante vaſtatam Jeruſalem fit mentio Act. 11. v. 28. de qua latius Joſeph. 20. Antiquit. c. 2. & 3.... *Et terræ motus per loca*, id eſt, in diverſis locis. Teſtis eſt Euſebius in Chronico ſub Nerone tres urbes terræ motu in Aſia concidiſſe: teſtis & Joſeph. lib. 4. c. 7. de bello Jud. ubi de alio terræ motu dicit: Orta crebra fulgura, horrendaque tonitrua, concuſſæque terræ vaſti mugitus: certumque erat apud omnes, hominum exitio mundi ſtatum eſſe turbatum.

8. *Hæc autem omnia*, ſcilicet errores, ſeu ſeductiones, bella, rumores bellorum,

rum, peſtes, fames, terræ motus, quamvis per ſe graviſſima, tamen tantummodo *initia ſunt dolorum*, qui mox Jeruſalem, & poſtea totum orbem invadent: Græce expreſſius (*arche ton dinon*) *initia parturitionum*, ſeu dolorum, quibus parturientes affliguntur: hoc eſt, exigua ſunt & ſimilia primis doloribus, partus inſtantis prænuntiis, qui doloribus in ipſo partu irruentibus longe leviores, & quaſi præludia tantum ſunt.

9. *Tunc tradent vos*: Lucas, *ante hæc omnia*: quaſi dicer. Ne vero vos ipſos putetis ab omnibus malis immunes futuros, interim dum ita affliguntur improbi. Per *Apoſtolos* autem omnium fidelium perſonam ſignificari notat Hieronymus.

10. *Et tunc ſcandalizabuntur multi*, id eſt, ſcandalum patientur, deficiendo a fide mea & juſtitia, ad vitandas tribulationes iſtas, mortes, & odia. Neque hoc tantum, ſed qui jam ita ſcandalizati fuerint, falſi fratres facti, *invicem tradent*, id eſt, alii alios fideles prodent perſecutoribus, imo *& odio habebunt*: gravius enim Apoſtatarum & hæreticorum eſt odium, quam infidelium. Hoc tertium bellum eſt a falſis fratribus.

11. *Et multi Pſeudoprophetæ ſurgent*, id eſt, ut notat Chryſoſt. qui ſe Prophetas, hoc eſt, Evangelicæ veritatis doctores venditabunt: *& ſeducent*, a fide per vos

prædicata & plantata, *multos*, qui hanc crediderunt. Hic designantur omnes hæretici, qui partim ante excisam Jerusalem, ut Nicolaitæ, Hymenæus & Philetus, & alii, partim ante mundi finem exorituri erant.

12. *Et quoniam abundavit* foris, *iniquitas* scil. crudelitas persequentium, scandala deficientium, errores male docentium, hinc intus, *refrigescet charitas multorum*, qua antea erga Deum & proximum fervebant: videtur enim esse quasi epilogus eorum, quæ v. 10. & 11. præmiserat.

13. *Qui autem perseveraverit*, Græce (*ho de hipomeinas*) *qui sustinuerit*, seu *pertulerit*, scil. ista mala, persecutiones, scandala, odia, errores, *usque in finem*, ita ut nullis malis irruentibus dejiciatur, *salvus erit*. Vide dicta cap. 12. v. 22. Et quia merito suspicari poterant Apostoli tantam calamitatum abundantiam impedimento futuram Evangelio a se prædicando, & frustra futuros labores suos, præoccupat Christus:

14. *Et prædicabitur*: quasi dicer. Quantumvis tot malis mundus perturbandus, & adversus me concitandus sit, certissimum habete, quod non obstantibus omnibus, *prædicabitur* per vos & alios, *hoc Evangelium regni*, seu de regno cœlorum, omnibus patefacto atque proposito, *in universo orbe*, antequam scil. finis veniat. Nec vero nudam tantum prædicationem,

sed

ſed etiam fructum prædicationis ſecuturum per hoc inſinuat, ſcilicet Gentium converſionem ad Deum vivum. Fiet autem iſta prædicatio, *in teſtimonium omnibus gentibus*, id eſt, ut ſit illis loco teſtimonii, quo Deus teſtetur omnibus gentibus regnum cœlorum, æternamque ſalutem eſſe eis a Deo per Filium paratam, ſi amplecti velint: eſſe inexcuſabiles, ſi noluerint. *Et tunc*, ſcilicet poſtquam prædicatum & creditum fuerit in omnibus gentibus, & non ante, ac proinde non tam cito ac vos putatis, *Veniet conſummatio*, Græce (*to telos*) *finis*, ſcilicet eorum, de quo vos quæſiviſtis. Hoc autem Hieron. & alii intelligunt de conſummatione ſæculi, antequam tandem prædicatum erit Evangelium in omnibus gentibus: Hilar. vero Can. 25. etiam de conſummatione Jeroſolimæ: cui conſentit Chryſoſt. ac diſcipuli ejus. Nam Apoſtolus Paulus teſtatur ſapius ſuo jam tempore, nempe ante everſam Jeruſalem hoc eſſe factum, ad Rom. 1. verſ. 8. & c. 10. verſ. 18. & ad Coloſ. 1. verſ. 6. & 23. nimirum, quia in maxima orbis noti parte factum fuerat, quamvis perfectius ante mundi finem complendum ſit. Quia igitur nihil eorum, quæ hactenus dicta ſunt, non contigerit, juxta Scripturæ phraſes, etiam ante conſummationem Jeroſolymæ: hinc malim, ut ſupra dixi, omnia ad hunc

verſum uſque indiſtincte de utriusque conſummatione intelligere: atque ita utrorumque Patrum ſententia erit vera.

15. *Cum ergo videritis abominationem deſolationis*, &c. Poſt monita generalia delabitur Chriſtus ad primam Apoſtolorum quæſtionem de excidio Jeruſalem, eamque perducit uſque ad verſum 25. ut ſentit Auguſt. epiſt. 80. Nam quamvis Iren. lib. 5. v. 25. & Hilar. hæc omnia ad Antichriſtum referant, tamen ad occaſum Jeruſalem litterali ſenſu pertinere perſpicuum eſt ex Lucæ 21. v. 20. ut mox patebit. Sed quænam ſit iſta *abominatio deſolationis*, magna quæſtio eſt. Iren. Hilar. & alii nonnulli acceperunt ipſum Antichriſtum. Citat hanc opinionem & Hieron. qui tamen duas alias ſuggerit, ut ſit vel ſtatua Cæſaris, quam Pilatus in templo poſuit; aut equeſtris ſtatua Imperatoris Adriani, quæ ibi uſque in præſentem diem, inquit, ſtetit. Sed factum Pilati contigerat initio præfecturæ ejus: & conſequenter, antequam Chriſtus hæc prædiceret; erantque ſola ſigna militaria, quæ in Jeroſolymam clam illata ſunt, & ad paucos dies hæſerunt; Adrianus vero diu poſt exciſam Jeruſalem vixit, cujus tamen excidendæ hic ſigna dantur. Lucem adfert huic obſcuritati Lucas, qui poſt Marcum & Matth. ſcripſit: nam id, quod Matth. dixerat, *Cum videritis abominationem deſolationis ſtantem*

tem in loco ſancto, & id, quod Marcus, *ubi non debet*, quia ſcilicet in loco ſancto ſtare non debet (per quem ſine dubio templum intelligitur, ſicut apertiſſime in Daniele legitur:) Lucas hoc modo exprimit, *Cum videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem*. Utrumque Chriſtum dixiſſe eſt veriſimile. An autem ipſe exercitus Romanorum Judæis propter idololatriam & vexilla imaginibus Deorum plena, vocetur *abominatio deſolationis*, ſicut multi recentiores volunt: an vero aliquid aliud, quod eodem tempore, cum Jeruſalem ab exercitu circumdata fuit, concurrerit, non ita liquet. Et mihi quidem ipſe exercitus Romanus nullo modo videtur eſſe illa abominatio, quæ a Daniele prædicta eſt, propter multas cauſas. Primo, quia jam bis fuerant, & civitas & templum a Romano exercitu circumdata, & multis cædibus expugnata, ſemel per Pompejum, & iterum per Soſium atque Herodem, ut teſtis eſt Joſephus libr. 14. Antiquit. cap. 8. & ult. nec tamen ullus intellexit fuiſſe illam abominationem Danielis impletam. Secundo, jam a temporibus Pompeji, eiam ætate Chriſti, ſemper erat Jeroſolymis præſidium Romanorum in arce Antonia, quæ adhærebat templo, ut auctor Joſeph. lib. 6. de bello Jud. cap. 6. & ita copioſum, ut multas myriades civium contineret, maxi-

me diebus festis, in officio, & aliquando vi profligaret: nec tamen quisquam imaginatur ibi fuisse illam abominationem desolationis. Tertio, quia Marcus dicit abominationem illam staturam *in loco*, *ubi non debet*, id est, ut Matth. *in loco sancto*. Nulla autem est ratio, cur tunc peculiariter non deberet stare Jerosolymis, cum ibi sæpius steterit ante, & semper stare poterat, quandocumque libuisset. Quarto, quia Daniel juxta LXX. & textum vulgatum expresse dicit, illam abominationem staturam in templo: & sic plerique veteres etiam intellexerunt. Romanus autem exercitus non stetit in templo, neque in obsidione Cestii Galli, de qua Lucas videtur loqui: neque in ultima Vespaliani, nisi templo jam incenso. Agitur autem de abominatione præcedente eversionem, quia datur tamquam signum eversionis brevi futuræ, & fugæ capessendæ ex Judæa, quod sine dubio in ultima obsidione serius factum erat. Hinc ulterius videtur quod non possit etiam per illam abominationem intelligi occupatio templi, quæ facta est per Judæos repugnantes Cestio oppugnanti. Illi enim tunc non occupaverunt, nisi exteriores partes templi, non interiores: textus enim Græcus Josephi, qui tale quid videtur dicere, male translatus est. In exteriores autem partes licebat Judæis laicis semper intra-

trare, etiam cum armis, illudque defendere: ſicut jam bis, terve cum magnis etiam Judæorum cladibus defenſum fuerat, & contra Pompejum & contra Soſium, ut ex Joſepho citatis locis patet. Nec tamen quiſquam unquam exiſtimavit abominationem illam deſolationis, quam Daniel prophetavit, fuiſſe toties in templo poſitam; imo ibidem Joſephus ſatis indicat non per expugnationes illas, ſed per ſolum introitum Pompeji in aditum ſancti Sanctorum aliquam profanationem contigiſſe. Unde & Herodes, templo iterum expugnato, ſtudioſiſſime cavit, ne milites in aditum irruerent. Quare nihil veriſimilius dici puto quam illam a Daniele prædictam *abominationem deſolationis*, id eſt, quæ deſolationem ſecum traxit, ſeu ejus cauſa fuit, eſſe ſceleſtiſſimam illam profanationem totius templi, quæ facta eſt paulo poſt circumdatam ab exercitu Ceſtij & liberatam Jeruſalem, duravitque uſque ad everſionem ejus, per tres circiter annos cum dimidio. Ceſtius enim obſedit eam ſub finem anni Chriſti 68. & ſoluta mox obſidione Titus evertit eam anno 72. Facta eſt autem iſta profanatio per ingentem latronum manum, qui erumpentes in Jeroſolymam, pollutis pedibus, inquit Joſephus lib. 4. cap. 5. ſanctum locum intrare cœperunt, ac templo uti loco caſtri ac domicilii tyran-

rannidis adverſus populum. Tot vero cædibus innocentium & nocentium toto illo tempore, tum inter ſe pugnantes, tum cum populo, illud repleverunt, ut Joſephus teſtetur libro 6 capite 1. per atria divina diverſorum ſanguinem cadaverum feciſſe ſtagnum, nec potuiſſe amplius manere Dei locum qui domeſticorum funerum erat ſepulchrum. Hinc neque Judæis neque Romanis in tota obſidione intolerabilius vel horribilius quidquam viſum eſt, quam illa immanis templi profanatio, ut propter iſta ſacrilegia Joſephus lib. 6. cap. ult. dicat: Puto, ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut hiatu terræ devorandam fuiſſe civitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum aut Sodomæ incendia paſſuram: imo ut etiam Titus ipſe ſeditioſos aliquoties rogaret, ut a tanta profanatione diſcederent, ſe quoque teſtaretur non eſſe cauſam ejus, ut videre licet libro 7. cap. 4. & aliis locis. Hinc idem teſtis eſt lib. 5. cap. 2. veterem fuiſſe ſermonem, tunc demum civitatem captum iri, Sancta quoque flammis exurenda lege belli, cum ſeditio fuiſſet exorta, templumque Dei propriæ manus ante violaſſent: quibus, inquit, zelotæ, nihil de eorum fide dubitantes, miniſtros ſe præbuerunt. Qui ſermo ex Danielis prophetia vel Chriſti prædictione fortaſſis ortum habuit: quæ enim ve-

verior & magis proprie dicta *abominatio* in templo ſtare potuiſſet? Jure merito vocatur *deſolationis*, quia illiu deſolationis templi ac Jeruſalem, quam ſtatim Daniel adjungit uſque in finem perſeveraturam, vera cauſa fuit. Nam illam ſeditionem zelotarum, & aliorum ſceleratorum in templo, cauſam perditionis Jeroſolymæ, ac templi exuſti fuiſſe, ex Joſephi atteſtatione manifeſtiſſimum eſt. Itaque quod Lucas dicit, *Cum videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem*, ſcilicet ſub Ceſtio (tunc enim erat fugæ locus, non ſub Tito:) non deſignat ipſam abominationem deſolationis, ſed potius tempus, quo illa mox erat apparitura, & quo deberent de fuga cogitare ex Jeruſalem & Judæa, eo quod brevi inſtaret ejus conſummatio. Unde Joſephus lib. 2. cap. 25. dicit: Poſt Ceſtii caſus adverſos, nobilium Judæorum multi, tamquam e navi peſſum itura, ex civitate enatarunt. Inter quos & Chriſtianos eum comprehendiſſe veriſimile eſt ex Euſebio, de quo ſtatim.

Qui legit, intelligat; nempe obſcurum illum Danielis locum: & ſic erunt hæc verba Chriſti. Sed quia Marcus eadem ponit, qui tamen nullam Danielis mentionem facit; hinc fortaſſe convenientius acciperentur non verba Chriſti loquentis, ſed Evangeliſtæ, poſtea ſcribentis verba Chriſti, & exhortantis, ut,

qui

qui illa legerit, *intelligat*, id est, det operam, ut intelligat, tamquam obscurius quidem dicta, sed tamen maximi momenti, ad sciendum signum instantis eversionis Jerusalem ac templi. Et ideo Lucas, qui post Evangelistas scribens clarius explicuit, ea prætermisit.

16. *Tunc*, cum scilicet, viderint ista (pendet enim huc usque sententia) *Qui in Judæa sunt*, id est, in universa terra Israel; generaliter enim accipitur. Nam statim post illam obsidionem Jerusalem, seu potius templi, quæ per Cestium Gallum facta fuerat, iisdem calamitatibus involutæ sunt Galilæa, ceteræquæ provinciæ & urbes, quæ debellatæ & miserrimum in modum vastatæ sunt a Vespasiano, ante obsidionem ultimam Jerosolymorum. *Fugiant ad montes*, id est, in loca invia ac tuta: nam qui fugerunt in urbes Judaicas, plerique miserrime perierunt. Obediverunt huic monito Christiani, qui ex Jerusalem, totaque regione migrarunt trans fluvium in urbem Pellam, quæ parebat Regi Agrippæ, amico & coadjutori Romanorum, ut Euseb. testis est libr. 3. Hist. cap. 5. & Epiph. Hæresi. 29. num. 7.

17. *Et qui in tecto*: Græce (*epi tu domatos*) *super tectum*, ut vertitur Marci 13. Agitur enim de tectis illis planis Orientalium ubi ambulare & negotia tractare licebat. *Non descendat tollere*, seu ut tollat,

lat, *aliquid de domo sua*: supellectilem, pecuniam, aut aliud subsidium itineris aut fugæ, sed nudus cum omnium rerum jactura fugiat. Est enim locutio hyperbolica, qua ut August. epist. 80. festinatio fugæ præcipitur: cujusmodi est & ista phrasis, quæ sequitur.

18. *Et qui in agro*, id est, foris fuerit ambulandi, aut operandi causa, *non revertatur* domum, *tollere tunicam suam*, qua se tegat in fuga ad peregrinandum. Marcus ait *vestimentum*, nempe exterius; sine tunica enim non exitur in agrum. Unde Græcum *himation*, apte verteretur *pallium*, sicut vertitur supra cap. 3. v. 40. Pallium enim servit fugientibus contra injurias aëris, & noctis. Lucas generalius hoc exprimit, *Qui in regionibus fuerint*, scilicet extra Jerusalem, *non intrent in eam*. Et causam addit, *quia dies ultionis hi sunt*: ut sumatur scilicet ultio de tota illa rebelli & pertinacissima natione. Unde ad calamitatis istius acerbitatem respiciens Matthæus.

19. *Væ autem prægnantibus & nutrientibus*: quia illæ uteri, hæ infantium sarcina gravatæ fugere non poterunt, naturæ vinculo præpeditæ, ne illam abjiciant. De fuga enim adhuc subnectit.

20. *Orate, ut non fiat fuga vestra*, id est, non occurrat ista fugæ necessitas, *hyeme*: qua viæ ad fugiendum velociter sunt difficiles, dies breves, noctes intolerabiles

les: *Vel ſabbato*, quo exiguum itinerandi ſpatium præſcriptum erat. Unde act. 1. v. 12. mons Oliveti dicitur ſabbati habere iter. Generaliter itaque ſignificatum voluit juxta Auguſtin. 37. lib. 1. quæſt. Evang. orandum eſſe, ne aliquo impedimento fugæ detineantur. Non quod fuga eſſet etiam ſabbatis illicita: ſed loquitur juxta opinionem vulgarem Judæorum, qui ad ſuperſtitionem uſque ſabbatum etiam in neceſſitate obſervabant, ut Joſephus diverſis locis teſtatur. Plerumque autem ſolet Auguſt. iſta omnia exponere moraliter, cavendum ſcilicet eſſe in tribulationibus, ne quiſque invictus *de tecto in domum*, id eſt, de ſpirituali ſublimitate deſcendat ad carnalem vitam: nec *ex agro revertatur*, id eſt, nec deficiendo in poſteriora reſpiciat. Væ enim *prægnantibus*, & *lactantibus*, quæ jam adeptæ ſunt, quod concupierant. Orandum enim eſſe, *ne hieme vel ſabbato fugiamus*, id eſt, ne in triſtitia aut lætitia, & conſequenter amore rerum temporalium, quisquam inveniatur in die illa. Ita ille in fine Pſalm. 39. & quæſt. 37. citat. & Epiſtola 80.

21. *Erit enim tunc*, poſtquam abominatio deſolationis ſteterit in loco ſancto, *tribulatio magna*, ſcilicet in Judæa & Jeruſalem. Nam etiam iſta ad excidium iſtius gentis pertinere, patet ex Luca, qui, cum dixiſſet, *Erit enim preſſura magna*

ſuper

ſuper terram, ut oſtenderet ſe terram Judææ intelligere, explicando adjicit, *& ira populo huic*. Species autem tribulationis exprimit ibid. *Cadent enim in ore gladii, & captivi ducentur in omnes gentes*. Porro tribulatio talis e it, *Qualis non fuit ab initio mundi uſque modo, neque fiet*: nempe in illo populo Judaico, inquit Auguſt. Epiſt. illa 80. Nam, ut ibidem ait, Joſephus talia mala dicit illi populo tunc accidiſſe, ut vix credibilia videantur. Unde merito poſſet generalius intelligi, quod nec fuit, nec erit talis tribulatio in ulla omnino particulari gente aut regione totius mundi: quia videlicet extremum ſcelus occiſi Filii Dei extremis tribulationibus vindicandum erat. Unde & ipſe Joſephus palam aſſerit libro 6. c. 11. Ut breviter dicam, inquit, neque aliam civitatem umquam talia perpeſſam puto, neque ullam nationem poſt hominum memoriam malitia ferociorem fuiſſe.

22. *Et niſi breviati fuiſſent dies illi*, æterno ſcilicet Dei decreto: agitur enim de re futura. Quod quidam apud Auguſtin. epiſt. citata intelligunt factum eo modo, quo ſub Joſue dies fuit longior. Ipſe Auguſt. intelligit per *dies breviatos* ipſa mala breviata: ſed non incommode intelligi poteſt, *niſi dies*, id eſt, niſi tempus iſtius belli ac tribulationis Judaicæ fuiſſet a Deo brevius decretum, quam illorum

impietas & juſtitiæ divinæ ſeveritas exigebat, *non fieret ſalva omnis caro*, ſcilicet Judaica, inquit Chryſoſt. Duplex Hebraiſmus, *Caro*, pro homine, & *non omnis* pro nulla, ſicut Lucæ 1. verſu 37. & alibi ſæpius. Senſus eſt igitur, nullus Judæorum evaſiſſet mortem temporalem, ſed tota natio fuiſſet deleta per Romanos. *Sed propter electos*, ad æternam beatitudinem ex illa natione, qui ſcilicet vel tunc vivebant, vel ex illis uſque ad finem mundi naſcituri erant. Non enim debemus ambigere, inquit Auguſt. ibidem, illo Judaicæ calamitatis tempore fuiſſe in populo illo electos Dei, quorum alii jam in Chriſtum crediderant, alii crediturі erant. Propter electos ergo illos, ne ſimul cum reprobis vel jam nati, vel antequam nati pereant, *breviabuntur*, reipſa, *dies illi*, ſicut ab æterno breviores conſtituti fuerant: hoc eſt, citius divina providentia bello & calamitatibus illis finem imponet, efficiendo, ut Romani celerius ſuperent. Quod ita evidens fuit tam ipſis Judæis quam gentilibus, ut Joſephus crebro inopinatas Romanorum victorias Deo adſcribat; & ipſe Titus, captis Jeroſolymis & inſpectis munitionibus, dixerit: *Plane Deo adjuvante pugnavimus, & Deus erat, qui detraxit ab iſtis munitionibus Judæos.* Nam quæ hominum manus aut machinæ ad iſtas valerent? ut eſt apud eumdem Joſephum lib.

lib. 7. cap. 16. Unde idem Titus, rejecta corona ſibi oblata, fatebatur non ſe talium operum auctorem fuiſſe, ſed Deo iracundiam contra Judæos demonſtranti manus præbuiſſe, ut narratur apud Philoſtratum. Quamvis ergo multi iſta omnia de abominatione deſolationis, dierumque breviatione retulerint ad ultima & Antichriſti tempora, certum tamen videtur, omnia hæc uſque ad expugnationem Jeruſalem & calamitates gentis Judaicæ pertinere, ſicut intellexit Chryſoſt. & Theophyl. & ex profeſſo Auguſt. epiſt. 80.

23. *Tunc ſi quis vobis dixerit*, poſt excidium ſcilicet Jeruſalem, quo, defunctis pleriſque Apoſtolis, Pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, id eſt, hæretici potiſſimum pullulare cœperunt. Tranſit enim hic Chriſtus ad tertiam quæſtionem, a Jeruſalem ſcilicet ad finem mundi: nam vaſtatio Jeruſalem vaſtationis & finis mundi typus fuit. Itaque illud, *Tunc*, omne tempus, quod ab illa exciſa uſque ad finem mundi labitur, comprehendit, & maxime tempus Antichriſti. *Si quis vobis dixerit*, diſcipulis ſcilicet meis: nam ſub Apoſtolis omnes fideles intelligit: *Ecce hic eſt Chriſtus aut illic*, id eſt, hoc aut illo loco apparuit Meſſias, promiſſus a Deo, qui Judæos aut vos a calamitatibus liberet, fœlicitatemque largiatur: *nolite credere*, quia non niſi unus eſt Chriſtus, qui jam

venit. Tales fuerunt non pauci, ut olim Barchochebas tempore Adriani Imperatoris de quo Euſeb. lib. 4. cap. 6. & nuper David Georgius Baſileæ, & alius ex Anabaptiſtis, qui ſe Regem Sion finxit: & ipſe Antichriſtus tota profeſſione hoc acturus eſt.

24. *Surgent enim Pſeudochriſti*, qui ſe Chriſtos me reprobato mentientur, & *pſeudoprophetæ*: nam ſicut Chriſtus veros Prophetas habuit, qui de illo prædicaverunt: ita Pſeudochriſti ſuos habebunt Pſeudoprophetas: & quia pſeudoprophetæ olim erant falſi doctores rerum ſacrarum, ideo ſub hoc nomine comprehenduntur etiam hæretici, qui pſeudoprophetis antiquis in nova lege ſuccedunt. *Et dabunt*, ſeu edent, *ſignà magna & prodigia*, non vera, ſed mendacia, ut vocantur ab Apoſtolo 2. ad Theſſal. 2. ut ſic verum Chriſtum veroſque Prophetas imitentur, qui illis velut ſigillis Dei doctrinam ſuam & miſſionem confirmarunt. Edent illa virtute dæmonum, qui pro ſublimitate ſua ſemina rerum iſtarum, id eſt, prodigiorum, nobis occultiora, noverunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter ſpargunt, atque ita gignendarum rerum & accelerandorum incrementorum præbent occaſiones, ut Auguſt. 3. de Trinit. cap. 8. Recte autem dicit, *præbent occaſiones*, quia tota actio fit ab illis cauſis

ſis naturalibus, quas adhibent. *Ita ut in errorem inducantur*, id eſt, tam plauſibilia, tam veriſimilia, tam efficacia ad perſuadendum, ut fallendi eſſent errore finali, *etiam electi* ad ſalutem, per æternum prædeſtinationis divinæ decretum: *Si fieri poteſt*, id eſt, ſi eſſet poſſibile, ut creata vis creatoris decreto, beneplacito, ac viribus protegentibus prævaleret. Significat enim, ſi tales electi ſuæ prudentiæ & viribus relinquerentur, omnino eſſe fallendos. Unde rectiſſime Auguſt. de correp. & grat. cap. 7. Horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum ſi quiſquam perit, vitio humano vincitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Et Chriſtus ipſe de talibus ovibus: *Non rapiet eas quisquam de manu mea.* Joan. 10. verſu 28.

25. *Ecce predixi vobis*, periculi magnitudinem, ut ſcilicet illud ſollicite magis caveatis. Non enim electio, aut prædeſtinatio, etiam cognita, eſt, aut eſſe debet cauſa ſocordiæ, ſed ſollicitudinis, ac diligentiæ, ut per illam ipſam diligentiam, hoc eſt, ſollicitam ardentemque voluntatem, id quod conſtitutum eſt, impleatur, & ex illa ipſa diſcant homines ſe ad prædeſtinationem divinæ gratiæ pertinere, ut loquitur Auguſt. de dono perſeverantiæ cap. 22.

26. *Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt*, Chriſtus, *nolite exire*, id eſt, non modo non credere, ſed nec exire dignemini, ut quid rei ſit, videatis. *Ecce in penetralibus*, id eſt, in conclavibus, ſeu locis ædium abſtruſioribus: *nolite credere*. Explicat itaque magis particulatim id, quod ante dixerat, *Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic;* idque pro omnibus, ponendo duo loca contraria, deſertum foris, & penetralia domi.

27. *Sicut enim fulgur exit ab oriente*, id eſt, promicat e nubibus in oriente poſitis, *& paret*, id eſt, apparet, & ſubito conſpicitur, non tantum in meridie & Aquilone, ſed, *uſque in occidentem*, hoc eſt, per univerſum undequaque orbem ſpargitur, & undique cernitur; nam per duas illas partes oppoſitas totum mundum ſignificat: *Ita erit & adventus Filii hominis*, id eſt, ſubitus, inexpectatus, non incerto, abſtruſo, & abdito loco, ſed toti mundo illuſtris & conſpicuus: quaſi dicer. tametſi vos, ac fideles mei ſciatis, me Chriſtum ſecundo eſſe venturum, nolite tamen credere quibuſcumque prædicantibus, *Ecce hic, aut illic Chriſtus apparuit, & regnum ſuum auſpicatur;* quia adventus meus, qui adhuc exſpectatur, non erit occultus, & per homines præcones hominibus nuntiandus, ut fuit in Bethlehem, ſed ſubitus & inſtar fulguris, quod non indiget præcone, aut

nun-

nuntio, per ſe toti orbi ita manifeſtus, ut neminem latere poſſit. Senſus iſte Chryſoſtomi eſt & vere genuinus. Auguſt. vero quæſt. 38. lib. 1. Quæſt. Evang. & aliis locis omnia præcedentia a verſ. 23. de quibusvis hæreticis & ſchiſmaticis intelligit, qui non ſunt audiendi a populo Chriſtiano, dum prædicant, *Ecce hic Chriſtus, aut illic*, id eſt, dum particulas terrarum, atque provinciarum, ubi vigent, demonſtrant, dicentes, apud ſe ſolos eſſe Chriſtum & Eccleſiam, aut *in deſerto, ac penetralibus*, id ed, in obſcuris occultiſque conventiculis, ubi curioſitatem hominum decipiunt. Nam quod ait, Filium hominis appariturum *ſicut fulgur*, inquit, contra illos valet, qui occulte congregant, tamquam in penetralibus, & paucos. tamquam in deſerto, cum *Orientis* & *Occidentis* nomine Eccleſia per totum orbem futura ſignificetur: & ad manifeſtationem claritatemque Eccleſiæ pertinet fulguris nomen. Senſus iſte videtur magis myſticus.

28. *Ubicumque fuerit corpus*, Græce (*to proma*) cadaver, *illic congregabuntur & aquilæ*, quia naturali ſenſu illud etiam trans maria ſentire dicuntur, & advolare, ut inde paſcantur, ut hic Hieron. Deſumptum videtur ex Job. 39. v. 30. ac tranſiiſſe in proverbium, quo ſignificetur non opus eſſe magno ſtudio, ut

ea jungantur, quæ natura ad invicem geruntur. Se ergo comparat cadaveri, propter mortem corporis, Sanctos ſuos aquilis, quod aquilarum inſtar in altis ſuper terrena volent, oculatiſſimi in Chriſtum velut Solem oculos figant, ſenectutem renovent; quaſi dicer. Ubicumque fuero, cum inſtar fulguris in nubibus apparuero, eo Sancti mei, nemine indicante, ſentientes præſentiæ meæ virtutem, tamquam ad eſcam ſuam, ex omnibus orbis partibus ſummo deſiderio rapti in nubibus obviam Chriſto in aëra convolabunt. Quamquam Hilarius locum paſſionis, ubi judicium futurum ſit, indicari putet, ſcilicet Vallem Joſaphat.

29. *Statim autem poſt tribulationem illorum dierum;* nempe quibus Pſeudo-chriſti & Pſeudo-prophetæ dixerint, *Ecce hic eſt Chriſtus, &c.* Per quod in primis tempora Antichriſti ſignificari diximus, & eo referunt Chryſoſt. ac Theophyl. Quamvis referri etiam poſſit ad dies tribulationis Jeroſolymitanæ: de qua verſ. 21. poſtquam ſecutura ſignificetur alia rerum omnium perturbatio. Dicit autem, *ſtatim poſt*, etſi jam tot annorum centuriæ tranſierint; partim quia divino judicio tempus iſtud eſt momentaneum: apud quem, ut dicitur 2. Petri 5. mille anni ſicut unus dies: partim quia etiam hominum æſtimatione perexiguum eſt, cum unicuique dies ille ultimus, ſeu ul-

ultima tribulatio tam propinqua ſit, quam eſt dies mortis. Nam, ut Auguſt. epiſt. 80. in quo ſtatu quemque invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendit mundi noviſſimus dies. Itaque, ut unusquisque ſemper ad illum diem ultimum eſſet paratus, ſemper eum iſto loquendi modo Chriſtus expectari voluit: quem poſtea eadem de cauſa Apoſtoli imitati ſunt, dum 1. Joan. 2. dicitur, *Nunc eſſe noviſſima hora*; & 1. Petri 4. *Omnium finis appropinquaſſe*. Unde & Deuter. 32. verſu 35. *Juxta eſt dies perditionis.*

Sol obſcurabitur & Luna, &c. Auguſt. loco cit. per *Solem* intelligit Chriſtum, per *Lunam* Eccleſiam, qui perſecutionis acerbitate, ſub Antichriſto ita ſint obſcurandi, ut hominibus non appareant: per *ſtellas cadentes* eos, qui, cum gratia fulgere viderentur, perſequentibus cedent & cadent. *Virtutes* autem *cœlorum movebuntur*, quia quidam firmiſſimi turbabuntur. Sed ex Lucæ 2. verſu 25. & 26. ſatis apparet, litteraliter hæc in Sole & Luna & ſtellis eventura, quemadmodum paſſim etiam a Prophetis prædictum eſt, Iſaiæ 13. verſu 10. & in primis Joelis 2. v. 31. ut proinde moralis, vel myſtica ſit Auguſt. interpretatio. Itaque *ſol obſcurabitur*, ut ſicut prima lux naſcentem: ita poſtremæ tenebræ morientem mundum loquantur. Unde Apocal. 6. v. 12. Sol dicitur futurus niger tamquam

ſaccus cilicinus: non propter ſplendorem Chriſti præſentis, ut vult Hieronym. & Chryſoſt. (Lucas enim indicat hanc obſcurationem præceſſuram adventum judicis) ſed luminis defectu. *Et luna non dabit lumen ſuum*, propter defectum ſcilicet Solis, a quo lumen ſuum mutuatur: Unde Apocal. dicit. *Fiet ſicut ſanguis.... Et ſtellæ cadent*: quia propter defectum luminis eadem ex cauſa cecidiſſe videbuntur, cœlo quaſi luminibus privato. Quamvis non deſint, qui intelligant hoc de exhalationibus ignitis, quæ ſtellis ſimiles de cœlo cadent, multo ſcilicet mirabilius, quam nunc fit, ut inquit Auguſtinus 20. de civitate cap. 24.... *Et virtutes cælorum commovebuntur.* Quod Græci de virtutibus Angelicis fere intelligunt, quæ ad tantam rerum perturbationem admiratione concutientur: recentiores de aſtris, quæ *militia cœli* vocari ſolent: ſed illa jam cecidiſſe dicta ſunt. Itaque videtur eſſe generalis expreſſio & complexio eorum, que particulatim de Sole & Luna, & ſtellis dixerat: quaſi dic. Et omnes vires cœlorum commovebuntur; Græce eſt enim *donameis*, id eſt, *poteſtates*, *vires*, ut non incongrue ſignificari poſſet idem, quod Job 26. v. 11. dicitur: *Columnæ cæli contremiſcent.* Unde Proverbiorum 8. v. 26. ſimili fere phraſi vocantur etiam *cardines orbis terræ*, & alibi *cardines maris*, quaſi dicere hic vellet:

let: Ipſum omne robur & firmamentum, & quaſi cardines cœlorum commovebuntur, Græce (*Saleuthesontai*) *agitabuntur*. Proinde idem hic dici videtur, quod 2. Petri 3. v. 10. *Cæli magno impetu transibunt.* Hæc igitur tam inuſitata ægrotantis mundi ſymptomata inſtantis ejus occaſus, & quaſi mortis indicia ſunt & ſimul adventantis judicis. Unde ſequitur:

30. *Et tunc*, Sole, Luna, ſtellis obſcuratis, *parebit*, Græce (*Phaniſetai*) *apparebit*, *ſignum filii hominis*, id eſt, id, quo Filius hominis mundo & hominibus, fidelibus & infidelibus notus, ac celebris eſt, quod non eſt aliud, niſi ſignum Crucis, Sole fulgentioris, ut inquit Chryſoſtom. & conſentiunt antiqui, Hilarius, Hieronym. Theophyl. & alij. Unde canit Eccleſia: *Hoc ſignum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit*: nempe ad ſolatium fidelium, videntium vexillum adventantis Domini, ac trophæum Redemptoris ſui; ad terrorem infidelium, maxime Judæorum. Unde etiam *tunc*, illo ſcilicet viſu, *plangent omnes tribus terræ*, id eſt, omnes nationes pectoris tunſione (quod proprie, præſertim Græce, eſt plangere) lamentabuntur, doloremque ſuum teſtabuntur, nimirum quod judicem talem crucifixerint, vel crucifixum contempſerint: nam de impiis loquitur, pii enim diligent adventum ejus. *Et videbunt*, corporeis oculis *Filium hominis*

ve-

venientem in nubibus cœli : quaſi curru triumphali ad judicandum veheretur, & in throno ſuo ſederet. Ita contigit & in transfiguratione, hujuſce, gloriæ typo, & talem adventum in nubibus promiſerunt Angeli in aſcenſione. Servient nubes iſtæ ad temperandam omnium aſpectui claritatem ejus, & ad augendam gloriam. Unde addit *cum virtute multa*, ſeu magna, & *majeſtate*, Græce, *(meta dunameos kai doxes polles)* *cum poteſtate & gloria multa*, non ſcilicet cum illa infirmitate & humilitate, qua nunc. Virtus, ſeu poteſtas apparebit in illa momentanea mortuorum omnium reſuſcitatione totiusque mundi reſtauratione; majeſtas in corporis claritate, nubis amictu, ſtipantium multitudine, gloria & reverentia.

31. *Et mittet Angelos ſuos:* qui, ut putat Gregor. Hom. 1. in Evang. viſibiliter hominum oculis apparebunt, *cum tuba & voce magna.* Vox. *Et*, expoſitive, ſeu exegetice accipi videtur pro, *id eſt*: quaſi dicer. cum tuba, quæ eſt vox magna, ſicut Apocal. 1. v. 10. & ibid. c. 4. v. 1. dicitur. *Audivi vocem magnam tanquam tubæ loquentis mecum*, articulatis ſcilicet ſonis. Unde & Paulus, cum 1. ad Corinth. 15. verſu 25. de ſola tuba dixiſſet, *in noviſſima tuba*; *canet enim tuba*: magis ſe declaraſſe videtur 1. ad Theſſal. 4. v. 15. dicens: *Ipſe Dominus in juſſu, &*

in

in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo. Ita ut omnia iſta non aliud declarent, quam vocem magnam, quaſi tubalem inſtar tubæ, toto mundo perſonantem miniſterio Archangeli & Angelorum, juſſu Chriſti Domini editam. Unde Joan. 3. verſu 25. vocatur *Vox Filii Dei*, quam mortui audient, quia juſſu ejus vox illa edetur. Ita fere Auguſt. Epiſt. 120. cap. 34. qui tubæ nomine evidentiſſimum & præclariſſimum aliquod ſignum vult intelligi. Adhibebitur autem partim, ut ejus miniſterio excitentur mortui, ſicut Lazarus voce Chriſti, partim ut per eam ad tribunal convocentur. Unde Auguſt. ibid. putat eſſe iſtum clamorem, qui cap. ſeq. v. 6. media nocte factus dicitur, *Ecce ſponſus venit, exite obviam ei.* Et hic ſtatim adjungitur effectus tubæ: *& congregabunt electos ejus a quatuor ventis*, id eſt, a quatuor mundi plagis, Oriente, Occidente, Meridie & Aquilone, unde ſpirant præcipui quatuor venti. Sub quibus, ut ſignificaret univerſas mundi partes intelligi, addit, efficacioris expreſſionis cauſa, idem quaſi repetendo, *A ſummis cælorum uſque ad terminos eorum.* Similis phraſis eſt Deuter. 4. verſ. 32. & Pſalm. 19. verſu 7. & 8. ſed tam ibi Hebraice quam hic Græce eſt, *ab extremis cælorum uſque ad extrema eorum*: & ideo eadem vox *akron*, hoc loco nunc *ſummum*, nunc *terminus*

minus transfertur; ſummum enim rei etiam eſt terminus, ſeu extremum ejus. Senſus eſt ergo, ab uno *cœli* extremo uſque ad alterum. Per *cœli* autem *extremum* intelligitur locus cœli extremo ſubjectus, & ideo eandem rem expreſſit Marc. *A ſummo*, id eſt, extremo *terræ uſque ad ſummum cœli.*

32. *Ab arbore autem fici*, quæ eis erat in illis locis notiſſima. Alioquin Lucas addit, *Videte ficulneam & omnes arbores*; utrumque enim videtur Chriſtus dixiſſe. *Diſcite parabolam*, id eſt, accipite ex ea ſimilitudinem. *Cum jam ramus ejus tener*, id eſt, mollis, *fuerit*, quaſi propter appropinquantem Solem ſucco plenus, & *folia nata*: apud Lucam, *Cum producunt jam ex ſe fructum.* Sed *Fructus* ibi ſignificat, quidquid ex re pullulat, ut gemmæ & folia: unde Græce eſt (*probalosin*) *cum jam protruſerint*, ſcilicet gemmas & folia. *Scitis quia eſt prope æſtas.*

33. *Ita & vos cum videritis hæc omnia*, incipere & fieri, quæ huc uſque dicta ſunt, etiam de adventu Filij Dei in nubibus, Angelorumque miſſione. Nam quamvis Apoſtoli, ad quos loquitur, non eſſent ea omnia viſuri, voluit tamen & ipſos & omnes, qui hæc ab illis diſcerent, ſemper eſſe ſuſpenſos. *Scitote quia prope eſt in januis*, id eſt, quod omnino jam jam adeſt præ foribus, nempe non adventus Filii Dei; ille enim jam

ap-

apparuiſſe dictus eſt: ſed, ut ſupplet Lucas, regnum Dei, illud plenum & pacatiſſimum, quod poſt judicium in Sanctis revelabitur. Hæc ergo verba conſolationem electorum continent a tot tribulationibus, quibus in mundo preſſi fuerant, ſuggerendo illis ſpem proximam beatiſſimæ tranquillitatis, ſicut clare colligitur ex Lucæ 21 verſu 28.... *Reſpicite & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Ut autem certa eſſet fides futurorum iſtorum, quæ prædixerat, graviter ea confirmat.

34. *Amen dico vobis, quia non præteribit*, id eſt, interibit & abolebitur, *generatio hæc.* Alii generationem credentium, alii humanum genus, alii hanc ætatem, alii aliter intelligunt. Nihil convenientius videtur poſſe accipi, quam hæc generatio Judæorum; illam enim ſæpe ſolet nomine hujus generationis deſignare, ut patuit cap. præcedenti verſu 36. & c. 12. v. 41. & 42.... *Donec omnia fiant*, id eſt, impleta fuerint. Ideo autem illam generationem, ſeu nationem permanſuram aſſerit, quia pleraque potiſſimum in illa natione complenda erant, ut quæ de excidio Jeruſalem, & ejus calamitatibus, de Pſeudochriſtis & planctu tribuum prædixerat.

35. *Cœlum & terra*, quibus nihil eſt in rebus creatis firmius & immobilius, tamen *tranſibunt*, a ſtatu ſuo, id eſt, mu-

ta-

tabuntur: *verba autem mea* . quæ vobis hactenus locutus ſum, *non præteribunt*; quantum ad rem ſcilicet ſignificatam, hoc eſt, non mutabuntur, & non aliter aliquid continget, quam illa ſonant & ſignificant, ſed certiſſime habebunt effectum ſuum, quia ab incommutabili veritate prolata. Deducta enim, inquit Hilar. ex æternitate, id in ſe continent virtutis, ut maneant. Hoc ergo addit, ne quis futurarum rerum incertitudine, vel nimia dilatione de veritate inciperet fluctuare. Ut vero etiam curioſitas reprimeretur, adjicit:

36. *De die autem illa & hora*, qua cœlum & terra tranſibunt, & Filius hominis cum Angelis venturus eſt, id eſt, de tempore certo & determinato conſummationis mundi, & adventu judicis, ſive dies, ſive hora, ſive menſis, ſive annus fuerit, *Nemo ſcit, neque Angeli cœlorum*, hoc eſt, nemo in cœlo, neque in terra, neque naturali ſcientia, neque revelatione. Repreſſit igitur eos, inquit Chriſoſt. ne diſcere vellent, quod Angeli neſciunt. Ut autem efficacius occurreret curioſitati, neque moleſte ferrent, quaſi contempti a Chriſto, quod nec ipſis ſecretum iſtud Chriſtus committeret, addit, juxta Marcum, *neque Filius*: cujus ſententiæ obſcuritas, ne faveret Arianis, diverſas interpretationes peperit. Hieronym. hic & Ambroſ. libr.

libr. 5. de fide, cap. 8. locum corruptum esse voluerunt. Alij, ut Origen. Tractat. 30. in Matth. putant Christum ignorasse tunc diem judicii; post resurrectionem vero scivisse. Inter varias interpretationes antiquorum duæ veri similiores videntur. Prima est Athanasii libr. 4. contra Arianos & Ambr. lib. 8. in Luc. & Nanzianzen. ex professo Orat. 36. ut neque Filius, supple hominis, illum diem sciat, hoc est, ut non sciat eum diem ex eo, quod est homo, sed ex eo tantum, quod simul est Filius Dei. In quem sensum scribit August. 1. de Trinit. cap. 12. Christum dixisse alibi, Non est meum dare vobis, quia non est suæ potestatis humanæ, sed divinæ. Hinc Gregorius libr. 8. Epist. 42. In natura quidem humanitatis novit diem & horam, non ex natura humanitatis novit: ideo scientiam, quam ex natura humana non habuit, in qua cum Angelis creatura fuit, hanc se cum Angelis habere denegavit. Secunda est, quam ibidem Gregor. tradit, & est Augustini multis locis, præcipue loco illo de Trinit. citat. & libr. 83. Quæst. Evang. qu. 60. & alibi, ut Filius hoc nescire se dicat, quod nescientes nos facit, id est, inquit Augustinus, quod non ita sciebat, ut tunc discipulis indicaret. Quo sensu dicit Apostolus: *Neque enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum*, nem-

pe hoc Apoſtolus inter illos neſciebat, quod per illum ſcire non poterant, cum tamen loqueretur ſapientiam inter perfectos. Simili modo Chriſtus dicit Joan. 15. ſe *Apoſtolis omnia nota feciſſe, quæ audiverat a Patre ſuo*, ſcilicet quæ communicare deberet, cum plurima divinitatis ſecreta non feciſſet nota. Itaque juxta hunc ſenſum loquitur Chriſtus tamquam legatus a Deo, qui non ſic a Patre diem illum didicerat, ut cuiquam eorum, ad quos legatus fuerat, eum aperire deberet, ita ut illum ſibi ſoli ſciret, non aliis. Nam alioqui quomodo diem & horam ignorat, qui omnia ad diem illum & horam prædixit? Cauſa vero celandi fuit, quia, ut Chryſoſt. hic & Baſil. libr. 4. contra Eunomium ſcientia ejus non expediebat nobis: expectatio enim perpetua ferventiores ad pietatem facit, cognitio negligentes. Et hinc addit, *Niſi ſolus pater*; ad quem, velut principium creationis, ita & reſolutionis mundi, pertinet ſcientia horæ illius. Non tamen excluditur Filius, in quantum Deus, aut Spiritus ſanctus, ſed illa ſola, quæ natura a Patre differunt. Unde perinde eſt, ac ſi diceret, Nullus homo, nullus Angelus, nullus legatus ad homines, ſed ſolus Deus. Hinc Act. 1. de illo die interrogatus ſimiliter refert ad Patrem: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.*

Di-

Dicendo autem, *Non eſt veſtrum*, ſatis indicat, ſuum eſſe ſcire.

37. 38. *Sicut autem in diebus Noë*, ſupple accidit, *ita erit & adventus Filii hominis*, id eſt, ita tempore ejus adventus continget. Sic expreſſit hoc Lucas clarius c. 17. v. 26. nimirum erunt homines *comedentes & bibentes*, id eſt genio & conviviis indulgentes: *nubentes & nuptui tradentes* Græce (*gamuntes kai ekgamazontes*) *ducentes uxores, & ad nuptias dantes*, hoc eſt, rebus jucundis hujus vitæ, & voluptatibus, more ſolito vacantes, ſine ulla ſollicitudine, ac timore futurorum. Non enim hic arguit ſcelera, ſed ſupinam illam ſuæ ſalutis ſecuritatem: nam hoc poſtulat id, quod ſequitur.

39. *Et non cognoverunt*, imminens ſibi exitium diluvii, quod *tulit*, ſeu abſtulit & occidit, *omnes*: quamvis eſſet a Noë prædictum & prædicatum; culpabilis enim eorum ignorantia & incredulitas taxatur: *Ita erit & adventus Filii hominis*, id eſt, ſimiliter inexſpectatus, quia vacabunt epulis, voluptatibus, lucris & negotiis hujus mundi. Unde Lucæ 17. additur in alia ſimilitudine de diebus Loth, *Emebant & vendebant, plantabant & ædificabant*, id eſt, rebus terrenis toti immerſi erant. Unde Apoſtolus: *Cum dixerint pax*, ſcilicet a præteritis malis, *& ſecuritas*, ſcilicet a futuris, *tunc repentinus eis ſuperveniet interitus*. Sed hic merito quærat aliquis,

quis, quomodo poterit esse tanta securitas hominum, cum tot mala præcessura dicantur: fames, bella, pestes, & maxime Sol obscurandus, &c. Resp. de impiis potissimum hic sermonem esse, qui inter medias afflictiones piorum vacabunt deliciis, sicut milites, dum alii vastantur. Addit Hier. mundum ante consummationem ab omnibus illis malis aliquandiu fore pacatum. Quæ vero v. 29. de obscuratione Solis & Lunæ &c. dicuntur, ea ipsa jam pertinent ad ipsum adventum Judicis.

40. *Tunc*, in adventu Filii hominis, *duo erunt in agro*, nihil minus quam de die judicii cogitantes; *duæ* scilicet ancillæ *erunt in mola*, id est, loco, in quo molitur, seu pistrino: hoc enim vilissimum servitii genus ad ancillas olim pertinebat, ut patet Exodi 11. versu 5. *Unus assumetur*, scilicet sursum rapietur ad Filium hominis, ut indicat Lucas c. 17. v. 36. & 37... *Et unus relinquetur*, id est, non rapietur. Significatur igitur in quacumque hominum conditione, sive liberorum, sive servorum, sive divitum, sive pauperum, sive vitæ contemplativæ, sive activæ, fore bonos & malos, alios salvandos, alios damnandos, nullam cujuscumque societatis habendam esse rationem, sed a se mutuo esse divellendos, utrisque diem & horam fore prorsus incognitam. Unde concludit:

42.

42. *Vigilate ergo*, id est proinde, si vobis consultum cupitis, diem illum semper præ oculis habete, ita vivendo, ne imparatos opprimat. Præcipitur enim hic non vigilia corporalis, nec nuda memoria illius diei, sed memoria cum sollicitudine, inde nata, ut per vitæ probitatem ad illum parati simus. *Quia nescitis, qua hora*, seu quo tempore, *Dominus vester*, Filius scilicet hominis, *venturus sit*, ad vos judicandos, ut præmium vel supplicium reddat. Itaque cum dicit, *ergo*, insinuatum voluit, ut supra annotavimus, & plerique veteres observant, hanc esse causam, cur dies & hora illa nobis occulta maneant, ut scilicet perpetuo ad subeundum illud judicium parati maneamus: quod sine dubio non fieret, si prescíremus. Ne autem Apostoli putarent, hoc solis hominibus, tunc victuris, dici, addit apud Marcum, *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate*. Nam eadem est ratio de die mortis uniuscujusque, in quo quisque a Deo judicatur: tempora enim diversa sunt, sed causa eadem, status idem. Unde ad eum, sicut ad diem judicii, omnis Christianus paratus esse debet, quia, ut Aug. Epist. 80. imparatum inveniet ille dies, quem imparatum invenerit suæ vitæ hujus ultimus dies. Hanc porro perpetuam vigilantiam exemplo boni patrisfamilias declarat, qui, *Si sci-*

ret, qua hora, Græce (*poia phylake*) *qua cuſtodia*, hoc eſt, qua vigilia nocturna, quas olim quatuor a militibus excubantibus obſervatas fuiſſe alibi diximus, *fur venturus eſſet, vigilaret utique.* Manca eſt iſta ſimilitudo, & ſupplenda, juxta verſum ſequentem, hoc modo: Sed quia non poteſt hoc ſcire, quia furis conditio eſt, ut captet horam, qua minime exſpectatur: hinc quoad fieri poteſt, ei ſemper vigilandum eſt. Unde concludit, applicando ſimilitudinem.

44. *Ideo & vos eſtote parati.* Quibus verbis explicat, quid ſibi voluerit metaphora vigilandi. Vigilat autem, ſeu paratus eſt, qui eo ſemper ſtatu eſt, ut placeat Deo & ipſi Deus: ſic enim adventum Judicis non timebit, ſed diliget, quacumque hora venerit. *Quia qua neſcitis hora*, Græce efficacius (*e ora u dokeite*) *qua non putatis*, id eſt, non exſpectatis, hora. *Filius hominis*, inſtar furis, *veniet*, ad vos judicandos, ſive in particulari judicio, ſive univerſali. Hanc Chriſti parabolam alludendo imitati ſunt & explicuerunt Apoſtoli: ut cum Petrus Epiſt. 2. c. 3. dixit, *Adveniet dies Domini, ut fur*; & Paulus 1. ad Theſſal. 5. v. 2. *Ipſi diligenter ſcitis, quia dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet*: & ipſe Chriſtus, Apocal. 16. v. 15. *Ecce venio ſicut fur*: nimirum quia adventus ejus incertus, inopinatus, & pleriſque inexſpe-

ſpectatus eſt: ut ſic, inquit Hier. pendulæ exſpectationis incerto ſemper credant eſſe venturum, quem neſciunt, quando venturus ſit. Quamvis autem in commune omnes ad indefeſſam vigilantiæ curam adhortatus fuerit, ſpeciatim tamen Apoſtolis, hoc eſt, inquit Hilarius, populi Principibus, ſeu Epiſcopis, in exſpectatione adventus ſui ſollicitudinem mandans addit.

45. *Quis putas*, &c. Unde Ambroſ. in Præfat. lib. 5. de fide, exponit hæc de Petro. Pro *Quis putas*, Græce eſt, (*tis ara*) id eſt, *Quiſnam*? ſic enim ſubinde noſter Interpres illud *ara*, per *putas*, reddit. *Eſt fidelis ſervus & prudens*, &c. Ordo verborum eſt: Quis ſervus, quem conſtituit Dominus ſuper familiam, &c. eſt fidelis & prudens, &c. Alludit autem ad divitem patremfamilias (cui ſe tacite hic Chriſtus comparat) qui peregere proficiſcens unum ex famulis præficiat toti familiæ, Græce (*hepi therapeias*) *famulitio*, id eſt, famulis reliquis, quibus *in tempore*, ſcilicet opportuno, ſingulis ſive diebus, ſive ſeptimanis, *det cibum*, id eſt, alimentum congruum, quod eis debetur. Pro *cibum*, Lucas c. 12. v. 42. dicit *tritici*, id eſt, frumenti, *menſuram*, Græce uno verbo *ſimmetrion*, quaſi diceres frumenti demenſum. Ubi alluditur ad antiquum morem, quo ſervis dabatur in ſingulos menſes certa

frumenti mensura ad victum, quod vel a mense, vel metiendo *demensum* dicebatur, ex quo aliquid parcentes poterant augere peculium suum. Hic ergo œconomus, seu famulitio præpositus, quem Lucas *dispensatorem* vocat, debet esse *Fidelis & prudens*: fidelis ut non fallat: prudens, ut non fallatur: fidelis, ut non sua, sed lucrum Domini, hoc est salutem familiæ ejus quærat: prudens, ut cum judicio illud faciat, id est, mediis utatur idoneis. Dicit igitur, *Quis putas?* quasi dicer. quam rarus est! Et ideo etiam

46. *Beatus ille servus*, quisquis ille fuerit præfectus familiæ, id est, Ecclesiæ Christi, *quem cum venerit Dominus ejus* in fine sive vitæ, sive mundi, *invenerit sic facientem*, scil. fideliter & prudenter incumbentem officio suo. Unde Augustin. Epist. 148. Nihil in hac vita difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio (qui omnes in populum officium habebant) sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet.

47. *Amen dico vobis*: *Super omnia bona sua*, id est, non solum super famulitium, sed quia fidelitatem ejus expertus est, super omnes divitias suas, *constituet eum*, pene parem sibi. Quo significatur præcellens beatitudinis gradus, qui fidelibus præfectis Ecclesiæ a *Deo* tribuendus est.

48.

48. *Si autem malus ille servus*, super familiam constitutus, *dixerit in corde suo*: *Moram facit Dominus*, &c. id est, ex longa mora & absentia Christi Domini longos vitæ annos, & impunitatem sibi pollicendo.

49. *Et cœperit percutere conservos*, id est, cœperit non tantum non fungi officio, sed dominari velle in clero, abutendo potestate sua in aliorum injurias ac tyrannidem; *manducet autem ac bibat cum ebriosis*, id est, commessationibus ac voluptatibus suis indulgeat, & ita Christi patrimonium prodigat. Ubi ad duo capita vitiorum revocantur omnia præfectorum crimina, ad voluptates & injurias, id est, ad flagitia & facinora: illa ad corrumpendum se, hæc ad nocendum aliis committuntur. Sed, ut August. lib. 3. de doctrina Christiana c. 10. flagitia priora sunt, & facinorum fontes: facinora enim committuntur, ut removeantur impedimenta flagitiorum, aut adjumenta quærantur.

50. *Veniet dominus servi illius*, ad judicium. Adhuc enim perseverat Christus in inculcanda incertitudine adventus sui novissimi: sub quo adventum suum ad judicandum unumquemque in hora mortis intelligit. *In die, qua non sperat*, Græce (*e u prosdoka*) *qua non expectat*: imo longe adhuc abesse putat.

51. *Et dividet eum*, a conſervis, id eſt, ſeparabit ab officio, & de familia ſua ejiciet. Idem enim ſupplicium ei infligitur, quod ſupra c. 22. v. 13. invento ſine veſte nuptiali, qui e convivio ejectus fuit. *Partemque ejus ponet cum hypocritis*, id eſt, conditionem, ſortem, ac hereditatem ei talem dabit, qualem habent & merentur omnes impii, qui Hebraica proprietate *Hypocritæ* vocari ſolent, ut patet Job 8. verſu 13. & alibi. *Pars* autem ſignificat ſortem ſtabilem alicujus, & conſequenter æternam, quam quaſi hereditatem ſibi aſſignatam poſſidet. Unde ſimili phraſi dicitur Job 20. verſu 29. & Job 27. verſu 26. *Hæc eſt pars hominis impii apud Deum*: & Pſal. 10. *Ignis, ſulphur pars calicis eorum.* Unde ſubito tranſitu a figura ſignificante ad rem ſignificatam, aperiens parabolam addit: *Illic*, in parte hypocritarum, ſeu impiorum. *Erit fletus & ſtridor dentium*, de quibus diximus cap. 13. v. 42.

CAPUT XXV.

1. TUnc, nempe in illo meo adventu ad judicium. Nam ex concluſione, quæ hic habetur verſu 13. patet eum proſequi idem omnino argumentum, quod cap. ſuperiori, verſu 42. incho-

choaverat: quo adhortatur tribus diversis parabolis, furis, servi mali, ac decem virginum, ad perpetuam vigilantiam. *Simile erit regnum cœlorum*, Ecclesia mea, quæ ex hoc mundo collecta fuerat, *Decem virginibus*. Desumptus est exterior cortex parabolæ ab antiquo ritu, quo sicuti sponso juvenes, ut Judic. 14. versu 11. ita sponsæ honoris causa virgines addebantur, quæ ipsa nocte nuptiarum in sponsæ ædibus adventum sponsi expectabant, & accenso lumine prodibant obviam sponso venienti in domum sponsæ, ut ipse eam inde, cum virginibus lumen præferentibus, in ædes suas vel aliam convivii domum duceret, ubi noctu, sicut moris erat, nuptiarum pompa celebraretur. Hinc fluxit Latina phrasis *ducere uxorem*. Itaque ad rem significatam transeundo virginum decem nomine (quo nomine universitas exprimitur) significantur non solæ, quæ continentiam profitentur, ut Chrysost. & alii voluerunt, sed omnes animæ Christianorum; non tamen qualescumque, sed, ut Augustin. Serm. 23. de verbis Domini, tales animæ, quæ habent Catholicam fidem, & habere videntur opera bona in Ecclesia Dei, id est, non aperte rebelles, sed quæ profitentur aliquo modo bonis operibus, se parare velle ad adventum sponsi ad judicium. *Virgines* vocantur, sive propter integritatem fidei,

fidei, juxta Apoſt. 2. ad Corinth. 11. v. 2. & 3. ſive propter continentiam a quibuscumque corporis illecebris quam omnes profitentur. *Quæ accipientes lampades ſuas*, nempe accenſas: infra enim verſ. 8. conquerentur eas extingui; ergo ardebant, ut obſervat Origen. & Hieron. Per *Lampades* ſignificatur fides, iisdem auctoribus & Nazianzeno in fine Orat. 40. & Cyrillo Catecheſi 15. quæ accenditur, cum operibus quoquo modo lucet: alioquin ſine operibus extinguitur, hoc eſt, ut eſt Jacobi 2. verſu 26. mortua eſt. *Exierunt obviam*, id eſt, comparaverunt ſe, ut occurrerent *ſponſo*, hoc eſt, corde expectaverunt adventum ejus, inquit Auguſt. Serm. cit. Ubi autem nos legimus, *ſponſo & ſponſæ*: Græce tantum eſt (*tu nymphion*) *ſponſo*, & aptius ad parabolam, ut ex ſupra dictis liquet, itemque ad rem ſignificatam. Certum eſt enim per ſponſum iſtum ſignificari Chriſtum. Eatenus tamen & ſponſæ ibatur obviam, quia illa per virgines ad ædes ſponſi deducenda erat.

2. & 3. *Quinque autem ex eis erant fatuæ*, &c. pars earum erant imprudentes, quæ ſcilicet rebus neceſſariis ad occurſum ſponſi non ſe inſtruxerant ſicut prudentes. Fatuitas vero iſta ſeu imprudentia in eo ſita erat, quod *Fatuæ acceptis lampadibus, non ſumpſerunt oleum ſecum*, ſcilicet in vaſis ſuis, ut eſt verſu ſeq. nempe

diſtin-

distinctis a lampadibus: hoc est contentæ lampades suas quoquo modo lucere, non sibi providerunt de oleo, quod lampadibus, moram faciente sponso, infundi posset. *Oleum* istud est vera charitas, qua Deus & proximus diliguntur, quia ut oleum universis liquoribus, ita charitas reliquis virtutibus supereminet, eademque nutrit & accendit fidem, & quasi lampadem ardere facit. A quo non discrepat id, quod August. dicit *oleum* esse lætitiam conscientiæ, seu intentionem, qua quis bonum facit: sola enim charitas est, quæ vero bono non laudibus hominum delectatur. Et quia charitas est mater operum vere bonorum, hinc eadem est ista interpretatio cum ea, quam dat Hieron. Hilar. Origen. Cyril. Nazianz. locis cit. quod *oleum* sint opera bona. Hoc ergo oleo caruerunt fatuæ in vasis, quia cum eis sufficeret lampades aliquo modo lucere coram hominibus, per exte nam pietatis speciem, operaque quædam sive ex timore, sive ex cupiditate rerum temporalium, aut laudis humanæ facta, non fecerunt provisionem *In vasis suis*, id est, in cordibus aut conscientia; provisionem, inquam, veræ & solidæ pietatis ac charitatis, ex qua bene operarentur, sicut prudentes fecerunt.

5. *Moram autem faciente sponso*, Christo scilicet differente adventum suum, ut

Au-

Auguſtin. & Chryſoſtom. Unde & Hieron. atque Hilar. moram iſtam volunt eſſe tempus pœnitentiæ, quod conceditur: *dormitaverunt omnes*, quod fit nictando; & *dormierunt*, id eſt, prorſus tandem in ſomnum inciderunt. *Dormitatio* ſunt ægritudines, quibus tenditur ad dormitionem: *Dormitio* vero ſeu ſomnus eſt ipſa mors fidelium. Unde Apoſtolus *Nolo vos ignorare de dormientibus.* Omnes ergo & prudentes & imprudentes virgines hoc jam dicto intervallo moriuntur.

6. *Media autem nocte*, qua ſumma quies homines occupat: id eſt, eo tempore, quo minime exſpectabatur. Unde Auguſt. tam Serm. illo cit. 22. quam lib. 83. Quæſt. Evang. qu. 79. & Epiſt. 120. quibus omnibus locis hanc parabolam ex profeſſo explicat, indicari ſimul putat obſcuritatem illius diei, de qua ante dixerat, quod de die illa & hora nemo ſciret. Hieron. vero & Chriſoſt. indicatum volunt, Chriſtum media & intempeſta nocte ad judicium venturum. *Clamor factus eſt*, a præcedentibus ſponſi comitibus Angelis, nempe clamor tubæ ac vocis illius magnæ, de qua Cap. præced. v. 31. ut ſentit Auguſt. Epiſtol. illa citat. Significatur enim ſignum aliquod evidentiſſimum, & præclariſſimum quod ante Domini adventum per totam mundi machinam perſonabit, & omnes e ſomno, hoc eſt, a mortuis excitabit.

Ec-

Ecce ſponſus, quem tamdiu deſideraſtis & exſpectaſtis: *venit*, præſentis temporis eſt, id eſt, jam adeſt. *Exite obviam* ei, ut eum excipiatis, ſicut decet.

7. *Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ*, per corporum reſurrectionem, & *ornaverunt lampades ſuas*, ſeu compoſuerunt & aptarunt illas, ut quæque potuit: hoc eſt, inquit Auguſt. Serm. 22. citat. pararunt ſe, ut Deo redderent operum ſuorum rationem. Diſcutiet enim tunc quisque, ut ait Auctor Operis imperf. fidem ſuam, conſiderabit opera ſua, interrogabit conſcientiam ſuam. In quo examine cum fatuæ ſe deficere ſentirent, ad aliorum auxilium confugerunt, dicentes:

8. *Date nobis de oleo veſtro*, quod ſcilicet in vaſculis vobiſcum tuliſtis, *quia lampades noſtræ extinguuntur*, deficientibus videlicet jam laudibus hominum, cæterisque cauſis, propter quas antea operibus nonnullis bonis lucere videbantur. Nam, ut Auguſt. citat. quæſt. 83. quorum facta aliena laude (& judicio) fulciuntur, eadem ſubtracta deficiunt, & de conſuetudine id ſemper inquirit animus, unde gaudere ſolet. Itaque hominum adjutorium implorant, eorumque, qui corda non vident, teſtimonium habere volunt apud Deum, qui cordis inſpector eſt. Sed

9. *Responderunt prudentes dicentes: Ne forte non sufficiat nobis & vobis*: nam in illo judicio trepidat etiam ipsa bona conscientia; vix enim sibi sufficit, ut sibi testimonium perhibeat, inquit Augustin. Quis enim gloriabitur mundum se habere cor? Unde non desperationis, sed piæ humilitatis ista prudentium vox fuit. Ista vero, *Ite potius ad vendentes & emite vobis*, non consulentium, sed irridentium est responsio: ut etiam hoc Augustin. notat: quasi dicerent, Ante tempus fuit & parandi olei, & juvandi vos, nunc est serius: ite nunc ad eos, quorum vel lampades, vel gratiam, vel judicium, vel aliud quid quærebatis, ut coram hominibus lucere videremini.

10. *Dum autem irent emere*, id est, dum anxiæ sunt de remedio, *venit sponsus*, ad domum sponsæ, & *quæ paratæ erant*, quantum ad lampades & oleum, id est, quibus bonum coram Deo testimonium perhibebat conscientia de fide non ficta & charitate sincera, seu operibus bonis, *intraverunt cum eo ad nuptias*, id est, domum & convivium nuptiale, gaudia scilicet æterna: & receptis omnibus, *clausa est janua*, nunquam scilicet in æternum aperienda: non enim, ut inquit Augustin. ibidem, post judicium patet precum aut meritorum locus.

11. *Novissime vero*, &c. cum jam emendi olei tempus præteriisset, in magnis

nis anguſtiis & afflictionibus conſtitutæ, redeunt ad implorationem Dei, dicentes: *Domine, Domine, aperi nobis.* Quæ ingeminatio magni affectus & anxietatis & pœnitentiæ, quamvis ſeræ, indicium eſt: nam tales fore tunc reproborum animos & affectus, teſtatur liber Sapientiæ cap. 5. verſ. 3. & ſeqq. ſicut & hic infra v. 44. Sed quia magna eſt ejus ſeveritas poſt judicium, cujus ante ineffabilis miſericordia prærogata fuit, hinc reſpondens ait:

12. *Neſcio vos*, id eſt, non habeo vos pro meis. Non enim quaſi ignoret, hoc dicit, ſed ex illa regula, inquit Auguſtin. quæſt. illa 49. qua non habet ars Dei, hoc eſt ſapientia Dei, ut intrent in gaudium ejus, qui non coram Deo, ex ſincera ſcilicet charitate, ſed vel ut placerent hominibus, vel ex timore, vel cupiditate rerum temporalium, viſi ſunt aliquid ſecundum ejus præcepta operari. Concludit igitur ſicut cap. præced. v. 42.

13. *Vigilate itaque*, ſcilicet in omnem diem & horam; hoc eſt, ut ibid. v. 44. ideo & vos eſtote parati ſemper, ſcilicet inſtructi lampade fidei, & oleo ſinceræ charitatis, ex qua opera bona pullulent, ne forte idem vobis contingat: *Quia neſcitis diem neque horam*, qua venturus eſt ſponſus ad judicandum & conſequenter ad nuptias celebrandum: quod

quia unicuique a morte incipit, hinc & illius diem & horam perinde neſcimus. Quiſquis igitur, inquit Auguſt. cit. qu. 59. paratus fuerit uſque ad ſomnum, id eſt, uſque ad mortem, paratus etiam invenietur, cum media nocte clamor factus fuerit, quo omnes evigilaturi ſumus. Ut autem Apoſtoli, & omnes intelligerent, quo pacto vigilare & ſe parare deberent ad illum noviſſimum diem, ſubjungit aliam parabolam.

14. *Sicut enim homo peregre proficiſcens*, &c. nam illa cauſalis particula indicat hanc parabolam eodem omnino ſpectare. Quia vero pendet oratio imperfecta, & nihil reſpondet illi voci, *ſicut*, hinc tali modo ſupplenda eſt: Sic enim ſe habet regnum Dei, *ſicut homo peregre*, &c. vel ſic agetur cum hominibus, cum judex ille venerit, ſicut ſi homo diſtribueret ſervis ad negotiandum bona ſua, & peregre profectus poſtea rationem ab eis repeteret, &c. *Homo* igitur iſte ſine dubio Chriſtus eſt, qui *peregre profectus* dicitur, propter viſibilem præſentiam ſubtractam Eccleſiæ, & in primis propter diuturnam quaſi ſuſceptæ alicujus peregrinationis abſentiam. *Et tradidit illis*, ſervis, *bona ſua*; non ut ea ſibi ſervarent, ſed ut ex eis negotiarentur, hoc eſt, lucrum facerent, videlicet profectum & augmentum regni Domini ſui. Per *Bona*, quæ inferius vocantur *Talenta*, quidam

dam intelligunt etiam naturale ingenium, cæteraque naturalia dona, ut Auguſt. lib. De vera relig. C. 5. & Ambr. in Luc. ſed ut apparet, nimis diffuſe; nam agi videtur hic de bonis, quæ Chriſtus proprie dat ſervis, id eſt, fidelibus ſuis: neque illa naturalia dantur ſecundum propriam virtutem, ut eſt verſu 15. Alii etiam intelligunt gratias gratum facientes, & comprehendunt charitatem cum fide & ſpe, dona timoris, fortitudinis, &c. Sed nec illa dantur ſecundum propriam virtutem; & verſus 27. convincit agi de donis, quæ in alios expenduntur. Itaque quamvis ad quælibet hujusmodi dona quadam affinitate hæc parabola extendi poſſit, proprie tamen & directe per *Bona* & *Talenta* intelligi videntur ea dona, quæ gratias gratis datas vocamus, quæ in utilitatem aliorum conferuntur, ut ſunt auctoritas, præfectura, ſacerdotium: cujusmodi enumerat Apoſtolus ad Epheſ. 4. v. 11. ut eſſe Apoſtolum, Prophetam, Evangeliſtam, &c. ac 1. ad Corinth. 12. ſermo ſapientiæ, ſcientiæ, fides, operatio virtutum, &c. ita Chriſoſt. & Hier. hic, & indicat Juſtin. contra Triphonem & Nazianz. Orat. 26.

15. *Et uni dedit quinque talenta*, ſcilicet auri vel argenti, de quo vide dicta cap. 18. v. 24. *Alii autem duo, alii unum.* Super qua numeri diverſitate multi di-

versa philosophati sunt; sed revera nihil aliud significari videtur, nisi varia esse dona Christi, nec omnibus æqualia committi, sed uni plurima, aliis pauciora, aliis pauciſſima & minima. *Unicuique secundum propriam virtutem*, Græce *dunamin*, id est, juxta potestatem seu vires, ut Hier. nempe naturales vel supernaturales: hoc est, non temere ea dedit, sed prout vidit quemque esse idoneum, peritum & industrium ad utendum, per quod non meritum donorum illorum, sed capacitas tantum significatur, quam plerumque Christus attendere solet, ut conferendo autoritatem prædicandi, regendi, &c. illis, qui per aliud ejus donum præstant prudentia, eloquentia, vel scientia, &c. Nam si qui forte inepti in Ecclesia similem auctoritatem obtinent, non tam eis Christus illam sua voluntate dedit, quam ipsi sibi eam importunitate rapuerunt. *Et profectus est statim*, ut absente Domino magis uniuscujusque libertas ac diligentia quasi extra oculos Domini probaretur.

16. *Abiit autem, qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis*, id est, negotiari cœpit per ea, seu expendere dona Christi in salutem proximorum, & gloriam Domini sui, *& lucratus est alia quinque*, id est, duplum, quod in rationibus mercatoris maximum lucrum est; quasi dicer, insigni diligentia atque industria

donis

donis uſus eſt, ita ut fructum proferret uberrimum.

17. *Similiter & qui duo acceperat:* nam & mediocribus donis prædiți, imo & minimis, poſſunt ſummum fructum facere, pro modulo doni ſibi conceſſi:

18. *Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram.* Apud Luc. dicitur ligaſſe in ſudario, per quæ duo Auguſt. loco citato intelligit terrenis voluptatibus vel delicatis ac ſuperfluis rebus involutum gerere; quod videtur ad allegoriam accedere: nam ex exprobratione Domini verſu 27. colligitur, nihil aliud eſſe, quam ex puſillanimitate vel inertia otioſum hærere, ſeu gratiam Dei in vacuum accipere, ut loquitur Paulus 2. Corinth. 6. nempe donum Dei ad negotiationem ſalutis aliorum, & gloriæ Domini promovendæ non producere, cum deberent. Quamquam enim etiam lucrari duplum poſſit, qui unum talentum accepit, & otiari ille, qui quinque; exempli tamen cauſa iſta ponuntur, ut inde intelligatur, quanto magis improbandus ſit ille, qui ſi quinque talenta, vel duo acceperit, ea defodiat; & probandus, qui unum, id eſt, minima accepit, illud tamen lucrando duplicaverit.

19. *Poſt multum vero temporis*, præſentis videlicet totius ſæculi decurſum: inſinuatur enim tempus a Chriſti aſcenſione, inquit Hieron. uſque ad judicium,

& simul longanimitas Domini expectantis. *Venit Dominus & posuit rationem cum eis*: nam, ut Gregr. Hom. 9. in Evang. cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Cui enim multum datum est, multum petetur ab eo. Ea quippe lege data esse indicat hic aperte Christus, ut non sint simpliciter nostra, sed ut eorum reddenda sit ratio.

20. & 21. *Et accedens*, &c *Ait Dominus*, tam ei, qui alia duo, quam qui alia quinque, præter accepta, superlucratus fuerat: *Euge serve bone*: Græce (*eu*) *Bene & Recte*: unde Latinum *Euge* formatum est, vox laudantis & congratulantis de bene functo officio: *& fidelis*, (*E*) exegeticum est, quasi dicer bone in eo, quia fuisti fidelis, non tua scilicet, sed domini lucrum quærens, *Super pauca*, quæ tuæ fidei concredita fuerant. Nam dona quamvis maxima sint & plurima hujus vitæ, comparatione futurorum, inquit Hieronym. parva & pauca sunt. *Super multa te constituam*, quod supra c. 24. v. 47. dixerat, *super omnia bona sua constituet eum*, administranda scilicet & possidenda: erit enim coheres Christi, & heres Dei, id est, infiniti boni & gaudii ejus. Unde explicans id quod dixerat, addidit: *Intra in gaudium Domini tui*, id est, sis ejusdem gaudii particeps cum Domino tuo, & consequenter ejusdem possessor regni, gloriæ & afflu-

en-

entiæ; nam gaudium eſt quies animi de poſſeſſo bono: unde hoc verbo, ut vult Chryſoſt. univerſam beatitudinem ſignificat. Obſervat autem Auguſt. Tract. 25. in Joann. dictum eſſe, *intra*, quia intus in animo eſt magnum penetrale, & dulce ſecretum ſine tædio, ſine amaritudine multarum cogitationum, ſine interpellatione tentationum ac dolorum, ubi de iſto intimo ſecretiſſimoque bono gaudetur. Adde, intrari, quia Deus major eſt corde noſtro. Qui autem unum acceperat, ait:

24. *Domine ſcio, quia homo durus es*: id eſt, noveram te eſſe ſeveriſſimum in exigendis iis, quæ tibi quoquo modo deberi putas, imo quaſi raptorem eorum, quæ non debentur, quia *metis, ubi non ſeminaſti*, &c. & conſequenter ubi nihil tuum eſt. Videtur enim adagium fuiſſe, de hominibus avariſſimis, quibus bonus eſt odor lucri ex re qualibet. Depingitur autem hic ſymbolice excuſatio multorum, qui pigritiæ ſuæ cauſam tum hic, tum in futuro judicio in Deum conjicient, ut quod Deus nimis ſeverus & intractabilis ſit, cui ſit ſervire difficile; qui reprobet, quos voluerit; qui graviora jubeat, quam imbecilla hominis natura ferat; qui gratiam obediendi neget, & ita vult metere, ubi non ſeminavit, & ſimilia.

25. Hac itaque indole tua conſiderata, *timens*, varios negotiandi caſus, ne

forte scilicet vel nihil assequendo lucri, vel minus, quam speres, vel ipsam sortem amittendo te offenderem: *Abscondi talentum tuum in terra*, ut tibi sine periculis totam sortem tuam salvam servarem, id est, nolui mihi rem esse cum tua negotiatione tam periculosa. *Ecce habes quod tuum est*; quasi dicer. Non habes, quod de me conqueraris, aut amplius postules.

26. *Respondens autem Dominus, dixit ei: Serve male*, in calumniando & accusando Domino tuo, ut te excuses, *& piger*, in negotiando, *sciebas, quia meto, ubi non semino*, &c. id est, si noveras duritiam & avaritiam illam meam, ut metam, ubi non seminavi, quare non istiusmodi cogitatio, inquit Hieronymus, tibi incussit timorem, ut scires & verereris, me mea multo diligentius repetiturum, nempe exigendo id a te, quod tibi ad erogandum aliis, id est, ad negotiandum, dederam? Loquitur enim, non quasi concederet, calumniam esse veram, sed juxta opinionem servi retorquet argumentum. Unde in simili parabola apud Luc. cap. 19. v. 22. dicitur, *De ore tuo te judico, serve nequam.*

27. *Oportuit ergo*: quasi dicer. Si meto, ubi non semino, quanto magis metere volo, ubi seminavi, dando tibi pecuniam meam, ut per te cresceret. *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummula-*

mulariis, id eſt, fœneratoribus, qui nummos accipiunt ab hominibus pecuniosis, promisso certo lucro, ut eos aliis mutuando multo plura lucrentur. Est autem via ista lucrandi tutissima & facillima: unde taxatur hic servus, quod ne tantillum quidem industriam adhibuerit ac tentaverit, ad afferendum aliquid lucri v. g. proximos monendo, consulendo, fraterne corripiendo, &c. Sed quia homines dicere solent: non obtemperassent mihi, nihil profeciſſem, & similia, respondet Dominus: Nihil hoc ad te, tuum erat pecuniam meam aliis credere. *Et veniens ego*, reversus scilicet peregre ad audiendas omnium rationes; *recepiſſem utique*, seu recuperassem a fœneratoribus id, *quod meum erat*, *cum usura*, hoc est, lucro.

28. *Tollite itaque ab eo talentum*, omnibus Spiritus sancti donis eum spoliando: & *date*, similia dona, non jam ad fructificandum in aliis, sed ad gaudii, honoris & gloriæ cumulum, *ei*, *qui habet decem talenta*: sic enim Sancti in cœlo omnis generis dotibus fulgebunt, ut omnia reproborum dona in ipsos transfusa videantur. Hic ergo non tam verbis quam rebus ipsis refutat calumniam servi pigri, dum neque talentum seu sortem, neque lucrum cujusquam servi in suam, sed in ipsorum salutem & gloriam vertit.

29. *Omni enim habenti*, id, quod debet habere; ſub quo hic proprie uſus bonus donorum Dei intelligitur. Unde Auguſt. *Omni habenti*, inquit, id eſt, bene utenti, id, quod habet, *dabitur* adhuc amplius remunerationis loco, *& abundabit*, &c. Vide dicta cap. 13. v. 12. De tenebris vero exterioribus, fletu, & ſtridore ſervi inutilis ſeu otioſi, id eſt, qui propter ſolam inertiam, ſeu negligentiam utendi donis Dei ſibi conceſſis, reprobatus eſt Vide c. 8. v. 12.

31. *Cum autem venerit Filius hominis.* Hic jam incipit gratifice & magnifice depingere ipſam formam, qua cum ſervis ſupradictis rationem poſiturus eſt, hoc eſt, ipſum illum adventum & judicium deſcribere, ad cujus perpetuam exſpectationem variis parabolis vigilantiam noſtram excitaverat. *Cum ergo venerit*, ſeu apparuerit mundo, *Filius hominis;* eadem ſcilicet hominis forma, qua nunc apparet contemptibilis, ſed tunc *in majeſtate ſua*, Græce (*en te doxe*) *in gloria*, quæ ei tamquam Filio debetur: *Et omnes Angeli*, omnes omnino cœlis evacuatis, inquit Chryſoſt. idque viſibili forma, ut ſupra ex Greg. audivimus, *cum eo*, partim honoris, partim miniſterii, partim teſtimonii cauſa de geſtis hominum, quibus adminiſtratorii ſpiritus fuerunt. Poſt biduum ergo Paſcha facturus & paſſurus præmittit gloriam tri-

um-

umphantis, ut animos discipulorum tacite præmuniret & scandalum crucis compensaret, ut notat Hieron. *Tunc*, referendum hoc ad omnia sequentia, *sedebit, congregabuntur, separabit, statuet*, &c. *Sedebit super sedem maiestatis suæ*: Græce (*epi thronu doxes autu*) *super thronum gloriæ suæ*, id est, glorioſum & regium tribunal, quod jam nemo contemnat. Hanc ſedem Orig. vult eſſe Sanctorum virtutes: Auctor operis imperf. & Beda Eccleſiam jam glorificatam: alii Angelos, qui peculiariter dicuntur *Throni*; quæ omnia ad allegoriam videntur accedere. Rectius fortaſſe nubes illuſtriſſima & gloria, cum qua venturus promiſſus eſt, & per quam olim Deus majeſtatem ſuam declarare ſolebat.

32. *Et congregabuntur ante eum*: in locum ergo definitum, contra Origin. nam ſi ſparſi per mundum remanent, non congregantur. Locum iſtum Hilar. Can. 23. putat eſſe paſſionis, alii aſcenſionis, montem ſcilicet Olivarum, ex Zachar. 14. v. 4. qui forte de alia re loquitur: alii Vallem Joſaphat, ex Joëlis 10. v. 2. & 12. ubi certum eſt de judicio agi. Sed revera omnes iſti conveniunt: nam inter montem Olivarum & Calvariæ Vallis Joſaphat & antiqua Jeruſalem interjecta eſt; ita ut judice ſuper montem Olivarum, unde deſcendit, iterum aſcendente, Vallis iſta Joſaphat, & Jeruſalem, & mons Calvariæ in conſpectu ſint;

Val-

Vallis autem Gehennon, quæ inferni eſt typus, ad ſiniſtram. Neque quemquam anguſtia loci moveat: electi enim rapientur obviam Chriſto in aëra, reliqui erunt in illa valle in circuitu, ut dicitur citat. cap. 3. Joëlis verſu 12. ut Jeruſalem ſit teſtis predicationis, mons Calvariæ paſſionis, Oliveti aſcenſionis, loca in circuitu laborioſæ converſationis. *Omnes gentes*, ita ut comprehendat etiam omnium gentium & ætatum homines, contra aliquos, qui ſolos Chriſtianos judicandos putarunt. *Et ſeparabit eos ab invicem*; non gentes integras, quod præceſſit, ſed homines ſingularium gentium, miniſterio ſcilicet Angelorum, ut capite 13. verſu 49.... *Sicut paſtor*, veſperi reverſus ab agro, *ſegregat oves ab hædis*; qui mixtim toto die in agro, ſicut boni & mali in mundo, paſti fuerant, ut tunc tandem in diverſis ſtabulis collocentur.

33. *Et ſtatuet, oves quidem a dexteris, & hædos a ſiniſtris*: id eſt, illos loco honoratiori, hos abjectiori, quicumque ille locus fuerit. Nam cum Paulus ſit teſtis, electos in aëra rapiendos, veriſimile eſt, reprobos in terra manſuros. Porro *Oves* vocantur boni ſeu electi, propter manſuetudinem, patientiam, ſimplicitatem, & innocentiam, ut Chryſoſt. item propter fructum, quem adferunt, ut Hilar. Theophyl. *Hædi* vero reprobi, ut idem Chryſoſt. propter libidinem,

qua

qua fervent, præ cæteris animalibus, propter rixas, itemque gulam, ob quam non recta via, ſed per præcipitia ſolent incedere: adde in primis propter fœtorem & immunditiam vitæ.

34. *Tunc dicet Rex.* Ante deſcriptam majeſtatem ſe Filium hominis dixerat, nunc regem, quia Regis eſt regnum donare, & ab eo proſcribere, ſalvare ac damnare. Ac primo quidem dicet, *his, qui a dextris ejus erunt*, quia ſponte benefacit, invitus punit; ideo promior ad ſalvandum, quam ad damnandum. *Venite*, id eſt, mihi vos jungite, æterni regni jam poſſeſſori; invitatio eſt enim teneri affectus & favoris. *Benedicti Patris mei*, ſeu a Patre meo, ad quem omnia ſua Chriſtus referre ſolet, hoc eſt, quibus, benedixit Pater meus, cujus benedicere non eſt aliud quam benefacere. Datur enim tacita ratio, cur ad ſe venire, & ad regnum poſſidendum invitentur, nempe amor & favor Dei Patris, qui auctor fuit & electionis & prædeſtinationis, & beneficæ benedictionis ipſorum, ſive omnium beneficiorum, quibus ad ſalutem perducti ſunt. *Poſſidete*, Græce *kleronomesate*, hereditate, ſeu hereditario jure & ſtabiliter accipite: nempe, ut Chryſoſtom. quaſi proprium, quaſi paternum, quaſi veſtrum, ut filii patris, heredes ejus, coheredes mei, qui titulus hereditatis in filiis adoptivis nullo

modo excludit merita. *Paratum vobis*, seu præparatum, id est, prædestinatum, non quodlibet bonum, sed *regnum* cœlorum, cujus complexu tota beatitudo comprehenditur: regnum, inquam non nuper paratum, sed *a constitutione mundi*. Apostolus nos electos dicit, ad Ephes. 1. ante constitutionem mundi: plus ergo significat quam dicit, ut scilicet per longissimum rei creatæ spatium æternitatem captui hominis infirmo insinuet.

35. *Esurivi enim*. Causa datur non verbi *paratum*, sed *possidete*, id est, non præparati, seu prædestinati regni; neque enim propter opera eis prædestinatum fuit: sed jam jam possidendi, quia propter opera velut merita electis reipsa regnum conferetur. Quem esse hujus loci sensum probat manifeste versu 41. & 42. ubi similiter propter opera ipsa reprobi damnabuntur. Cum ergo præparatio regni, seu prædestinatio sit causa benedictionis divinæ, & bonorum operum, seu meritorum, sensus videtur huc redire: Regnum quod vobis ab æterno prædestinatum fuit, reipsa jam occupate, eo quod curaveritis, ut isti prædestinationi divinæ, bonis moribus & operibus responderetis, & aptaremini, seu, ut S. Petrus dicit, quia satis egistis, ut per bona opera certam vestram electionem faceretis. Itaque *Esurivi*, in membris meis. Tota enim Ecclesia, & Christus tam-

tamquam caput ejus, unum eſt completum corpus, in quo fit capiti, quod corpori fit, & contra. Quod Auguſtin. explicat ſimilitudine corporis humani, ubi ſi pes calcatur, lingua clamat, calcas me. Hinc Paulo Chriſtus, Eccleſiam, ſeu corpus ejus perſequenti, *Quid me perſequeris?.... Et dediſtis mihi*, Regi veſtro fame preſſo, *Manducare*: tacite enim datur ratio, cur hujusmodi opera tantum præmium, regnum ſcilicet, mereantur, quia tanto Regi iſtius regni facta ſunt: nempe non ſolum, quia intuitu ejus facta ſunt, ſed ipſimet in membris ejus: in quo mirabilis elucet benignitas Dei. Exprimit enim hic Chriſtus unam tantum ſpeciem bonorum operum ſcilicet miſericordiæ, loco omnium, quemadmodum in exemplis fieri ſolet. Non enim erit una omnino cauſa ſalutis, vel perditionis omnium, quemadmodum jam ſupra patuit ex parabola de talentorum uſu, vel neglectu; ſed diverſa diverſorum, quæ Chriſto ſive pronuntiante, ſive revelante ab omnibus reſpectu ſingulorum cognoſcetur. Fiet enim, inquit Auguſt. lib. 20. de Civit. cap. 14. virtute divina, ut cuique opera ſua, vel bona, vel mala cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuſet, vel excuſet, ſcientia conſcientiam. Et hoc ſenſu Apocal. 20. v. 12. dicuntur libri aperti.

ti. Sed quare iſta ſpecies operum præ cæteris hic exprimitur? Partim, quia opera dilectionis proximi & facilia ſunt, & obvia, & ad omnes omnino fideles ſpectant, quibus inculcanda erant; nam hac etiam de cauſa ſolorum fidelium judicium deſcriptum eſt. Partim ut inde colligeremus, quanto præmio opera ſublimiora remuneranda ſint. Partim denique, juxta Auguſt. in quodam Serm. de Eleemoſ. quia, ut Scriptura dicit, *Judicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecit miſericordiam.* Nulli enim ibunt in regnum, inquit, quia non peccarunt, ſed quia peccata ſua redemerunt eleemoſynis.

Hoſpes eram, id eſt, peregrinus ſine domicilio in terra aliena, *& collegiſtis me*, id eſt, in hoſpitium induxiſtis.

36. *In carcere eram, & veniſtis ad me*, ſive ad redimendum, ſive ſaltem ad conſolandum. Ad hæc dilectionis opera reducenda ſunt alia multa, quæ Chriſtus non expreſſit, ſive corporalia, ut ſepelire mortuos, ſive ſpiritualia.

37. *Tunc reſpondebunt ei juſti:* illi maxime, qui Chriſtum numquam in carne viderunt. Reſpondebunt autem non tam ore, quam animo, quia viſa tanta judicis humanitate, quam niſi his verbis edocti, numquam fuiſſent auſi ſibi arrogare, incidet eis in mentem cogitatio de rei tam inſolitæ veritate. Similiter quoque uniuſcujusque cogitationi

40.

40. *Respondens Rex dicet*, &c. *quamdiu*, Græce (*eph oson*) *in quantum*, seu quatenus, *feciſtis uni ex fratribus meis*, utpote filiis quoque Dei licet adoptatis, *minimis*, utpote pauperibus, & qui propter inopiam, atque afflictionem tali subsidio indiguerunt. Quos *minimos* vocat, ut Origen. notat, tum quod in oculis suis essent humilitate minimi; tum quod mundo etiam Christiano despecti. Ubi merito ponderat Auctor Operis imperfecti extremam Christi benevolentiam, qui etiam in throno suæ majestatis sedens contra mores hujus mundi non erubescit pauperes non modo pro suis, sed & pro fratribus agnoscere. *Mihi feciſtis*, id est, perinde habeo, ac si mihi esset factum indigenti; imo *mihi*, quia intuitu mei & membro meo. Docet enim his verbis tacite, qua consideratione eleemosynæ nostræ fieri debeant pauperi, & animus ad eas excitari, nempe considerando afflictum non modo tamquam pauperem, sed tamquam Christianum, filium Dei, fratrem & membrum Christi sicut supra diximus c. 18. v. 5. *in nomine meo*, & cap. 10. versu 42. *in nomine discipuli*, & hic *mihi*.

41. *Tunc dicet & his, qui a sinistris erunt:* post absolutam pro electis sententiam, quibus dixerat, *Venite*, dicet reprobis: *Discedite a me*, qui sum justitia, vita, salus, beatitudo, summum bonum;

discedite videlicet tamquam mihi prorsus dissimiles: quos, ut Auctor Operis imperf. propter immunditiam & horrorem vix tamdiu sustineam, quamdiu in judicio meo statis. His ergo verbis pœna damni infligitur; sequentibus pœna sensus. *Maledicti*: non addit *Patris mei*, sicut justis dixerat, quia maledictionis, ut Chrysost. & Orig. notant, auctor non est Deus, sed uniuscujusque improbitas; *in ignem æternum*, id est, supplicium ignis nullo fine terminandum, prout fides habet, & Augustin. defendit adversus errorem Origenis & Priscillianistarum, libro adversus illos scripto cap. 5. & 6. & patet hic ex v. ult. Nomine *Ignis*, tamquam efficacissimæ & summopere penetrantis activitatis, omnes omnino pœnæ sensibiles comprehenduntur. *Qui paratus est*, non hominibus, aut vobis, sed *diabolo*, omnium reproborum spirituum principi Lucifero puniendo, *& Angelis ejus*, dæmonibus cæteris, qui Angeli ejus vocantur, tum quod ab eo seducti apostatanti a Deo, inhæserunt, tum quod in eos veluti natura & improbitate subditos, imperium tenet, eis utens velut ministris ad hominum perditionem. Diabolo autem & Angelis ejus, non hominibus, paratum ignem dicit, quia ante peccatum, imo creationem hominis, diabolo puniendo paratus fuit: homini vero non nisi consequenter, & post contemp-

emptam pœnitentiam, quia ſe perſeveranter diaboli conſortem fecit. Itaque continetur his verbis gravis exprobratio, quod ſcilicet contempta ſalute, per Evangelium ſuum oblata, diabolo ad ignem damnato potius, quam ſibi adhærere maluerint, cum tamen ipſis licet peccantibus iterum regnum ſuum obtuliſſet.

42. *Eſurivi enim & non dediſtis*, &c. Sola peccata omiſſionis, & quidem operum charitatis eis imputat: idque partim, quia illa a pleriſque parvi fieri, imo nec peccata haberi ſolent. Unde, ut Auguſt. in quodam Serm. de eleemoſyna, tacite ſenſus eſt: Non pro criminibus tantum, quæ & vos agnoſcitis, vos condemno, ſed etiam quia *eſurivi, & non dediſtis mihi manducare*: partim quia, ut ibidem notat, per illa opera multi liberari potuiſſent, aliorum peccatorum rei, ſi eleemoſynis ea redemiſſent: partim denique, quia ſub illis facile graviora commiſſionis peccata, & judicium eorum intelligi poteſt. Quam enim ſpem habere poſſunt, qui mala faciunt, quando illi perituri ſunt, qui bona non faciunt? ut Auguſt. Serm. 38. de Sanctis.

44. *Tunc*, cum longe aliter ſentient ſua opera & non opera ponderari, quam cogitaverant, & ſe etiam contempti ipſius judicis argui, *reſpondebunt ei & ipſi, Domine, quando te vidimus*, &c. Reſpondebunt hoc ex inveterata illa ſuperbia videlicet non tam

discendi, quam negandi causa; neque tam se excusando, quam judicem accusando, quasi immerito hoc scelus illis imputantem. Unde Auctor. imperf. In judicio stant, & adhuc peccare non cessant. Utrique ergo & electi & reprobi dicunt eadem verba, sed dispari affectu. Utraque enim & humilitas & arrogantia putat se non feciſſe, quod fecit: illa enim bonorum suorum ignara est, hæc malorum.

46. *Et*, id est, itaque, *ibunt hi*: quasi dicer. Itaque istæ sententiæ judicis non inanes erunt, sed nulla pœnitentia mutandæ, nulla appellatione suspendendæ, mox sortientur effectum suum, ut hi eant *in supplicium æternum*: Græce *kolasin*, quod proprie non ignem, vel rem affligentem, sed ipsam affictionem, pœnam aut cruciatum denotat: Unde August. serm. 14. de verbis Apostoli, & lib. de spiritu & littera cap. 33. legit *ambustionem*. Significatur ergo isto verbo, ut idem notat lib. de fide & operibus cap. 15. ubi legit *combustionem*, non solum locum supplicii, vel ignem, sed ipsam operationem ignis æternam in eos futuram, quotquot a sinistris fuerint. Unde & ille refutat illos, qui putabant aliquos v. g. parvulos in ignem quidem, vel locum ignis æterni ituros, ita tamen ut ab illo non affligantur, ut ita æternitas ipsius cruciatus enervetur.

Ju-

Juſti autem in vitam æternam, ſine fine fœlicem, ut exponit Auguſt. lib. 6. de civit. cap. ult. Nam ſi anima vivit in pœnis æternis, mors potius illa eſt dicenda, quam vita: nulla quippe major & pejor eſt mors, quam ubi non moritur mors. Cum autem anima, quia immortalis, ſine qualicumque vita etiam in pœnis eſſe non poſſit, ſumma mors ejus eſt alienatio a vita Dei in æternitate ſupplicii, prout ibidem explicat Auguſtinus. Unde ipſa beatitudo æterna creaturæ rationalis, vocatur vita æterna, phraſi Scripturis propria, ut idem tradit 14. de civit. cap. 11. Hac ergo ſententia, ſicut explicat, quid ſit regnum illud Sanctis paratum ſcilicet vita æterna, ita & quid ſit ignis diabolo paratus, ſcilicet ſupplicium ſeu cruciatus. Utrumque autem perinde æternum dici, notat Auguſtinus cap. 6. contra Priſcillianiſtas, & Origeniſtas erga diabolum miſericordes, ne, inquit, cum diaboli pœnas dolemus, etiam de regno Chriſti dubitemus. Si enim falſa minatus eſt Chriſtus, ut ab injuſtitia corrigeret, etiam falſa pollicitus eſt, ut ad juſtitiam provocaret, ſicut addit Greg. 4. dialog. cap. 44. Quomodo autem poſſint damnati eſſe in perpetuis ignis pœnis, & tamen ſemper vivere, vide Auguſt. explicantem lib. 21. de civit. c. 3.

CAPUT XXVI.

1. *Cum consummasset Jesus sermones hos omnes*, de excidio templi, urbis orbis, suoque adventu & judicio: quamquam non desint, qui omnes sermones hactenus in hoc libro scriptos intelligant, ut indicetur Christum hactenus egisse doctoris officium, nunc aggredi redemptoris. Dixit: *Scitis quia post biduum Pascha fiet*, scilicet prima dies azymorum, ut ex Marco patet, tamquam festum omnibus publice notum. Dixerat autem Christus præcedentes sermones jam egressus Jerosolymis sub vesperam; igitur in fine feriæ tertiæ. Post illam sequitur biduum ante Pascha, feria scilicet quarta & quinta, in cujus fine agnus immolabatur, & sequebatur eam feria sexta, solemnissimus Paschatis dies. *Pascha* vox est Chaldaica, quæ Hebraice (*Pesach*) dicitur, id est, *Transitus*, seu potius *Transultus*, a (*Pasach*), *Transilire*. Hinc illa vox proprie, & ante omnia significat illum transitum, seu transultum, quo Angelus percutiens primogenita, domos Hebræorum sparsim positas, & illitas agni sanguine, transiliebat, & irruebat in domos Ægyptiorum; ista enim ratio redditur Exodi 12. v. 23. Inde transfertur ad significandum ipsum agnum

num Paſchalem, veluti victimam illius tranſitus, ut ibidem v. 31. & 34. Et Lucæ 22. v. 7. diem, in qua neceſſe erat occidi Paſcha, & ulterius diem feſtum in memoriam tranſitus inſtitutum, ut hoc loco, ſicut patet ex Lucæ 22. v. 1. Denique ſignificat varias hoſtias, illo & ſequentibus diebus immolandas, ut patet Deuteron. 16. v. 2.... *Et filius hominis*, illo die, *tradetur* Gentibus, a Judæis, ſicut jam aliquoties prædixerat, ut cap. 20. v. 19. quamvis & traditio Judæ hic intelligi poſſit. In primo ſenſu illud, *ut crucifigatur*, ſignificat finem, in ſecundo tantum eventum. Hac ergo prædictione etiam diei paſſionis ſuæ præmunit diſcipulos, ne ſcandalo crucis turbarentur; ne putarent eum rerum remotiſſimarum eſſe conſcium, & ſibi impendentium ignarum; ne ſuſpicarentur eum invitum pati, ſed potius ſcirent, eo ſe occidendum die, quo ipſemet vellet, non quo Judæi vellent, cum ipſi diem iſtum ſtudioſe vitarent, ut ſequitur v. 5.

3. *Tunc*, nempe ſub idem tempus, quo mortem prædixit: hoc enim concilium ſacerdotum congregatum fuiſſe contra Chriſtum poſtridie mane, ſeu feria quarta ſequente tradit Auguſt. epiſt. 86. in fine. Itaque tunc vehementius irritati præcedentibus ejus concionibus, *congregati ſunt principes Sacerdotum*, id eſt, primarii ſacerdotum, de quibus diximus

cap. 2. v. 4.... *Et seniores populi*, qui populum judicabant, & regebant in civilibus. Marcus & Lucas addunt, *Scribas*, id est, Legis peritos ac doctores. Ex quibus omnibus constitisse videtur magnum illud synedrion, penes quod erat summum judicium apud eos de religione, præsidente summo Pontifice. Unde hic additur, *in atrium*, Græce *(eis ton aulon) in aulam*. Atrium tamen proprie significat locum subdialem, Latini *Cortem* dicunt in ipso aditu domus, ut patet v. 69. quamvis hic synecdochice posset pro ipsis ædibus sumi. *Principis Sacerdotum*, id est, summi Pontificis: *Qui dicebatur*, cognomine, *Caiphas* vel *Caiaphas*, ut eum nominat Josephus lib. 18. Antiq. cap. 3. ubi dicit nomen ejus fuisse vocatum Josephum Caiapham, qui Pontificatum acceperat a Valerio Grato Judææ præside.

4. *Et consilium fecerunt*, seu ceperunt unanimi consensu. *Ut Jesum dolo tenerent*, id est, per insidias & fraudulenter atque inscio populo caperent. Causam dat Lucas, *quia timebant plebem*, ne, si aperta vi eum caperent, seditio populi Jesu faventis contra se oriretur. Jam enim aliquoties conati fuerant eum palam apprehendere, imo mandatum dederant, Joan. 11. v. 46. sed res non successerat. *Et occiderent*; etiam palam tempore opportuno.

5.

5. Eodem itaque timore plebis, *dicebant*, id est, statuebant, & concludebant etiam hoc; *Non in die festo*, supple, occidatur: nam de clancularia captione non ita erant solliciti: Græce est (*me en te eorte*) *Non in festo*, scilicet Paschæ jam instante, sub quo potissimum intelligitur prima dies azymorum, tum quia solemnissima; tum quia maxime a populo frequentata. Cæteri die usque ad septimam non erant populo festi: quamquam non male intelligi possunt omnes dies Paschales, quod erat unum festum septem diebus durans, ultra quod volebant rem totam differri. Simili modo servavit Herodes Petrum, volens post Pascha producere eum populo, Act. 12. v. 3. & 4. *Ne forte tumultus fieret*, Græce (*genetai*) *fiat*, & sic appositè sunt verba Judæorum. Noster vertendo, *fieret*, accepit tanquam verba Evangelistæ. *In populo*, adversum se concitato: sciebant enim multos in eum credere, multos ut prophetam, ut benefactorem venerari, vix quemquam ei adversari, multos ex Galilæa ejus patria confluxuros; denique verebantur, ne facinoris istius fœditas die illo festo commissa, quo noxii solebant dimitti, populo displiceret. Adde tantam fuisse pronitatem Judæorum ad seditiones in festo Paschatis, ut Josephus testetur in hujusmodi solemnitatibus Romanos fuisse militarem manum adhi-

bere ſolitos, ut tumultus populares impedirent. Itaque his verbis indicant, niſi timuiſſent populum, nihil veritos fuiſſe etiam in eundem diem Paſchatis cædem ejus decernere, ſicut & paulo poſt, oblata opportunitate Judæ proditoris, & metu populi, velut inani evaneſcente, reipſa factum eſt: Deo videlicet, non ipſis, eligente diem, horam, locum, modum quibus illa victima debebat cædi.

6. *Cum autem Jeſus eſſet in Bethania*, vico Mariæ Magdalenæ & Lazari, ubi hoſpitari ſolebat, ultra montem Oliveti, ad radices ejus, ut ſupra, *In domo Simonis leproſi*: ita cognominati non a lepra, qua jam tum laboraret; quia propter immunditiam non potniſſet cum populo verſari, nec populus cum ipſo: ſed quia fortaſſis lepra ſanatus fuerat, vel ea ipſe vel aliquis ex majoribus laboraverat. Nam hujusmodi nomina, ut *Rufus*, *Niger*, *Barbatus*, &c. imponi ſolent etiam poſteris familiæ ab aliquo progenitore. Porro Matthæus non ſequitur hic ordinem temporis & hiſtoriæ: conſtat enim ex Joan. 12. ubi eadem hiſtoria narratur, contigiſſe hoc ante triduum, hoc eſt, quinque vel ſex diebus ante Paſcha. Redit igitur Matthæus ad id, quod prætermiſerat, ut ita pateret, qua ex occaſione Jeſus per Judam avariſſimum proditus, ac dolo tentus, & conſilio muta-

te

to in die festo occisus fuerit: liquet hoc ex v. 14.

7. *Accessit ad eum mulier*: Joan. cap. 12. *Mariam* vocat, scilicet Magdalenam, sororem Lazari, qui simul mensæ accumbebat, & Marthæ, quæ suo more ministrabat. *In domo Simonis*, tamquam vel vicini, vel consanguinei, vel amici, vel, ut Joan. versu 2. insinuat, communi omnium nomine parantis Domino solemnem cœnam, gratitudinis scilicet, & amicitiæ causa: *habens alabastrum*, id est, pyxidem unguentariam ex alabastrite lapide, quem inquit Plinius lib. 36. cap. 8. in princ. cavant ad vasa ungueutaria, quoniam optime ea servare incorrupta dicitur Unde Tullius 2. Academ. *Quibus etiam alabaster plenus unguenti patere videtur.* Idem Plinius cit. lib. cap. 7. scribit lapidem illum vocari quoque Onychem, quia colorem & levitatem habet unguis humani. Unde illud Horatii lib. 4. Carm. Ode 12. *Nardi parvus onyx eliciet cadum*, scilicet vini a me. *Unguenti.* Mixtura est ex liquoribus herbarum odoriferis, cujusmodi multas mixturas tradit Plinius lib. 13. c. 1. 2. & 3. ubi scribit postea etiam spissa esse facta unguenta, ita ut lini, & non solum perfundi possent. Perfusio ista non maculabat, sicut nec aquæ rosaceæ & similium, eo quod non esset mixtum oleum, sed nudi

di liquores fragrantiſſimi, quibus utebantur, tum valetudinis cauſa, tum potiſſimum ad luxum, ut loco cit. Plinius... *Pretioſi*, Græce *Barytimoy*, id eſt, *gravis pretii*: ubi ſimul videtur reſpici partim ad pondus ejus: erat enim, ut Joan. integra libra: partim ad pretium materiæ, unde conſtabat. Teſtis eſt autem Marcus fuiſſe, *Nardum ſpicatum*, id eſt unguentum nardinum ſpicatum, ſeu ex ſpicarum nardi liquore factum. Non quod ex eo ſolo conſtaret, ſeu quod illa herba eſſet principalis in unguentis, ut loquitur Plinius lib. 12. cap. 12. ubi præſtantiſſimum in noſtro orbe nardum dicit eſſe Syriacum: cacumen ejus in ariſtas, ſeu ſpicas ſe ſpargere, ideoque gemina dote nardi ſpicas & folia celebrari. Hinc ergo ortum eſt duplex *Nardum*, ſeu unguentum nardinum, ſcilicet *ſpicatum*, ex ſpicis nardi, quod præſtantiſſimum erat, & *foliatum*, ex foliis. Pro *ſpicato* autem eſt apud Joan. *piſtici*, a (*piſtis*) *fides*, quaſi dicer. *fidelis*, ut indicetur fuiſſe unguentum ſincerum, ſine dolo, & non adulteratum, ut Hieron. quanquam ſic potius *Piſti* dicendum fuiſſet. Facillime enim adulterari potuiſſe unguentum nardinum, tum pſeudo-nardo, quæ noſtra *Lavendula* putatur eſſe, tum propria radice nardi, tum ut tradit ibidem Plinius, & lib. 13. c. 1. novem ſpecie-

ciebus herbarum, quæ nardum Indicum imitarentur. Quamvis nonnulli malint Græcum *piſtikes* corruptum eſſe pro *ſpikates* (nam Græci nonnulla vocabula Latina uſurparunt in Evangelio) ac deinde Latinum Interpretem eamdem vocem retinuiſſe. *Et effudit*, nempe liquidum iſtud unguentum totum, nihil reſervando: quod Marcus clarius indicat, dicendo, quod *fregerit alabaſtrum*, credibile enim eſt fuiſſe pyxidem tenuiſſimam. *Super caput eius:* partim ut ita capilli ejus unguento perfunderentur, ut quibus potiſſimum adhiberi ſolebat; partim ut inde in veſtes totumque corpus diffluereret, ut totus oleret. Fecit hoc ex more quidem conviviorum magnificorum; nam cum bellariis corolliſque in menſas ſecundas veniebant unguenta: non tamen fecit deliciarum aut luxus cauſa, ſed ad teſtandam perſonæ dignitatem, & ſuam de eo fidem, quem Filium Dei vivi crederet, non minus quam ſoror ejus, Joan. 11. v. 27. & gratitudinem de acceptis ab eo beneficiis, & ferventiſſimum amorem, cui nullus ſumptus videretur ſatis: nam, ut Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 12. in omnibus talibus non uſus rerum, ſed libido utentis in culpa eſt. Porro Joannes addit, quod *unxit pedes Jeſu*, ut ita totus in ſepulturam ungeretur, & quod *exterſit capillis ſuis;* ut ita, quod mulieribus ſolet

eſſe

esse percharum, & præcipuo ornamento, pedibus Domini sui subjiceret. Exterfit autem pedes, non ab unguento, sed a pulvere & sordibus, ut ungi possent: est enim ordo præposterus in narratione.

8. *Videntes autem discipuli indignati sunt*, stomachantes in animo suo. Discipulorum autem nomine, vel solum Judam significat, prout Joan. expressit, locutione Scripturis usitata, vel præter illum etiam nonnullos ex Apostolis, quibus hoc, Juda murmur inchoante, persuasum sit: sed ita, ut Judas murmuraverit juxta Joannem, quia fur erat, subtrahendo ex loculis, quos portabat, ut jam tum sibi peculium pararet, ex quo aliquando separatus a Christo, viveret: reliqui vero sincero animo propter pauperum curam, quam a magistro didicerant, utpote quem non deliciis hujusmodi, sed frugalitate & misericordia capi scirent. Utrumque sensum suggerit August. lib. 2. de consensu Evang. c. 37. *Dicentes, ut quid perditio hæc?* Græce (*eis ti*) *ad quid*, id est, quorsum ista profusio unguenti pretiosi, cum scilicet manifestus & inutilis luxus sit?

9. *Potuit enim istud*, si sibi servare nolebat, sed offerre Domino nostro, *venundari multo*, seu magno pretio a nobis: Marcus expressius, *plusquam trecentis* denariis, quos si minores intelligas, unius scilicet drachmæ pondere, essent septuaginta

ginta quinque circiter floreni. Ex quo colligas & opes istius mulieris, & affectus ejus magnitudinem, & alacritatem erga Dominum, ut Victor Antiochenus notat.

10. *Sciens autem Jesus*, indignationem eorum, quantumvis occultam & mulieris reprehensionem, *ait illis*: *Quid molesti estis huic mulieri?* Ubi defendit mulierem, neque furem prodendo, ut vitia occulta doceret non esse mox detegenda: neque aspere perstringendo indignantes, ut longanimitatem suaderet erga eos, qui errore peccant, non malitia. *Opus enim*, non perditionis, ut vos putatis, sed *bonum operata est in me*, utpote ex plurimis præclaris virtutibus profectum humanitate, gratitudine, fide magna, charitate ardente. Et ut argumentum etiam ipsorum solveret, addit:

11. *Nam semper pauperes*, quorum cura a vobis prætexitur, & vos fallit, *habetis*, seu habebitis, *vobiscum*, Deo sic peculiari providentia disponente, ut occasionem semper habeatis ad manum, ut quemadmodum addit Marc. *Cum volueritis, possitis illis benefacere.... Me autem*, talem amicum, benefactorem, ac dominum *Non semper habetis vobiscum*, id est, non diu habebitis, utpote brevi morte auferendum; plus enim insinuat, quam dicit. Intelligit autem, quod non habebunt, quemadmodum tunc in omni con-

victu

victu & familiaritate, inquit Hieron. ita scilicet, ut, quamvis velitis, non possitis mihi benefacere, ac proinde merito sinendi sint homines affectum suum effundere in me jam parantem abitum per corporalia in me officia.

12. *Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum*, id est, Nam quod ista mulier effudit hoc unguentum in caput, unde in totum corpus diffluereret, *ad sepeliendum me fecit*, id est, tam opportune me unxit, ut quasi divinaverit me paulo post esse sepeliendum. Unde plerique volunt mulierum hanc insciam sepulturæ a Spiritu sancto instigatam fuisse, ut, quia sciebat eam ab hoc ultimo officio celeritate resurrectionis prohibendam, ista prævention e ejus desiderio satisfieret. Quamquam nihil videatur absurdi, si dicamus eam, propter familiaritatem cum Christo, de instante morte & sepultura instructam, cum vereretur, ne per Judæorum rabiem prohiberetur, hoc officium vivo tamquam mortuo impendere voluisse. Quod fortassis significavit Marcus, dum dixit, *Quod habuit hæc, fecit*, id est, quod potuit, fecit respectu sepulturæ, quia postea, cum volet, non poterit: nam, ut addit, *Prævenit ungere corpus meum in sepulturam*, id est tamquam ad sepulturam, ut textus Syriacus exponit. Unde eodem modo intelligendum videtur id, quod Joan.

dixit

dixit obſcurius, *Sinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud*, Græce (*tetereken*) *ſervavit*, ſeu *ſervaverit*, id eſt, ſine, ut non fruſtra ſervaverit unguentum hoc, ad me ſepeliendum, ungendo ſcilicet nunc me, quod poſtea non poterit; ſic enim ipſo eventu non fruſtra ſervaverit. Mos erat iſte ſolemnis Judæis, & orientalibus nonnullis, mortuorum condire corpora, ut teſtatur Joan. 19. v. 40. & patet Gen. 50. qui inter infideles uſum habuit, ut, quantum liceret, putrefactionem a corporibus arcendo, amoris ſui teneritudinem & perſeverantiam teſtarentur; inter fideles vero, ad declarandam ſpem futuræ reſurrectionis.

13. *Ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium*, regni cæleſtis, quod ego hactenus prædicavi: *In toto mundo*: quaſi dic. quod quidem per totum mundum divulgabitur, quo tacite Gentium vocationem prædicit, *Dicetur & quod hæc fecit*, videlicet non tamquam murmure & indignatione, & reprehenſione dignum, ſed *In memoriam ejus*, id eſt, ad perpetuam ejus apud omnes laudem: referendum eſt enim ad, *dicetur*, non ad, *fecit*, ut ex Marco patet. Itaque his verbis objectioni eorum opponit celebre totius orbis judicium, defenſionem & laudem, quam impleri videmus, tamquam quæ fecerit opus fidei, devotionis, charitatis, & myſticæ cujusdam prophetiæ, per Spi-

ritum ſanctum intentæ, excellentiſſimum. Ex quo etiam colligere licet, Judæ ſocios eſſe eos, qui reprehendunt ſumptus, qui ſubinde, quando ſpecialis pauperum non urget neceſſitas, in cultum & honorem Chriſti profunduntur, ſive templa ornando, in quibus reſidet, ſive in vaſis ſumptuoſis ei miniſtrando.

14. *Tunc abiit*, cum ſcilicet hac Chriſti reprehenſione irritatus, & unguenti pretio, cui inhiabat, eſſet fruſtratus; videtur enim non tam tempus abitus tangere, quam proximam occaſionem proditionis Judæ. Nam abivit ad concilium congregatum feria quarta, ut communior eſt auctorum ſenſus: convivium autem iſtud contigit circiter triduo ante. Itaque *abiit*, nullo invitante, nulla neceſſitate, ſed ſponte propria, & incitante avaritia, *Unus de duodecim*; numero, non merito; ſpecie, non virtute; commixtione corporali, non vinculo ſpirituali; carnis adjunctione, non cordis unitate, inquit Auguſtin. Tractat. 6. in Joan. Expreſſit autem hoc Evangeliſta, ut ſignificaret aptitudinem perſonæ ad prodendum, utpote domeſticæ, & ſceleris magnitudinem, ut ponderatur Pſal. 54. verſu 13. & notat Chryſoſt. Quod indicatum voluit Lucas, cum de hoc ejus abitu loquens, ait: *Intravit autem Satanas in Judam*, non occupando corpus ejus, ſed peſſimam venditionis voluntatem

tem inſpirando, ſeu, ut Joan. ait cap. 13. mittendo in cor ejus, ut traderet eum: ſic enim inſinuatam voluit ſceleris impietatem & fœditatem, quod de furtis ejus nemo dixit. *Ad principes ſacerdotum*, jam congregatos, ut de medio capiendi conſultarent.

15. *Et ait illis*: *Quid mihi vultis dare?* Hieron. putat eſſe verba ponentis in poteſtate ementium, quantum darent, quaſi viliſſimum mancipium venderet. Verius fortaſſe, eſſe verba proponentis venalem, & tentantis, utrum dignum tali merce pretium offerre velint; ut ita infelix, quod ex unguenti effuſione damnum ſe feciſſe credebat, inquit Hieron. magiſtri pretio compenſaret. Ita verum illud Apoſtolicum, 1. ad Timoth. 6. verſu 10. *Radix omnium malorum eſt cupiditas.... Et ego*, cui hoc propter domeſticam conſuetudinem & familiaritatem perfacile eſt, *eum tradam*: ſatis indicans, ſibi non eſſe curæ, quid cum eo facturi ſint. Rei ſubſtantiam nude tetigit Evangeliſta, ſed prætextum offenſionis & facinoris non defuiſſe ei, veriſimile eſt, v. g. quod jam tandem cerneret eſſe hypocritam, ſectatorem conviviorum ac delitiarum, delibutum odoribus & unguentis pretioſis.

At illi conſtituerunt ei, id eſt, *pacti ſunt*, ut Lucas, prævia ſcilicet ultro citroque conventione, *triginta argenteos*: qui quan-

tum efficiant pretium, diverſæ ſententiæ ſunt. Omiſſis minus probabilibus, duæ majorem habent veriſimilitudinem. Altera Baronii, quam videtur & Franc. Lucas probare, quod *Argenteus* ſignificet hic libram argenti. Probant hoc duobus potiſſimum argumentis: Primo ex Thisbe Eliæ, qui dicit in voce, SLCH nomen *Argentei* in Lege ſignificare ſiclum, in Prophetis libram, in Hagiographis talentum; hic autem reſpici ad locum Prophetæ Zachariæ, adeoque libram ſignificare. Secundo, quia emptus fuit eo pretio ager in ſuburbanis Jeruſalem, in ſepulturam omnium peregrinorum, qui neceſſario magno pretio emptus fuit. Cum ergo libra contineat uncias 12. & conſequenter ſiclos 24. qui æſtimabantur circiter ſinguli quatuor drachmis, ſeu regalibus Hiſpanicis, hoc eſt, uno circiter floreno Brabantico, ſumma hæc fuiſſet 720. florenorum, æſtimando regales more Hiſpanico. Alia ſententia multo communior eſt, Argenteum, hic abſolute poſitum, ſumi pro ſiclo ſeu ſtatere, ſic enim legit Orig. Nam plerumque cum in Scripturis (*Ceſeph*) id eſt, *argentum*, ponitur cum nomine numerali, ſubauditur ſiclus, ut videre licet Iſaiæ 7. verſu 12. ubi Hebraice eodem modo utrobique reperitur, *decem argenti*, & *mille argenti*, quod Interpres noſter & LXX. ſupplevérunt, addendo, *ſiclos*. Et hinc eſt,

quod

quod Chaldæus Paraphraſtes plerumque etiam ſic locutiones iſtas ſuppleat. Itaque ſumma hæc fuiſſet, triginta circiter florenorum, vel alia æſtimatione pecuniæ triginta ſex. Quod igitur ex Elia profertur, non videtur in Scripturis eſſe fundatum, neque exemplis probari poſſe. Pretium agri non debet videri nimis exiguum, cum Jeremiæ 32. verſu 9. ſeptemdecim ſtateris, ſeu ſiclis argenteis ematur ager; maxime cum non conſtet, quantus ager fuerit, & an totus ea emptus pecunia; & conſtet longe majorem tunc fuiſſe pecuniæ raritatem, quam nunc eſt. Quod vero nonnullos movent quidam argentei nummi, qui teſte Budæo, & Baronio Pariſiis & Romæ oſtenduntur, tamquam qui ſint ex illis, quos Judas in templum abjecit, pondere tantum duarum drachmarum, id eſt, valore decem aut duodecim ſtuferorum, habentes hinc hominis effigiem, illinc floſculi, parvi momenti eſt. Non enim ſignificatur, vel ſignificatum volumus, ſingulos nummos valuiſſe ſiclum, ſed triginta ſiclos argenteos fuiſſe annumeratos, in quocumque tandem nummorum genere, ſicut nos dicimus triginta florenis rem vendi, etſi in ſtuferis vel pataconibus pecunia numeretur.

16. *Et exinde*, ſeu ex eo tempore, quo ei pecunia promiſſa fuit, *quærebat*

opportunitatem, temporis atque loci, *ut eum traderet*; ſive proderet Judæis. Explicat Lucas, quænam fuerit hæc opportunitas, ſcilicet ut fieret, *ſine turbis*, id eſt, abſente populo, qui tumultum excitare poſſet; prout Sacerdotes deſideraverant & forte pacti erant. Et hæc fuit cauſa, cur noctu, poſt cœnam, cum ſecretus eſſet, in prædio Gethſemani eum tradiderit, ut notat Origen. & cur tam bella opportunitate oblata conſilium ſuum, de quo v. 5. ſacerdotes mutaverint.

17. *Prima autem die Azymorum*, id eſt, ea in cujus veſpera incipiebat uſus Azymorum, ſeu panum infermentatorum, qui incipiebat una cum eſu agni Paſchalis. Agnus autem immolari debebat juxta legem, Luna ſeu die 14. menſis primi ad veſperam, de quo Exodi 12. v. 6. & 18. Itaque cum dies naturales, qui apud Hebræos Lunæ vocantur, quia menſibus utebantur lunaribus, computari inciperent ab ortu Solis, & complecterentur diem artificialem ſimul & noctem, dies illa menſis 14. in cujus veſpera agnus immolabatur, & Azyma mox noctu incipiebant, vocatur hic *prima Azymorum*, ratione ſcilicet veſperæ ſuæ, ſeu noctis. Quia vero dies feſti incipiebant a veſpera uſque ad veſperam ſequentem, hinc fit, ut plerumque dies, ſeu Luna 15. vocetur prima Azymorum, ut patet Levit. 23. v. 5. & paſſim alibi.

Sed

Sed illa dies non ſignificatur hoc loco, quia Chriſtus nondum comederat agnum, imo nondum illum præparaverat. Unde Marcus diem accuratius exprimens addit, *quando Paſcha immolabant*, ſcilicet Judæi juxta legem & preſſius Lucas, *in qua neceſſe erat* (juxta mandatum ſcilicet legis) *occidi Paſcha*, id eſt, agnum Paſchalem. Ex quibus etiam manifeſtum eſt, Chriſtum eadem die Paſcha comediſſe, qua ſolebant & debebant Judæi, Luna ſcilicet decima quarta, & ita in inſtituendo ſanctiſſimo Sacramento Azymis panibus eſſe uſum. *Acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum*, cum ſcilicet jam ab ipſo Domino de Paſcha ſollicito juſſi eſſent parare Paſcha, ut patet Lucæ 22. v. 8. Accedunt autem rogantes, *Ubi*, id eſt, in qua domo: de civitate enim conſtabat eſſe debere Jeroſolymam, juxta legem Deuteron. 16. v. 5. & 6. merito vero de domo quærunt, propter affluentiam totius nationis illo die, & edictum Principum, ut apprehenderetur, ſi quis ſciret, ubi eſſet, Joan. 11. v. 56. & quia propter defectum hoſpitii ordinarii quotidie concedebat in Bethaniam, & in montem Olivarum, Lucæ 21. verſu penultimo. *Vis paremus tibi commedere Paſcha*, id eſt, ut comedas agnum Paſchalem? præparandi enim erant panes azymi, lactucæ agreſtes, baculi, vinum, cæteraque ad convivium neceſſaria, imo

agnus emendus, adeoque mactandus & assandus. Nam ex Marci 14. v. 17. Christus non venit nisi vespere jam facto. Immolabatur autem aliquamdiu ante Solis occasum, ut latius diximus in Exodi cap. 12. v. 6. ex Josephi lib. 7. de bello Jud. cap. 17. idque non necessario a sacerdotibus, sed ab illis de familia, fungentibus in isto casu sacerdotum officio, ut alibi ex Philone notatum est.

18. *Ite in civitatem*, Jerosolymam, *ad quemdam*: Græce *ton deina*, Hebraice *Peloni*, quibus nominibus significant hominem, cujus nomen exprimere nolunt, sive ignoratione, sive alia de causa. Cum ergo certus esset homo, sicut ex indiciis per alios Evangelistas expressis, liquet, verum videtur, quod Augustinus ait lib. 2. de consensu Evangel. cap. 80. Matthæum ex sua persona hoc interposuisse, non quod Dominus sic locutus sit, sed ut compendio insinuaret, fuisse missos ad certum quemdam, nomine non expresso. Fecit hoc, ut Euthym. & Theophyl. in Luc. ne Judas locum præsciens cœnam sive agni sive mysticam intempestive turbaret. Mysticas causas adferunt Hieron. & Orig. *Et dicite* illi, *Magister dicit*: quo auctoritatis vocabulo indicat jam fuisse discipulum, sicut per illud, *tempus meum prope est*, fuisse familiarem, utpote apud quem ultimam suam cœnam, sponte, non invitatus,

tus, vellet sumere. Nam tempus intelligit non agni manducandi, sed discessus sui ex hoc mundo: quod toties inculcat, ut patefaceret discipulis, inquit Chrysost. se non invitum, sed omnium præscium ad passionem properare. *Apud te facio Pascha*, id est, facere seu celebrare decrevi cœnam Paschalem: neque solus, sed *cum discipulis meis*, ut sciret ille paterfamilias pro tredecim hominibus parandum esse locum. Utitur hic Christus verbis imperio & auctoritate plenis, ut paulo ante ad dominos asinæ adducendæ, ut ostenderet se omnia & scire & posse apud quoslibet. Probavit hoc successus rei, de quo non anxii discipuli

19. *Fecerunt, sicut constituit*, seu præceperat, *illis Jesus*. Fuerunt autem illi, qui missi sunt, Petrus & Joannes, ut Lucas declarat.

20. *Vespere autem facto*, quo scilicet agnus comedi solebat: Unde Lucas *cum facta esset hora*, scilicet esui agni destinata. Fiebat autem hoc post occasum Solis, tametsi immolatio agni, reliquaque necessaria ante occasum, ab hora nona, id est, tertia nostra circiter pomeridiana, ad occasum usque fierent, ut ex Josepho alibi dictum est. *Discumbebat*, Græce (*anekeito*) *recumbebat*. Olim enim accumbendo vel recumbendo cibum solebant sumere; Unde nunc manssit eorumdem verborum usus, etsi sedendo

ſumamus: quod & tempore Chriſti locum habere potuit, ut per, *diſcumbebat*, nihil aliud indicatum voluerit, niſi cibum ſumebat, nempe vel agni Paſchalis, cujus horam Lucas expreſſerat, vel etiam cœnæ communis eam comitantis: non enim vetitum erat plures a leſſe cibos. Unde male ex hoc verbo colligunt nonnulli apud Theoph. Chriſtum hoc anno non comediſſe Paſcha, eo quod a ſtantibus deberet comedi. Nam etſi Lex Exodi 12. hoc non clare dicat, ſed tantum inſinuet, uſum tamen illum fuiſſe declarat Philo lib. de ſacrificiis Cain & Abel. *Cum duodecim diſcipulis ſuis*, Apoſtolis, tanquam familia ſua, cum qua agnus debebat comedi. Similiter igitur & omnes, etiam Judam adfuiſſe, & neminem præterea: ſolum enim deficientibus domeſticis vicini advocabantur, Exodi 12. v. 4.

21. *Et edentibus illis*, id eſt, inter cœnandum communi cœna, ſeu durante adhuc convivio, *dixit*, tum ante inſtituta myſteria, ſicut hic indicatur, tum poſt, ut Lucas, cap. 22. v. 21. & ſentit Auguſtin. libro 3. De conſenſu cap. 1. Quamquam commode dici poſſe videatur Matthæum anticipatione uti, Lucam rectum ſervare ordinem: ut ſcilicet hæc de proditore dicta ſint ſtatim poſt inſtituta traditaque ſacra myſteria, atque eis connectendum ſit id, quod

Joan.

Joan. cap. 13. narrat de buccella Judæ tradita. *Quia unus veſtrum*, quos præ cæteris beneficiis affeci, in familiam aſſumpſi, alui, docui, Apoſtolos feci, *me traditurus eſt*, ſeu proditurus, ſcilicet hoſtibus, qui Apoſtolis ſatis erant noti. Prædictum hoc voluit, ut conſtaret ſe non circumventum, ſed volentem, ſcientem, prudentemque mori: perſonam ſupprimit, ut ejus amori adhuc parceret, ut juxta Hieron. hac lenitate pœniteret eum facti ſui, cum conſilia ſua perſpecta cerneret.

22. *Et contriſtati valde*: Chryſoſt. *ſemimortui*, tum ſcilicet de tanto ſcelere in Dominum committendo, tum quod de ſe quiſque eſſet anxius, ne vel facinoris iſtius reus ab aliis crederetur, vel ex ſumma fragilitate etiam reus fieret. Magis enim Chriſti dictis, quam ſuæ ipſorum fidebant conſcientiæ, ut Hieron. & Theophyl. notant. Nam hinc de ſe ipſis veriti, & de nemine audentes ſuſpicari, cœperunt ſinguli dicere, *numquid ego ſum Domine*, in quem tantum ſcelus cadere poſſit? quaſi dicer. Manifeſta, quæſo, ut peream, vel caveam, vel certe a metu & ſupicione liberer. Qui reſpondit:

23. *Qui intingit mecum manum in paropſide*, ſeu in eadem patina, *hic me tradet*, hoc eſt, qui eadem mecum menſa & cibo uti ſolet, quod Lucas dixit, *Ecce*

manus

manus tradentis me mecum eſt in menſa: ſicut & Pſalmus, quem Chriſtus hac de re citat Joan. 13. verſu 18. prophetavit. Et ita hæc verba non magis manifeſtant proditorem, quam ante ſed tantum exaggerant ſcelus: nam quod aliqui putant, hic paulo clarius proditorem expreſſum eſſe, eo quod cum plures eſſent paropſides, ipſe intingeret in illa, in qua Chriſtus & aliqui vicini, minus verum dici videtur, eo quod Marcus dicat, *Unus ex duodecim, qui intingit.* Multo minus verum videtur, quod Hieronym. & alii nonnulli putant, Judam proprie expreſſum fuiſſe, eo quod ex impudentia auſus eſſet ſolus cum Domino intingere in eadem paropſide, quia Petrus non tam ſollicite adhuc poſtea urſiſſet, ut proditorem ſciret, Joan. 13.

24. *Et filius quidem hominis vadit*, id eſt ultro, non tam moriendo quam migrando, diſcedit ex hoc mundo: non fortuito, aut inopinate, non coactus potentia inimicorum, ſed *ſicut ſcriptum eſt de illo*, in Lege, Pſalmis, & Prophetis, juxta quos oportebat Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, ut ipſe ait Lucæ 24. hoc eſt, ut implendo Scripturas obtemperet decretis Patris ſui. Ita, inquit Chryſoſt. diſcipulos confirmavit, ne rem imbecillitati attribuerent. *Væ autem illi homini, per quem Filius hominis tradetur*: quaſi dicer. Ne tamen glorietur

pro-

proditor, quasi de re bene gesta & impletis per opus suum Scripturis: nam *bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, id est præstaret ei numquam fuisse in rerum natura: quod propter pœnarum atrocitatem ei prædicit, nimirum, ut quem pudor non vicerat, inquit Hieronym. corrigant denuntiata supplicia. Non ergo sententia ista ad omnes damnatos extendi debet, cum Christus hoc, ut August. 5. contra Julianum cap. 8. non de quibuslibet, sed de sceleſtissimis & impiissimis peccatoribus dixerit; unde nec Aug. ibid. ad parvulos sine baptismo mortuos audet extendere. Cum ergo omnes discipuli interrogassent, an ipsi essent, Judas se tacite notari sentiens, ne se silentio prodere videretur, ut audacia bonam mentiretur conscientiam, insigni impudentia rem dissimulans rogat:

25. *Numquid ego sum rabbi*, de quo hoc suspicaris; Persuasus enim videtur fuisse, vel Jesum, qua erat humanitate, non esse hoc ei palam objecturum, vel si objiceret, palam se negaturum; atque ita velut atroci injuria opportune se posse proripere, vindictæque specie proditionem effectam dare.

Ait illi: Tu dixisti, eo ipso, quo istud quamvis interrogando profers, id est, tu es ille. Est ista Hebræis familiaris affirmatio, ut patet infra v. 64. ubi Caiphas

phas ſic illam locutionem intellexit, & Marc. eam explicans, dicit ejus loco Chriſtum dixiſſe, *Ego ſum*: & Joan. 18. v. 37. eodem modo Chriſtus dicens Pilato, *Tu dicis quia Rex ego ſum*, affirmat ſe eſſe Regem. Eſt enim modus iſte affirmandi modeſtus, ſine arrogatia loquentis, ſine offenſione colloquentis. Hic ergo expreſſit proditionem, ſed ut veriſimiliter ſuſpicatur Auguſt. initio lib. 3. de conſenſu Evang. ita, ut non animadverterent adhuc diſcipuli, quia forte ſubmiſſius loqueretur. Unde tunc videtur Petrus a Joanne nutu poſtulaſſe, ut peteret clarius, quis eſſet, de quo Joan. 13. & mox data eſt Judæ buccella. Merito autem notat hic Chryſoſt. tolerantiam Domini, qui cum nec objurgaverit, nec exprobraverit, terminos nobis, ac regulas tolerantiæ & oblivionis fixit injuriarum.

26. *Cœnantibus autem eis*: Græce (*ethioiton*) *manducantibus*, id eſt, cum nondum eſſet ſublata menſa, aut cibi; non enim actus cœnandi, ſed tempus indicatur, quo ſcilicet ſumpto jam cibo ſuavibus ſe colloquiis reficiunt convivæ, ſicut factum eſſe conſtat ex Joan. 13. & ſeqq. Unde Lucæ 22. v. 20. & 1. ad Corinth. 11. v. 25. calicem dicitur ſumpſiſſe, poſtquam cœnavit. Sub finem ergo cœnæ myſteria novæ Legis inſtituit, tum quia neceſſe erat Paſcha vetus, ac typicum,

cui

cui ſola cœna erat deſtinata, præcedere, ut ei ſuccederet novum ac verum: tum quia Salvator, ut Auguſt. epiſt. 118. cap. 6. quo vehementius commendaret myſterii hujus altitudinem, pro more valedicentium hoc ultimum voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, a quibus ſtatim ad paſſionem digreſſurus erat. Et quia paſſionis ſuæ, adeoque per paſſionem, noſtræ redemptionis nobis non ſolum memoriale, ſed & participationem volebat relinquere, hinc *Accepit Jeſus panem*, nimirum ut ſub ſpeciebus panis & vini utrumque fieret, utpote quæ & aptiſſime ſignificarent corpus & ſanguinem in paſſione ſeparatum, & utrumque eſſe factum vere cibum & potum, quo & Chriſto ſignificaremur arctiſſime conjungi & ali in vitam æternam, & inter nos charitatis mutuæ vinculo in unum conflari, quemadmodum ex pluribus granis, tum tritici, tum uvarum, in unum confluentibus, fit unus panis & unum vinum, prout indicavit Paulus 1. ad Corinth. 10. v. 17. denique, ut ita humanæ infirmitati ſeſe attemperando humanæ carnis & ſanguinis horrorem tolleret, ut obſervavit Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. Theophyl. & alii Patres paſſim. Panem autem accepit azymum, tum quia fermentatus in illa cœna adeſſe non poterat, tum quia azymus ſignificandæ ſinceri-

ceritati & veritati, quæ participantibus de his myſteriis adeſſe debent, maxime congruat: quam ſignificationem tangit Apoſtolus 1. ad Corinth. 5: v. 8.... *Et benedixit.* Hæretici exponere ſolent, laudes dixit, gratias egit, nempe Deo; ſed certum eſt, referri ad panem, hoc enim & verborum ſeries poſtulat, & Græce apertius eſt, ubi legitur (*labon ton arton, kai eulogesas, eklase*) *Accipiens panem cum benedixiſſet, fregit.* Et hinc eſt, quod Paulus 1. ad Corinth. 10. verſu 16. dicit, *Calix benedictionis, cui benedicimus*, quod non niſi ad propoſitam creaturam referri poteſt. Quod ergo Lucas & Paulus dicunt *eulogesas*, id eſt, *cum gratias egiſſet*, non explicant verbum *euchariſtisas*, ſeu benedictionem, de qua hic mentio eſt, ſed aliam exprimunt actionem Chriſti, quæ conjuncta fuit: nam & gratias egit Deo pro beneficiis, & quod Legis adveniſſet conſummatio, ſimul benedixit pani, atque ita ſinguli totam actionem iſtam ex una parte indicant, ſicuti Lucæ 23. verſu 35. & Act. 2. verſ. 42. 46. eandem indicant ſola fractione, veluti fidelibus notiſſima, & minus infidelium irriſioni expoſita. Et hinc eſt, quod, cum Chriſtus miraculum circa panes multiplicandos vellet edere, Marci cap. 8. v. 6. ſimpliciter dicit, *gratias agens fregit*: Lucæ vero cap. 9. verſu 16. *reſpexit in cœlum* (qui eſt habitus gratias agentis)

&

& *benedixit illis*, ſcilicet panibus & piſcibus. Unde & Eccleſia intelligens omnia iſta etiam hic concurriſſe, dicit in Canone, *Elevatis oculis in cœlum tibi gratias agens, benedixit*, ſcilicet pani, quatenus nimirum invocavit Dei beneficentiam & poteſtatem ſuper panem, ut mutaretur in corpus ſuum. Quamquam quia Dei benedicere eſt benefacere, benedictio iſta ſæpiſſime vocetur a Patribus ipſa conſecratio, ut videre licet ſæpius apud Ambroſ. maxime libro de his, qui myſteriis initiantur cap. 9. Benedixit ergo pani, id eſt, conſecravit eum, ſeu eo dignitatis evexit, ut in corpus ſuum mutaverit, nimirum dicendo ipſa verba, quæ ſequuntur, ut tradit D. Thomas in Comment. & 3. parte, quæſt. 78. art. 1. ad 1. Neque enim ita ſimul dicunt omnia Evangeliſtæ, ſicut facta ſunt: nam & fractio & diſtributio, vel poſt, vel ſimul cum iſtis verbis contigit, nec tamen ſimul ab Evangeliſtis eodem ordine exprimuntur. Fuit ergo iſta benedictio ſingularis, & operatoria, qualis & illa panibus multiplicandis adhibita: unde nec umquam Chriſtus benedixiſſe cibis legitur, niſi cum ſingulare miraculum operari vellet. Hinc & eandem benedictionem, ut ex Paulo patuit, ſimiliter calici adhibuit, cum, ſi vulgaris fuiſſet, ſufficere potuiſſet prima, quæ vel pani, vel initio toti cœnæ adhibita fue-

rat. *Ac fregit*, panem jam benedictum, atque mutatum, in tot videlicet partes, quot erant convivæ, idque more patrumfamilias. *Deditque discipulis suis*, cum scilicet sibi primo dedisset, ipse nimirum conviva & convivium, ipse comedens, & qui comeditur, ut Hieronym. Epist. 150. quæst. 2. Fecit enim hoc partim, ut sacrificium absolveret, partim, ut exemplo Apostolos præcederet, ne horrerent cibum, quem corpus ejus esse perceperant, ut notavit de calice Chrysostom. Dedisse autem in manus, non in os, conjectura non levis est, tum quia dicit, *accipite*, quod ad manus usitatius referri solet, tum quia ista in veteri Ecclesia diu consuetudo fuit, ut in manus fidelibus traderetur: quem ritum descripsit Cyrillus in fine Catechesis 5.

Et ait: Accipite, & comedite. Quibus verbis invitat & simul usum declarat tanti doni, nempe ut comedendo uniatur nobis, ut fiamus unum corpus, & unus spiritus cum eo, & inter nos, qui de uno pane participamus. *Hoc est corpus meum.* Continet rationem comedendi; unde subaudiendum est, *enim*, sicut hoc in calice expressum est. Illud, *Hoc*, non est substantivum, quasi significans individuum vagum, ut videtur putasse D. Tomas, qui istius opinionis multis sequentibus causa fuit; sed certum est, juxta mentem Interpretis nostri & Evan-

ge-

geliſtæ, eſſe adjectivuum conveniens cum ſuo ſubſtantivo, quod ſequitur, *corpus*. Patet hoc manifeſte ex forma calicis, ubi non dicitur, *Hoc*, ſed, *Hic eſt ſanguis meus*, & clariſſime Lucas conjungit cum calice, *Hic calix*, Græce (*to poterion*) *hoc poculum*. Ex quo ulterius patet illud, *Hoc*, non poſſe deſignare panem, ut hæretici volunt, idque non ſolum, quia eſſet falſa oratio, ſed ipſa verba repugnant: dicendum enim fuiſſet, *hic*, præſertim cum immediate, *panis*, præceſſiſſet. Deſignat igitur, *corpus*, nec tamen locutione vel identica, vel tautologica, ſed rectiſſima, & uſitatiſſima, qua in mundi exordio Adam dixit, *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, & Moyſes Exodi 16. *Iſte eſt panis*, & Jud. 21. *Hic eſt heres*, & *Deus Pater*; c. 3. *Hic eſt Filius meus dilectus*; & infinita ſimilia, quibus Scriptura & uſus quotidianus plenus eſt. Nam in his omnibus ſubjectum & prædicatum idem quidem ſignificant (quod omni propoſitioni affirmativæ veræ commune eſt, alioquin enim eſſet falſa) ſed alio modo, ſubjectum nomine communi & obſcuro, demonſtrante tamen præſentiam; prædicatum nomine ſpecifico & particulari. Nam quod objiciunt, cum diceretur, *Hoc*, nondum adfuiſſe corpus, parvi momenti eſt. Propoſitio enim operatoria, qualis eſt iſta, quæ mutatione quadam efficit id, quod ſignificat,

ſicut non habet veritatem niſi integre pronuntiata, ita quoque non demonſtrat id, quod adeſt, eo momento, quo ſubjectum profertur, ſed quod aderit in termino pronuntiationis: ſicut ſi Chriſtus aquam in vinum mutaſſet in nuptiis, his verbis, *Hoc eſt vinum*; vel coſtam in mulierem iſtis, *Hæc eſt mulier*; non fuiſſet neceſſe, rem demonſtratam eſſe præſentem, niſi abſoluta tota oratione.

Eſt. In hoc verbo Zuinglius figuram ineſſe voluit, ut idem ſit, quod ſignificat; ſed contra linguarum uſum: nulla eſt enim lingua, neque Latina, neque Græca, neque Hebraica, in qua, *Eſt*, aliam habet ſignificationem, quam eſſe, ſeu, ut Philoſophi loquuntur, nudam unionem extremorum. Eſt enim verbum uti communiſſimæ ſignificationis, ita & ſimpliciſſimæ, in quod omnia alia reſolvuntur; ipſum vero in nullum aliud reſolvi poteſt. Sic enim reſolvimus, *Chriſtus patitur*, id eſt, *Chriſtus eſt patiens:* ipſum vero (*Eſt*) incluſum non poteſt reſolvi ulterius, niſi reſolvas in ſeipſum. Et hæc eſt cauſa, cur nec in Hebraica, nec Syriaca lingua, qua Chriſtus locutus eſt, exprimatur: unde impoſſibile eſt in eo fuiſſe tropum. Quia vero ſignorum eſſe, non eſt aliud, quam ſignificare, hinc fit, ut cum ſignum de ſigno prædicatur, vel res ſignificata de ſigno aliquo parabolico, ſine ullo troppo ſoleamus,

mus, *eſt*, explicare per, *ſignificat*, ut *Enſis, eſt gladius*, *Septem boves ſeptem anni ſunt*, *Semen eſt verbum Dei*, *Denarius eſt vita æterna*, & ſimilia: qualis tamen non eſt iſta, *Petra erat Chriſtus*, ſed ſenſus propriiſſimus eſt, Petra illa ſpiritualis eos conſequens erat Chriſtus. Itaque error iſte Zuinglii ex imperitia natus eſt. Ex quo fit, ut Calvinus & alii Sacramentarii velint eſſe tropum in prædicato *Corpus meum*; ut ſit idem, quod ſignum, ſeu figura corporis mei. Sed tunc neceſſario illud, *Hoc*, demonſtrare deberet panem, quod ſupra rejicimus. Deinde Græce additur articulus (*to soma*) *iſtud corpus*, quod habet vim exprimendi veri corporis, & diſtinguendi ab omni alio, quod etiam nomine corporis ſignificari poteſt, ſcilicet corpus myſticum, quod eſt Eccleſia quaſi dicer. Ipſiſſimum illud verum corpus meum. Quod multo efficacius poſtulant verba ſequentia, apud Lucam & Paulum, *quod pro vobis datur*, Græce uno verbo *to didomenon*, quaſi diceres corpus datum: conjungitur enim adjectivum in recto cum ſubſtantivo, *corpus*, ita ut illud ipſum, quod vocatur in recto corpus, ſit datum. Figura autem corporis non eſt data pro nobis, neque in cruce. Evidentius autem id poſtulat forma calicis apud Lucam Græce (*tuto to poterion on to hai mati mu*, *to hiper himon ekchynomgnon*) *Hic eſt*

calix in ſanguine meo pro vobis effuſus: ubi ipſe calix, ſanguinem ſcilicet continens, pro nobis effundi dicitur, quod de figura vel calicis, vel ſanguinis nullo pacto verificari poteſt. Et ſane cum agnus Paſchalis figura fuerit Chriſti in cruce offerendi, ut patet Joan. 19. v. 36. ſi corpus non eſt aliud, niſi figura corporis, in cruce offerendi, profecto figuram figuræ ſubſtituit, obſcuram evidentiſſimæ, cum tamen venerit figuris finem imponere. Hinc, ne quis hic tropos, figuras, parabolas imaginaretur, categorica locutione uſus eſt verbis lucidiſſimis, quibus apertiora, aut ſimpliciora fingi nequeant, etſi omnes linguas in unum conflaveris. Hinc cum Evangeliſtæ in aliis recenſendis plerumque verbis diſcrepent, hic e contrario tres Evangeliſtæ & unus Apoſtolus Paulus, cum diverſis temporibus, ac locis ſcriberent, ne apice quidem diſcrepant. Et tamen Tenebriones hæretici, qui ubique Scripturas apertas eſſe clamitant, hic tantas tenebras inveniunt, vel potius adferunt, ut ſententiam quaſi Solis ipſius radio ſcriptam in ducentas diverſas expoſitiones laceraverint, ſicut nuper edito quodam libello expreſſum eſt. Contra quos omnes, etſi in verbis eſſet aliqua obſcuritas, ſufficere deberet unanimis totius Eccleſiæ & omnium Patrum conſenſus, quem ſupra dedimus, & eorum verbis

bis latius traditum videre licet apud eos, qui contra hæreticos ex profeſſo ſcripſerunt.

27. *Et accipiens calicem*, Græce *(poterion) poculum*, ſeu vas ex quo bibitur, nempe vino & aqua temperatum, pro more regionis. De vino ſatis conſtat ex Marco & Luca, qui *genimen*, ſeu *generationem vitis*, nominant; de aqua ex Eccleſiæ traditione, de qua Cyprian. Epiſt. 63. temperatura iſta fieri ſolet, tum ſanitatis, tum temperantiæ cauſa: hic autem peculiariter adhibita eſt, ut unio Chriſti cum populo, id eſt, cum Eccleſia, adumbraretur: *gratias egit*: Græce *(eucharisteſas) cum gratias egiſſet*, ſcilicet Deo Patri; ſub quo & elevatio oculorum in cœlum & calicis benedictio, quam Paulus 1. ad Corinth. 10. verſu 16. expreſſit, intelligenda eſt, ut ſupra indicavimus. Ex hoc gratiarum nomine Græce vocabulo dicta eſt *Euchariſtia*, tum quia cum prævia gratiarum actione conficitur, tum quia cum ſequente & quidem ſumma gratiarum actione, pro tam immenſo redemptionis beneficio, ſumenda eſt. *Et dedit illis*, non in os, ſed in manus, ut colligitur ex juſſione, quæ ſequitur, *dicens*: *Bibite ex hoc omnes*. Syrus, *vos omnes*, quod Lucas ita expreſſit, *dividite inter vos*, ita videlicet, ut in orbem vos omnes ex eodem iſto calice bibatis; & ita factum eſſe declarat Mar-

cus dicens: *Et biberunt ex eo omnes*, nempe præsentes Apostoli. Ex quo patet ineptia hæreticorum, qui hinc conficere volunt omnibus omnino participantibus etiam vini speciem præcipi.

28. *Hic est enim sanguis meus. Hic* concordat genere cum *sanguis*, ad quod refertur, sicuti *Hoc*; *ad Corpus*: nam omnino similes locutiones sunt, & simili sensu interpretandæ. Non enim significatur vel calicem illum, vel vinum esse sanguinem, sicut nec panem esse corpus: sed illum, quem præbebat, & in quem intentio ejus ferebatur, absolutis verbis, esse sanguinem suum. Dictio vero, *enim*, exprimit rationem invitationis ad comedendum, utpote quia jam audiverant & crediderant, carnem & sanguinem ejus vere esse cibum & potum in vitam æternam. *Novi testamenti.* Alludit ad verba Moysis, Exodi 24. ubi sanciens vetus Testamentum aspersione sanguinis victimæ, eodem plane modo ait, *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum.* Opponit ergo se Christus Moysi, sanguinem suum sanguini vitulorum, Apostolos populo Judæorum, aspersionem aspersioni, testamentum testamento. Porro Græca vox *diatheke*, cui *Testamentum* respondet, etsi ex vi vocis quamlibet dispositionem & pactum significare possit, quemadmodum & Hebraica, receptissima tamen ejus significatio

tio eſt (*Berith*) ut ſignificet, ſicut & *Teſtamentum*, voluntatis decretum, de eo, quod poſt mortem fieri, quis velit, & conſequenter contineat promiſſionem hæreditatis: unde & morte teſtatoris confirmatur, ut Apoſtolus docet ad Heb. 9. Teſtamentum itaque duplex in Scripturis eſt celebre, Vetus & Novum. Vetus ita dictum eſt, quod ante Novum non inſtitutum quidem, ſed revelatum fuit, & quod veteri homini, utpote terrena promittens bona, congruat, ut Auguſt. lib. 3. ad Bonifac. c. 4. nec proprie teſtamentum eſt, ſed potius pactum aut fœdus, utpote quod promiſſionem terrenorum bonorum non abſolutam, ſed ſub conditione implendæ Legis contineret, populo eam acceptante, ut patet Exodi 24 v. 3. 6. & 7. Quia vero quandam ſimilitudinem habebat cum teſtamento, promittens ſcilicet terram Canaam, velut quandam hereditatem: hinc etiam ſanguine, tum ad ſanciendum proprie fœdus, tum ad teſtamentum quodammodo morte, non Dei, ſed victimarum ei oblatarum roborandum, dedicatum eſt, ut notat Apoſtolus, ad Heb. 9. v. 18. & ſeqq. Quæ tamen omnia eo maxime ſpectabant, ut per carnalem Legis obſervationem, bonaque carnalia in præmium repoſita, ſignificarentur obſervatio Legis ſpiritualis, & bona ſpiritualia, hoc eſt, ut præfiguraretur

teſtamentum novum, ab ipſo Chriſto in terris verſante revelandum. Sed hoc diſcrimen fuit, quod Vetus, ut diximus, proprie pactum fuerit, unde & a Judæis irritatum eſt, ſicuti Deus queritur apud Jeremiam c. 31. v. 32. Novum vero proprie teſtamentum. Nam quamvis & novum contineat conditionem obſervandæ ſpiritualiter Legis Dei: hanc tamen ipſam conditionem una cum præmio ejus vitam æternam, tanquam unam completam hereditatem filiis ſuis prædeſtinatis per gratiam dandam Deus promiſit, & proinde etiam facit, ut patet clariſſime ibid. verſu 31. & 32. Et hoc totum tanquam teſtamentum morte teſtatoris confirmatum fuit, ſicut urget Apoſtolus, ad Hebr. 9. verſu 15. & 16. Unde utrumque etiam a Deo, non ab homine ſperandum & exſpectandum eſt, ac dari debet. Hoc eſt ergo, quod hic dicitur. *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti*, id eſt, quo novum iſtud teſtamentum a Prophetis promiſſum, a me revelatum & prædicatum ſancitur, & veluti morte teſtatoris jam jam futura, & hoc ipſo ſanguine, qui myſtice funditur, repræſentata confirmatur. Ad hoc enim ſignificandum addit: *Qui pro multis*, Lucas, *Pro vobis*: unde Eccleſia utrumque confundit dicendo, *pro vobis & pro multis*. *Multos* autem dicere mavult, quam *omnes*, quia non tam ſacri-

ficii

ficii ſufficientiam reſpicere videtur, quam fructum ejus: quaſi diceret, pro veſtra & multorum ſalute *effundetur*. Interpres reſpexit effuſionem, quæ facta eſt in ſacrificio crucis: ſed textus originalis omnium trium Evangeliſtarum & S. Pauli habet præſens, (*to ekchynomgnon*) *qui effunditur*. Quod quamvis intelligi etiam poſſet de cruce, quia mox in ea ſanguis ejus effundendus erat; Lucas tamen & Paulus clare conjungunt cum calice, tamquam adjectivum cum ſuo ſubſtantivo, qui calix effunditur, ſeu libatur. Unde ſignificat Chriſtus, ſanguinem illum jam tum effundi, id eſt, offeri Deo, quod proprie libari dicitur, tamquam ſanguinem ſacrificii. Hinc eodem ſenſu Lucas de corpore dicit, *quod pro vobis datur*, Græce (*didomgnon*) & Paulus *quod pro vovis frangitur*, (*klomgnon*) id eſt, offertur & immolatur. Proprie enim panis eſt frangi, non corporis, niſi ſub ſpecie panis, præſertim cum prædictum fuerit, non eſſe frangendum in cruce, *Os non comminuetis ex eo*, Joan. 19. verſu. 39. prout utrumque obſervat Chryſoſt. in verſu 16. c. 10. 1. ad Corinth. Nec intelligi poteſt, effundi ſanguinem, & dari corpus, ad bibendum, & comedendum tamquam Sacramentum, quia hoc jam dixerat per, *comedite & bibite*: neque dixit, *vobis*, ſicut dicendum fuiſſet, ſed *pro vobis*, ſcilicet datur & effunditur Deo,

quod

quod proprie eſt ſacrificii. Offertur namque Deo pro ſalute multorum, nempe, *In remiſſionem peccatorum:* qui proprie eſt effectus ejus, ut ſacrificii, non ut ſacramenti; ſic enim vitæ conſervationem, vigorem & augmentum operatur. Remiſſionis ſolius mentionem facit, quia in ea veluti fonte cætera legata novi teſtamenti, juſtitia, adoptio, vita æterna continentur. Adjunxit autem eam ſanguini magis, quam corpori, tum quia in ſanguine ratio ſacrificii maxime cernitur; tum quia ſanguis expreſſior eſt figura mortis, in ſatisfactionem pro peccatis ſuſceptæ: quamvis etiam tacite in eo contineatur, quod de corpore dictum eſt, *quod pro vobis datur*, id eſt, pro ſalute veſtra, pro remiſſione peccatorum veſtrorum. Ex quibus patet Euchariſtiam non tantum eſſe Sacramentum, ſed & ſacrificium propitiatorium; & hoc ex ipſis verbis convinci.

29. *Dico autem vobis: Non bibam a modo*, Græce (*ap arti*) *ex nunc* ſeu *in poſterum*, familiariter ſcilicet vobiſcum convivendo, atque cœnando, *de hoc genimine*, ſeu fructu *vitis*, id eſt, de hoc vino, quod ſcilicet in cœna bibimus, quo calicem illum implevimus, ſub cujus ſpecie ſanguinem meum accepiſtis, *Uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum*, id eſt, donec bibam illud, longe alterius rationis & excellentiæ, in regno cœlorum

rum vobiſcum familiariter convivendo. Venuſte enim tranſit a ſignificatione vini propria ad metaphoricam, ſicut fit etiam cap. 8. verſu 22. & Joan. 4. verſu 13. & 14. ut ſignificet ſe in regno cœlorum cum illis inebriandum vino cœleſtium delitiarum ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis ejus eſſe potandum, ut eſt pſalm. 35. ubi iſta præſens metaphora vini explicatur. Itaque verbis iſtis ſignificat, ſicut familiares ſolent, hunc ultimum eſſe hauſtum, hanc poſtremam cœnam, quam cum eis ſumeret. Sicut autem inter bibendum de vino, ita idem inter comedendum de cibo dixiſſe Chriſtum, teſtis eſt Lucas cap. 22. v. 16, *Ex hoc non manducabo iſtud, donec impleatur in regno Dei:* cui mox ſubjungit iſta verba de generatione vitis jam explicata. Ex quo multi probabiliter ſentiunt, hæc eſſe dicta ante conſecrationem Corporis & Sanguinis Domini, ut Matthæus ordinem dictorum non ſervaverit, ſed Lucas; qui bis loquens de calice, primum v. 7. loquatur de calice profano, qui in cœna agnum Paſchalem ſubſequente a patrefamilias diſtribui ſolebat; deinde v. 20. de calice ſacro. Sed utrovis modo contigerit, verba veritatem ſuam, ut explicuimus, habere poſſunt.

30. *Et hymno dicto:* Græce in plurali, (*hymnesaites*) *cum dixiſſent hymnum*, ſeu laudes

des Deo consuetas. Unde nonnulli putant fuisse Psalmum 112. cum quinque sequentibus, eo quod illi a Judæis, ut Paulus Burgensis notat, post comestum agnum Paschalem cani solerent. *Exierunt in montem Oliveti:* decebat enim non in loco convivii, sed orationis eum capi, ut Origenes.

31. *Tunc dixit* &c. *Omnes vos scandalum*, seu offendiculum. *Patiemini in me*, id est, ero vobis lapis offensionis & scandali hac nocte, quia ex iis, quæ circa me fient, occasionem ruinæ seu lapsus in peccatum accipietis. Hoc autem in eo situm erat, quod fugientes Christum & corpore & animo, fidem divinitatis ammittendo, deseruerint: Nude enim fugere, cum Christum scirent ultro se tradere, neque defensionem, neque comitatum eorum velle, non fuisset peccatum, sed peccatum fuit ex timore mundano fugere, eo quod putarent Christum jam velut invitum & superatum pro aliorum libidine ad mortem rapi, & ex hujusmodi perturbatione in ipsa fide vacillare atque deficere. Nam hoc eis revera contigisse indicat clarius ipse Christus, Joan. 16. v. 31. & 32. *Modo creditis Ecce venit hora, ut dispergamini*, &c. quasi diceret, inquit August. in istum locum, tunc ita perturbabimini, ut etiam quod modo creditis, relinquatis. Et hinc est, quod Hilar. exponat, *scan-*

da-

dalum patiemini, id eſt, metu atque infidelitate turbabimini: quam ſæpius notat Aug. paſſum eſſe Cleopham, quando dixit Lucæ 24. v. 21. *Nos autem ſperabamus, quod ipſe redempturus eſſet Iſrael. Scriptum eſt enim*, de hujus noctis tribulatione: *Percutiam paſtorem*, gladio perſecutionis ac tribulationis, ut in manus hoſtium ſuorum perveniat, & hoc pacto *diſpergentur oves gregis*, quem colligere cœperat, ſuaque auctoritate continebat. Intelligit autem Chriſtum & Apoſtolos, cæterosque diſcipulos, qui de paſtoris ſui ſalute & expectata redemptione deſperantes, corporeque & animo fugientes, id eſt, etiam fide deſciſcentes eum deſeruerant. Citat autem ſententiam juxta ſenſum, non verba: nam Hebraice Deus alloquitur gladium ſuum dicendo, *Percute Paſtorem*: quo ſignificat ſe facere id, quod gladio ſuo præcipit, ut fiat. Prædictum hoc Deus, & Chriſtus allegatum voluit, partim ut intelligerent nihil inopinatum ſibi contingere, partim ne poſt lapſum ſuum inquit Hieron., deſperarent ſalutem. Unde illorum infirmitatem promiſſione reditus ſui mox futuri erigens, addit:

32. *Poſtquam autem reſurrexero*, quod ſtatim tertia poſt die futurum jam ſæpius audiviſtis, *præcedam vos*, denuo velut Paſtor gregem ſuum, ut vos a diſperſione apud me colligam, *in Galilæam*, patriam

riam veſtram, de qua vobis repetendâ cogitabitis, ut a Judæorum odiis ac metu liberati ſecurius vivatis: quaſi dicer. Nec deſertus deſeram vos, ſed præveniam vos in Galilæam, quam repetere voletis, ubi familiarius & ſæpius apparens colligam & refocillabo vos.

33. *Reſpondens autem Petrus*, qui ſe taxatum ſenſerat in eo, quod dictum erat, *Omnes vos, ait illi*, impulſus quidem fide & amore in Dominum ſuum, ſed infirmitatis ſuæ inexpertus: *Etſi omnes*, &c. *Ego nunquam ſcandalizabor*, ut te vel deſeram vel de te dubitem; ubi Chryſoſt. triplex peccatum ejus notat; quod neque prophetæ, neque Chriſti verbis acquieſceret, quod cæteris ſe præponeret, quaſi dicer. Quidquid paſſi fuerint cæteri, ego ſolus manebo tibi fidelis, quod denique ſibi ſeu viribus ſuis arrogaret id, quod precibus a divina miſericordia erat impetrandum. Nam ut optime dixit S. Innoc. in epiſt. ad Concilium Carthaginenſe, neceſſe eſt, quo auxiliante vincimus, eo iterum non auxiliante vincamur. Unde Chriſtus retundens illam arrogantiam ejus cum gravi aſſeveratione ait:

34. *Amen dico vobis*, ut vel ſic animi ſui fragilitatem ſuſpectam haberet, vel crederet: *quia non*, ita diu poſt, quando animus tuus videri poſſet deferbuiſſe, ſed *in hac* ipſa *nocte*, in qua jactas conſtan-

ſtantiam tuam, idque adhuc, *Antequam gallus cantet*, id eſt, ante tempus, quod vocatur galli-cantus, ſeu gallicinium, non ſemel, non bis, ſed *ter me*, Dominum tuum, quem tantopere te diligere gloriaris, non deſeres fugiendo, ſicut alii, vel ſimpliciter ſcandalizaberis, quod metu ac trepidatione fieri ſolet, ſed turpiſſime *negabis*, me tibi notum eſſe & conſequenter te diſcipulum meum eſſe, tibi quidquam negotii vel fuiſſe unquam, vel eſſe mecum. Omnia enim verba Chriſti emphaſin habent, & tam diſtincte exprimunt modum, tempus, horam, numerum, ut vel ſic tandem ſibi fidem adhiberet: non ut cogeretur ad negandum, inquit Ambroſ. in Luc. ſed ut inſtrueretur ad cavendum. Porro Gallicinium, eſt proprie tempus, non quo gallus canit media ſcilicet nocte, ſed quo maxime canit, nempe adventante luce circa initium quartæ vigiliæ. Unde Marci 13. v. 35. galli cantus diſtinguitur intra mediam noctem & mane, id eſt, verſus auroram: & Tobiæ 8. v. 11. vocatur *pullorum cantus*. Cum ergo Matth. & Lucas & Joannes abſolute dixerint, *antequam gallus cantet*, ſolus Marcus dixit cap. 14. *priuſquam gallus vocem bis dederit*; & eodem cap. v. 68. & 74. diſtincte narrat, gallum bis cantaviſſe: quod optime conſiſtit cum aliorum narratione, quia Marcus comprehendit & illum primum galli

cantum, qui media nocte fit, alii antonomastice solum illum maximum & celebriorem, quem diximus. Itaque Petrus adhuc fiducia non divinæ gratiæ, sed sui ipsius plenus, & fortasse putans comminantis, non prædicentis esse verba, ait:

35. *Etiamsi oportuerit me mori tecum*, quia ut August. lib. de grat. & lib. arbitrio cap. 7. putabat se posse, quod se velle sentiebat: dixit enim ista, non ut magistrum mendacem, sed ut animum suum, cujus utcumque conscius erat, testatum faceret. Unde & cæteri, ne viderentur Petro animositate & fidelitate cedere, *Similiter dixerunt*: Quare ut istam in eis valde pernicio sam præsumptionem sanaret, avertit ab eis paulisper Deus faciem suam, & facti sunt conturbati, ut ipso lapsu eis proficiente in bonum, humiliores redirent, atque doctiores, non sibi jam arrogando tamquam de suis viribus fiduciam permanendi, sed a divina gratia humiliter deprecando, ut idem tradit, de correptione & gratia cap. 9.

36. *Tunc venit in villam*, Græce (*chorion*) *prædium*, ut vertitur apud Marcum, seu *agrum*, qui fortasse complexus est villam simul & hortum, quem Joan. nominat cap. 18. v. 1. *Quæ dicitur Gethsemani*, (*Vallis olei*) vel (*Geth*) posito pro (*Ge*) vel (*Geth*) sive (*Gath*) proprie sumendo, *Torcular olei*, propter montem

tem olivarum, ad cujus radices erat. *Et dixit, Sedete hic*, in anteriore horti parte, ubi reliquit octo discipulos, donec *vadam illuc*, paulo ulterius ad jactum lapidis, ut Lucas, *& orem.* Non ergo latendi causa secessit, sed ut doceret, & oraret in tristitia, & modum orandi, quietem scilicet a turbis appetendo, ut Chrysost

37. *Et assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi*, Jacobo & Joanne, quos præ cæteris assumpsit, veluti familiariores & constantiores, quibus pleraque secreta crederet; ut sicut majestatis in transfiguratione, ita etiam infirmitatis testes fierent, ut utraque visa minus cæteris turbarentur. *Cœpit contristari*, & non an te, quantumvis de proditore & morte sua loqueretur: nempe quia non subito & præter voluntatem, ut nobis accidit, sed sponte, quando, quomodo, & quantum voluit, contristatus est: *Et mœstus esse*, Græce *ademonin* id est, gravissime angi, & animo pene deficere, quod apud Marcum ideo vertitur, *tædere:* cui additur etiam *pavere*, Græce *obtupescere*, id est, ingenti metu malorum imminentium concuti.

38. *Tunc ait illis: Tristis est anima mea*, Græce *perilypos*, id est, undique obsessus est animus meus tristitia, *Usque ad mortem*, id est, quasi in ipsa morte essem constitutus, quod Psalm. dixit: *Circumde-*

dederunt me dolores mortis. Chriſtus itaque cum aſſumpſiſſet naturam mortalem & infirmam, ſimul eam cum appetitu iraſcibili ſuſcepit, & motuum ejus capaci. Omnibus autem rebus inditum eſt naturaliter exiſtendi & permanendi deſiderium, & conſequenter fugiendi interitum ſuum: ſed in hoc inter nos & Chriſtum Dominum diſcrimen maximum fuit, quod nos iſtiusmodi motus, utpote rationem plerumque præcurrentes patiamur, & non patiamur inviti: nam & iraſcimur & triſtamur cum nolumus, & non iraſcimur, aut triſtamur, cum volumus, neque quantum volumus, propter rebellionem ex peccato natam: ille ſponte, cum voluit, & quantum voluit. In nobis ad objecta illicita non minus feruntur quam licita: in Chriſto nunquam ad illicita. In nobis plerumque rationem turbantes, eam ad ſe ferunt, imo pertrahunt, in Chriſto ratio nullam ex eis inquietudinem patiebatur. Hoc eſt igitur quod Auguſt. dicit in pſalm. 87. Chriſtum iſtos humanæ infirmitatis affectus non conditionis neceſſitate, ſed miſerationis voluntate ſuſcepiſſe. Cauſa ſuſcipiendi multiplex fuit: primo, ut verum ſe probaret hominem: ſi enim cum vultus, & verba, & res, mœrorem expreſſerunt, non creditur tamen a nonnullis paſſio inquit Chryſoſt. quid dicerent, ſi illa deſuiſſent? Secundo, ne quis paſſionem faci-

facile & ſine dolore toleratam ſuſpicetur. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui ſtuporem magis vulnerum tulerint, quam dolorem, ut Ambroſ. in cap. 22. Lucæ. Tertio, ut ſolaretur infirmos, ne timorem mortis & horrorem, peccatum eſſe crederent, vel de ſeipſis deſperarent, ut Aug. 3. de conſenſu cap. 4. ſi in ſubeunda morte pro juſtitia ſibi alacritatem illam deeſſe ſentirent. Ultro itaque Chriſtus totius paſſionis acerbitatem cum omnibus circumſtantiis ſibi ob oculos poſuit, & naturam in motus tantæ acerbitati congruos erumpere permiſit. Unde non timidus, ut nos, ſed fortiſſimus fuit, ut qui & timoris & tædii, ac triſtitiæ moleſtias ſufferre & ſuperare voluit. Quamvis autem non ſit dubium, triſtatum fuiſſe Chriſtum etiam de proditione Judæ, de peccatis Judæorum, de ſcandalo Apoſtolorum, & ſimilibus rationi repugnantibus malis, ut Hieron. eo tamen non videtur hic reſpici, ſed ad triſtitiam de amaritudine paſſionis: quæ tamen non turbabat gaudium beatificæ fruitionis ejus, neque hoc illam excludebat, quia erant de diverſis objectis, & in diverſis animæ partibus. Unde ut obſervat D. Thomas opuſc. de humanitate Chriſti, etiam pœnitentibus accidit dolere, & de eodem ſuo dolore gaudere: quamquam divina diſpenſatione factum videtur, ne tantum gaudium tan-

tam triſtitiam excluderet, vel minueret. *Suſtinete hic*, Græce (*minate*) manete: *Et vigilate* mecum, ut vigiliæ & orationis ſocietas vobis ſit præſidium, mihi aliquod ſolatium.

39. *Et progreſſus puſillum*, etiam ab illis tribus: *progreſſus* quidem juxta humanam conſuetudinem & verecundiam, qua æſtuantis animi motus in oratione coram hominibus effundere ſubmoleſtum eſt: *puſillum* vero ut tamen teſtes eſſe poſſent, & imitatores actorum. *Procidit in faciem ſuam*, ut corporis habitu ſimul humilitatem ſuperioris partis animi, & deſolationem inferioris teſtaretur. *Dicens & orans*: *Pater mi*, quod Marcus dixit: *Abba*, *Pater*, quaſi interpretans voce Græca id, quod Chaldaica dixerat *Abba*, fortaſſe ſacramenti alicujus cauſa, inquit Auguſtinus, ut ſignificaret ſe pro corpore ſuo, Eccleſia, ex Hebræis & Gentibus conſtante, pati. *Si poſſibile eſt*. Non loquitur de abſoluta poſſibilitate: quod ut intelligeremus, apud Marcum additur; Chriſtum, cum dixiſſet, *Si fieri poteſt*, adjeciſſe, cautionis cauſa ſcilicet, *Omnia tibi poſſibilia ſunt*. Itaque quid ſit illud, *Si poſſibile eſt*, explicuit Lucas dicendo, *Pater ſi vis*, ut notat Auguſtinus 3. de conſenſu Evangel. cap. 4. Unde non de rei impoſſibilitate, vel de abſoluta Patris omnipotentia, ſed de Patris voluntate hoc dixit. Hoc enim

fieri

fieri poteſt, quod ille voluerit: & non poteſt, quod noluerit, etiamſi in ſe ſpectatum fieri non repugnet. *Tranſeat a me calix iſte*, terribilis paſſionis, & imminentis mortis, quem jam guſtare cœpi: de qua voce *Calicis* alibi diximus. Ex hac oratione Calvinus Chriſto inconſiderantiam, oblivionem officii ſui, mentis caliginem, inconſtantiam, ſubitas voces dolore extortas adſcribit, ſed impie. Fuit enim præmeditata hæc oratio, ita contexta, ut priore ejus parte exprimeret deſiderium humanæ naturæ, optantis ab acerbiſſima morte liberari: poſteriori vero, deſiderium voluntatis rationalis, ſubjicientis illum eumdem naturæ impetum pleniſſime divino beneplacito. Diverſa quippe fuerunt deſideria, non ſibi adverſa, eamdem paſſionem ſub diverſis conſiderationibus abhorrentia & amplectentia. Dominabatur enim voluntas appetitui, ut ſicut libere triſtitiæ motus exerebat, ita eosdem & impletionem eorum divinæ voluntati ſubjiceret. Veteres, ut Auguſt. epiſt. 120. cap. 10. Greg. lib. 12. Moral. cap. 8. & alii nonnulli volunt Chriſtum in ſe transfiguraſſe vocem infirmorum: quod cum priore interpretatione bene conſiſtit. Fieri enim poteſt, ut ſimul uteretur voce naturæ, & hoc faciendo cauſam ageret fragilitatis & trepidationis humanæ, ut S. Leo loquitur Serm. 5. de Paſſ. in-

ſtruens eos, quid infirmitati concederetur humanæ & quo pacto deberent hujusmodi vota ad divinam voluntatem revocari, ſicut ipſe fecit, dicendo: *Verumtamen non ſicut ego volo*, appetitu illo naturæ, ſupple *fiat*; *ſed ſicut tu*. Quod dicendo indicat, & ſuam eſſe illam rationalem, obſolutamque voluntatem. Itaque non eſt hæc duplex oratio, nec una corrigit alteram, ut aliqui putant (nihil enim in Chriſto corrigendum erat:) ſed una, plena & deliberata oratio, cujus prima pars exprimit horrorem paſſionis ac deſiderii naturæ; hac tamen conditione modo atum, ut ſi fieri poſſet, id eſt, ſi Pater vellet, non moreretur: quæ conditio cum non ſubſiſteret, altera pars ſubjicit rem totam divinæ voluntati: ut exemplo doceret, inquit Chryſoſt. etiam natura abhorrente, ac renitente eſſe ſequendum Deum.

40. *Et venit*, Præſens eſt, ſicut & *invenit*: res enim narratur, quaſi ob oculos poſita gereretur: *eos dormientes*, & *dicit Petro*, qui cæteris erat caput, & præ cæteris ſe jactaverat; in ipſo tamen, & cum ipſo ſimul taxat cæteros: *Sic*, id eſt, ſiccine, itane impletis magnifica promiſſa veſtra? Unde apte quidam huic voci ſubjiciunt interrogationem. *Non potuiſtis una hora vigilare mecum?* in extremis anguſtiis meis, dum ego vigilo, oro, ſudo, pugno cum morte,

Non

Non quaſi per horam hac prima voce oraſſet: ſed per, *horam*, breve temporis ſpatium indicare voluit, ad accuſandam eorum negligentiam, quod nos diceremus, *per momentum*. Quamvis aliqui *horam* accipiant, ut verba ſonant, eoque reſpexiſſe Lucam velint, cum diceret, *quod prolixius orabat*.

41. *Vigilate* ergo & *orate*, non jam mea, ſed veſtra cauſa, hoc autem orate, non ut non tentemini, ſed *ut non intretis in tentationem*, ei ſuccumbendo, id eſt, ut Deus non ſinat vos induci in tentationis conſenſum: hic eſt enim gratiæ Dei orationis effectus. Nam tentari non ſemper malum eſt, imo ſæpe bonum, ut homo noverit infirmitatem ſuam & gratiam Dei. Ne autem fiderent ſpiritus ſui, ſeu voluntatis promptitudini, occurrit Chriſtus: *Spiritus quidem*, ſeu voluntas illa ſpiritualis, quam vos habere ſentitis, *promptus eſt*, ad reſiſtendum tentationi, & moriendum mecum: *caro autem*, id eſt, appetitus incolumitatis carnalis, quietis ac pacis, *infirma*, ad ſequendam illam voluntatem, quia adhuc in vobis robuſtus eſt. Quo enim talis carnis appetitus validior eſt, eo reddit hominem ad ſpiritus deſideria aſſequenda infirmiorem, imo infirmitas noſtra ipſe eſt, eo major, quo robuſtior. Hæc ergo cauſa neceſſitatis orandi, ut amor illo amore ſpiritus majore ſuperetur.

42. *Iterum secundo abiit & oravit: Pater mi, si non potest hic calix transire*, &c. Insinuat iterum indirecte gratum naturæ fore, si transiret; gratius tamen, ut obveniat, & impleatur voluntas Dei; dum absolute adjicit, *fiat voluntas tua*: quibus verbis non solum se resignat in mortem & voluntatem Dei, sed etiam orat, ut circa se impleatur. Eadem ergo est hæc oratio, quæ prior; quamvis in verbis aliqua videatur differentia: unde Marcus ait, eum *eumdem sermonem dixisse*.

43. *Et venit iterum*, ut inter media pericula curam salutis eorum ostenderet, eosque sui officii admoneret, ut & ipsi suam agnoscerent infirmitatem, & nos alienam tolerare disceremus. *Et invenit eos dormientes*, præ tristitia, ut expresse addit Lucas. *Erant enim oculi eorum gravati.* Somno igitur non voluntario premebantur; inquit August. 2. contra Gaudent. cap. 22. tristitia enim somnum provocat. Unde pueri cum fleverint & adulti tristes facile dormiunt.

44. *Et relictis illis oravit tertio eumdem sermonem, dicens:* id est, in eamdem sententiam, seu eamdem rem oratione petens: *Sermo* enim Hebraice pro re sumitur. Idem ergo, quamvis diversis forsan verbis, explicuerit, sicut & secunda vice factum vidimus. Sed cur ter oravit? quia hic numerus rei perfectioni & constantiæ servire solet, juxta

ta Chryſoſt. ut ſcilicet doceret perſeverandum in oratione inter pericula, etſi non fiamus mox voti compotes. Unde quamvis prima oratione, imo ipſemet potuiſſet, ſine oratione triſtitiam ſuam ſedare; maluit tamen exempli noſtri cauſa velut fructum tertiæ orationis hoc obtinere. Itaque

45. *Tunc*, finitis precibus, ſuppreſſo naturæ horrentis affectu, *venit ad diſcipulos ſuos, & dicit: Dormite & requieſcite.* S. Auguſt. lib. 3 de conſenſu cap. 4. accipit, ut verba indulgentis eis jam ſomnum: ideoque his pronuntiatis putat Dominum aliquantulum ſiluiſſe, ut fieret, quod permittebat; tum denique ſubjeciſſe id, quod Marcus dicit, *Sufficit.* Theophil. tamen & Euthym. valde appoſite accipiunt, ut verba exprobrantis importunam ſomnolentiam, per ironiam, quomodo & Auguſt. accipi poſſe dicit; hoc enim videtur poſtulare, quod ſequitur: *Ecce appropinquavit hora*, ſeu articulus temporis a Deo definitus: *Et*, id eſt, qua, *Filius hominis tradetur in manus peccatorum*: quaſi dicer. periculum præſens vos jam ſatis excitabit, quos crebra monitio non excitaverat.

46. *Surgite, eamus*, ipſis obviam, ut pateat, inquit Chryſoſt. non neceſſitatis aut infirmitatis humanæ rem iſtam eſſe, ſed divinæ diſpenſationis, nec me incaute oppreſſum, ſed ultro eis a me ip-

ſo

ſo traditum. *Ecce appropinquavit, qui me tradet*, Prædictio erat; necdum enim ſe dederat in conſpectum: unde ut appareret vera, unanimiter Luc. Marc. 8. Matth. notant, quod

47. *Adhuc ipſo loquente Judas* unus *de duodecim venit*, ex apoſtolo ſubito factus dux ſceleratorum hominum. Ne quid enim Chriſti injuriis deeſſet, oportebat eum a diſcipulo ordinis ſibi conjunctiſſimi tradi. *Et cum eo turba multa*, nempe tribunus & cohors a Romanis accepta, & miniſtri a Pontificibus & Phariſæis, ut tradit Joannes: ſimul etiam aliqui principes ſacerdotum, & magiſtratus templi, & ſeniores aderant, ut Luc. c. 22. verſu 52. *cum gladiis & fuſtibus*, ferratis ſcilicet, id eſt, haſtis, muniti adverſus vim ſive Apoſtolorum ſive turbæ, & velut facinoroſum comprehenſuri; *miſſi a principibus ſacerdotum & ſenioribus populi*, id eſt, a ſummo magiſtratu, tam Eccleſiaſtico quam civili.

48. *Qui autem tradidit, dedit eis ſignum*, ne per tenebras errarent in perſona, præcipue milites, qui eum minus noverant. *Quemcumque oſculatus fuero*. Elegit hoc ſignum pacis, partim reverentia magiſtri, partim verecundia diſcipuli, ut Hieron. notat, ut & Chriſtum proderet ſine violentia, & ſceleris fœditas eum ipſum & coapoſtolos lateret ad tempus. Erat enim ſignum ſalutantibus pro more gen-

gentis usitatum, ut patet in Joab, typo Judæ, 2. Reg. 2. versu 9. Unde Christus, *Osculum mihi non dedisti*, Lucæ 7. versu 45. Hinc eadem consuetudo mansit inter veteres Christianos, ut patet Act. 20. versu 37. & ad Roman. 16. versu 16. & passim alibi. *Ipse est*, quem quæritis, & quem pactus sum tradere: *tenete eum*, Marcus addit: *& ducite caute*, ne scilicet e manibus elabatur, ut aliquando fecit in Nazareth, Lucæ 4. v. 30. & Joan. 10. versu 39. Monuit hoc Judas, ne, si quo casu elaberatur, simul forsan & pecuniam pactam, & officium dispensatoris amitteret.

49. *Et confestim accedens*, tamquam domesticus: unde turbam videtur aliquantulum præcessisse, ut scilicet & videri ab ea posset, & non ab ejus partibus stare videretur. *Dixit: Ave Rabbi, & osculatus est eum*: nec Dominus osculum aversatus est, tum ne criminis causam aliqua ei præberet offensio, ut Leo Serm. 5. de passione: tum ut plus afficeret proditorem, cui amoris officia non negaret, ut hic Ambrosius: denique ut ita doceremur etiam sævituros in nos inimicos diligere, ut hic Hilar. Unde nec convitiis, nec minis, nec verbo perstringit asperiore, nec perfidiam exprobrat, sed blandissimo verbo intimam pungens conscientiam, ait:

50. *Amice;* quia amicus fuerat, & adhuc in ſcelere Dominus amicum animum erga eum ſervabat, ut Auguſtin. in Pſalm. 3.... *Ad quid veniſti?* id eſt, Quo impietatis deveniſti, inquiunt aliqui, ut ſit commiſerantis; ſed Græcum (*eph o parei*) *ad quid ades* ſeu *adveniſti?* ſatis indicat Chriſtum de corporali adventu loqui. Unde videtur vox admirantis: Cur cum oſculo, ſi proditor? Cur cum illo comitatu, ſi amicus? Ut autem indicaret, non ignotam ſibi fraudem eſſe, apud Lucam addit, maxima cum emphaſi, *Oſculo Filium hominis tradis?* id eſt, charitatis inſigne, inquit Ambroſ. in Hexam. convertis in ſignum proditionis? Pacis pignore uteris ad officium crudelitatis? Unde idem in Pſalm. 39. graviore telo tantæ dignationis percuſſum eſſe Judam dicit, quam ſi eum fulmine percuſſiſſet, neque patientiam Domini ferre potuiſſe, qui majeſtatem prodidit; putat enim ipſe propter hanc dignationis vocem in primis tactum Judam pœnitentia, & pecuniam retuliſſe. His ita peractis receſſit Judas verſus turbam, & contigerunt illa, quæ Joan. narrat de turbis proſtratis, ut ſentit Auguſtin. 3. de conſenſu capite 3. Si enim ante oſculum iſta contigiſſent, non opus fuiſſet oſculi ſigno, cum eis dixiſſet ipſe Jeſus, *Ego ſum.* Itaque poſt oſculum & proſtrationem turbæ, propria voce Chriſti in-

instructi, quod ipse esset, *Tunc accesserunt*, Domino eis quasi potentioribus cedente, & potestati temporariæ potentiam, quam habebant, permittente, & *manus injecerunt*, &c. cum tamen hoc jam tentare vellent.

51. *Et ecce unus extendens manum*, Petrus scilicet, ut est apud Joan. cum videret, ut ait Luc. quod futurum erat, quod nempe ligaturi essent, & ad supplicium adducturi, Christo non amplius eos prosternente, sed sinente accedere, *exemit gladium*, animo fervidus & manu promptus, non expectato Christi responso, ad interrogationem, qua discipuli petierant, num percuterent in gladio? Sed unde gladius Petro, in familia Christi pacifici? Chrys. putat reservatum ex occisione agni Paschalis; Cyrillus in Joan. ex consuetudine regionis ad arcenda pericula nocturna: sed perspicuum videtur, studiose a Petro fuisse gestatum, ad defendendum Dominum occasione proditionis instantis, & verborum Christi, Lucæ 22. versu 36. & 38. ... *Et percutiens servum principis sacerdotum*, nomine Malchum, ferocius instantem, inquit Leo Ser. 1. de Passion. ut inter primos manus injiceret in Jesum, *Amputavit auriculam ejus*, dexteram: quo satis indicatur, eum occidere voluisse, sed Deo ictum moderante, vel servo declinante frustratum. Fecit hoc Petrus eodem mentis ar-

ardore, quo cætera, inquit Hieron. & ut promiſſis ſuis ſatisfaceret.

52. *Tunc ait: Converte gladium in locum ſuum*, in vaginam reconde. Noluit enim perſecutorum defendi vulnere, qui voluit ſuo vulnere omnes ſanare, inquit Ambroſius 3. Officior. c. 4. Sed antequam hæc diceret, apud Lucam præmiſit, *Sinite uſque huc*, ſcilicet eos progredi ad me capiendum, inquit Auguſt. Quanquam Græcum *eate* etiam ſignificet *ceſſate*, quaſi dic. definite, huc uſque ſuffecerit me defendiſſe, quem ſenſum Euthymius inſinuat. *Omnes enim qui acceperint gladium*, ad ulciſcendum, ut vult Baſil. Regum 4. 9. ſeu potius generaliter, qui acceperint privata auctoritate. Ille enim accipit gladium, inquit Auguſt. contra Fauſtum cap. 70. qui nulla ſuperiori ac legitima poteſtate vel jubente vel concedente in ſanguinem alterius armatur. *Gladio peribunt*, id eſt, digni ſunt, qui pereant. Non enim eventus, ſed meritum homicidæ ſignificatur, juxta legem Gen. 9. v. 6. *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius.* Quo dicto non Petrum tantum, ſed & hoſtes ſuos, gladium & violentam poteſtatem in ſe innocentem uſurpantes, perſtrinxit, ut notat Chryſoſt. & Theophyl. Paruit ſtatim Petrus, ut liqueat eum, ſicut Moyſen olim, inquit Auguſt. loco cit. non deteſtabili immanitate,

ſed

ſed emendabili animoſitate juſtitiæ regulam exceſſiſſe: utrumque odio improbitatis alienæ; Moyſen fraterno, Petrum Dominico, licet adhuc carnali, tamen amore peccaſſe. Hæc prima ratio, qua repreſſit Petrum. Altera eſt:

53. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem*, pro auxilio Angelorum multo potentiori quam tuo; *Et exhibebit mihi modo*, hac ipſa hora, in momento, inquit Tertull. de patientia cap. 3. ut ſignificet interpellationem cæleſtis præſidii nondum eſſe ſeram, vel importunam: *Plusquam duodecim legiones angelorum*, pro vobis duodecim Apoſtolis. Eadem voce, *Legio*, utitur textus & Græcus & Syriacus, qua uſus videtur & ipſe Chriſtus tanquam in Judæa propter Romanos jam vulgari. Hieron. & Vegetius ſcribunt Legionem continuiſſe ſex millia militum, alii plures, Polybius pauciores. Quidquid ſit, ſignificari Chriſtus voluit ingentem Angelorum numerum. Loquitur autem ſecundum opinionem Petri, cum ipſe nec hominum, nec Angelorum auxilio indigeret, ſed Angeli ipſo.

54. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ*, ſupple, quæ tradunt, *quia ſic oportet fieri?* id eſt, quia oportet me non reſiſtere, me debere capi & mori. Scriptura enim dicit, *Tamquam ovis ad occiſionem ducetur.* Item, *Ego tamquam agnus manſuetus, qui*

portatur ad victimam. Nam, ut Cyrill. in C. 50. Isaiæ, ovis & agni in eos, per quos ad occisionem ducuntur, non insiliunt. Respondet itaque tacite objectioni, cur non petat auxilium, & cur illos & se a defensione contineat.

55. *In illa hora*, seu temporis articulo, *dixit turbis*, præcipue principibus Sacerdotum, magistratibus templi, & senioribus, ut Luc. explicat, nam in milites Romanos ultima hujus versus verba non ita quadrant: *tamquam ad latronem existis cum gladiis*, &c. ad conflandam mihi hominis facinorosissimi invidiam, qui quidlibet auderet, antequam capi posset, idque nocte intempesta, ut quasi ex insperato violentia ejus opprimatur. Gravissima est enim expostulatio de injurioso agendi modo, cum non in modum latronis se gessisset. Nam *quotidie*, clara scilicet luce, nec semel, sed per singulos dies, *apud vos*, præsentes & spectantes, *sedebam docens*, tamquam securus, nihil de fuga sollicitus, omnibus docendo benefaciens. De miraculis tacet, inquit Chrysostom. ne se jactare videretur. *In templo*, loco sanctissimo, vobis subjecto, a latrociniis alienissimo, ante judicium totiusque Reip. conspectum: *& non me tenuistis*, sicut debebatis, si erat justa causa.

56. *Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum.* Oportebat

bat enim hoc Sacramentum multipliciter prædici, quia quanto magis erat incredibile, tanto magis ſcandalo futurum erat, ſi nude prædicaretur, inquit Tertullian. libr. contra Judæos cap. 10. Marcus hoc modo, *ſed ut impleantur Scripturæ;* ut ſint illa verba Chriſti reddentis rationem, cur *hoc totum*, ſcilicet proditio, comprehenſio noctu inſtar latronis ſine defenſione contigerit, nempe non eorum poteſtate, aut viribus, quia diu ante perpetraſſent, ſed quia decreto Patris per Scripturas prænuntiato jam tandem permitteretur. Unde Lucas, *Hæc eſt hora veſtra*, ſeu opportunitas diu exoptata, qua vobis a Deo tandem permittitur in me agere, quod lubet; & *poteſtas tenebrarum*, id eſt, malignorum ſpirituum, laxata jam a Deo, quibus dominantibus præbetis manus. Matthæus tamen videtur hæc verba ex perſona ſua dicere. Ex his liquet, quam præſenti animo Chriſtus in periculis fuerit, ut qui unicuique interritus, quod ſuum erat, diceret, Judæ, Petro, Judæis. *Tunc* cum jam eum & captum, & ligatum, & Judæorum poteſtati prorſus traditum viderent, *diſcipuli omnes relicto eo fugerunt;* in pace leones, in prælio cervi, ut Tertull. loquitur, De corona milit. cap. 1. metuentes videlicet timore humano, ne & capiantur, cum Chriſti permiſſu libere abire potuiſſent, Joan. 18. v. 8.

57. *At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham, principem sacerdotum*, hoc est, Pontificem anni illius, ut Joan. *Ubi Scribæ & seniores convenerant*, jam ante scilicet, exspectantes ex Judæ condicto eventum rei, ut eum statim nocte, communi auctoritate damnarent. Testis autem est Joannes, fuisse ante ductum ad Annam, quia socer erat Caiphæ, & inde ligatum ad domum Caiphæ.

58. *Petrus autem*, animo jam ex prima trepidatione recepto, *sequebatur eum*, vinctus amore erga Dominum, quamvis infirmo: unde multum ponderat Ambros. in Lucam, hanc ejus audaciam inter pericula. *A longe*, quia amori mixtus erat timor: charitas trahit eum, timor retrahit: *Usque ad atrium principis sacerdotum*, id est, in ipsam aulam (*eas tys aules*) ut est Græce, scilicet primam ministris deputatam. Non enim hic accipitur pro loco subdiali; nam *Ingressus intro*, intromissus scilicet per ostiariam, opera illius discipuli, qui erat notus Pontifici, ut tradit Joannes; *sedebat*, ad ignem, ut alii narrant, *cum ministris*, operientibus dominos suos: ubi, inquit Cyril. libr. 11. in Joan. cap. 42. alto corde dolorem premens, quæ illi faciebant, facere simulabat.

59. *Principes autem sacerdotum*, &c. *quærebant falsum testimonium*, quod tamen verum videri vellent; unde Syrus simpli-

ci-

citer, *quærebant teſtes*: juris enim ſpeciem impietati prætexere voluiſſe perſpicuum eſt. Primo itaque de doctrina inquiſierunt, ut Joan. ubi cum nihil inveniſſent ex ipſo, ſed remiſſi eſſent ad auditores, teſtes ex auditoribus quærunt. *Ut eum morti traderent*: quo indicatur, nihil eis de mortis cauſa fuiſſe curæ, ſed larva judicii contentos fuiſſe, tum ut ſic honori ſuo conſulerent, tum ut Pilati opera poſſent uti ad ſupplicium decernendum, ſine quo non poterant.

60. *Et non invenerunt*, etiam falſum teſtimonium, quod eſſet idoneum ad necem juris ſpecie decernendam, eo quod nullam, ut Orig. vel veriſimilitudinem, vel colorem reprehenſionis invenirent in tanta ejus innocentia. *Cum multi falſi teſtes acceſſiſſent*, qui vel Pontificibus, vel magiſtratibus gratificari vellent, alii aliud, ſed ſine ſufficienti ad ſupplicium colore teſtantes, *Noviſſime autem venerunt*, tamquam ſingulare præ cæteris crimen objecturi, *duo*, ut in ore duorum teſtium plene comdemnari poſſet, juxta legem Deuter. 16. verſu 6. *falſi* tamen, quia & ſenſum & verba Chriſti perverterunt.

61. *Hic dixit*: *Poſſum deſtruere templum Dei*: (*manufactum*, addit Marcus) ſcilicet Jeroſolymitanum; *& poſt triduum reædificare illud*. Tendebat hoc teſtimonium ad convincendam ejus impietatem in de-

ſtruendo templo auguſtiſſimo, & præſumptionem, vel artes ejus magicas in reædificando. Falſum erat, & in verbis, quia non dixerat: Poſſum deſtruere, ſed, Solvite, vos ſcilicet, hoc eſt, ſi ſolveritis: & in ſenſu, quia locutus erat de templo corporis ſui. Et hinc notat Marcus, *non fuiſſe conveniens eorum teſtimonium*, quia ad necem inſufficiens, etſi fuiſſet verum: nemini erat injurioſa poteſtatis propriæ declaratio. Mirabilis autem innocentia, contra quam aliquid nec fingi poteſt ab inimicis.

62. *Et ſurgens princeps ſacerdotum*, iratus ſcilicet & impatiens, quod nullus inveniretur calumniæ locus, ut Hieron. notat: atque in primis, eo quod videret id ipſum Jeſum adſtantem intelligere, & idcirco putaret eum omnia ſilentio quaſi contemnere. *Ait illi: Nihil reſpondes ad ea*, &c. non quaſi Caiphas ipſe judicaret eſſe digna reſponſo; ſed ut ex quacumque occaſione ſermonis locum inveniret accuſandi, inquit Hier. *Jeſus autem tacebat*, tum quod ipſa ſe teſtimonia refellerent, etiam inimicorum & judicum judicio, tum quod nihil eſſet profuturum, ſed nociturum. Inimicos enim, dum purgare nos volumus, acerbamus, inqui Ambroſ. lib. 2. de interpellat. cap. 2. Quidquid enim dixiſſet, vertendum erat in calumniam, cum eſſet tantum figura judicii, reipſa latrocinium

nium ad damnandam innocentiam. Itaque tacendo, accuſationem non firmabat, ſed ſpernebat, tamquam qui non ſuum, ſed alterius crimen audiret, ut loquitur Ambroſ. in pſalmum 118. Denique hoc mirabile ſilentium per totam paſſionem obſervatum non caruit myſterio, quod abjecta ſcilicet omni privatæ defenſionis cura, mortem a Deo Patre decretam ſubire vellet. Itaque

63. *Princeps Sacerdotum ait illi*, ut efficaciſſimam calumniam ex ejus ore captaret; *Adjuro te per Deum vivum*, id eſt, Dei vivi ſeu veri nomine, & auctoritate interpoſita, mando tibi, & obſtringo te, ut ſit teſtis mandati mei, & irreverentiæ tuæ in Deum & me, ſi adhuc tacueris, & vindex falſi, ſi fefelleris. Ritus ille adjurandi in Scripturis frequens eſt, quo quis adigitur per reverentiam Deo debitam, ad aliquid faciendum, vel dicendum. *Ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus*, ille Meſſias Rex Iſrael, nobis promiſſus & expectatus, *Filius Dei*, natura ſcilicet, & proinde æqualis Deo. Nam & ipſe Chriſtus prædicaverat de ſe, Joan. 5. v. 18. unde Judæi eum lapidare voluerant, & hoc paſſim percrebuerat, & poſt confeſſionem Petri talis a diſcipulis habebatur, ut etiam patet ex teſtimonio Marthæ, Joan. 11. v. 27. Duo igitur ſunt hic gravia accuſationis capita, quæ meditatur Caiphas: ut ſi fateretur ſe Meſ-

ſiam Regem, eſſet reus læſæ majeſtatis Cæſaris; ſi Filium Dei, blaſphemus: ſentiebant enim hoc eſſe non poſſe, niſi ſimul eſſet æqualis Deo, unde utrumque objecerunt apud Pilatum Joan. 18. & 19. ſin autem utrumvis negaret, facile convinceretur, utrumvis ſibi tribuiſſe, & recenter acclamari permiſiſſe. Chriſtus igitur, ut oſtenderet ſe nec publicam judicis auctoritatem contemnere, & ſe gloriam Deo, per quem adjuratus erat, deferre debitam, ſimulque nos doceret, quomodo præceptum, quod tulerat, de promenda clara fidei & charitatis confeſſione ante Reges & Præſides, eſſet obſervandum,

64. *Dicit illi: Tu dixiſti*, ſcilicet id quod res eſt; ſeu id, quod ſum; eſt enim modeſta & ſine loquentis arrogantia veritatis confeſſio: unde apud Marcum clare dicitur, *Ego ſum*, & Lucas utrumque conjungit, *Vos dicitis, quia ego ſum.* Ne autem prætexere poſſent, ſe non ſatis dilucide reſponſionem intellexiſſe, ut tacite argumentum ſolveret, quod eos a credendo deterrebat, adjicit: *Verumtamen dico vobis.* Illud, *Verumtamen*, adverſarium eſt, ſed non habet, cui reſpondeat. Itaque videtur Chriſtus non ad verba, ſed ad mentem eorum reſpondere, quæ exprimitur Lucæ 22. v. 67. quia ſcilicet non crederent eum eſſe Filium Dei, nempe propter perſonam ejus contemp-

ti-

tibilem: quasi dicer. vos id quod dixi, non creditis quidem, verumtamen reipsa hoc brevi patefiet: nam *amodo*: id est, ex modo, seu ex hoc tempore, & posthac, *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei*, id est, non habitu rei criminosi, atque in illa abjectione, qua modo, sed super omnem creaturam, assidentem Deo, natura, potestate, imperio, honore æqualem: de quo vide dicta cap. 22. v. 44. Impletum est hoc statim ab ascensione, ad Philipp. 2. v. 9. quia prædicantibus Apostolis & miraculis coruscantibus, videre, id est experiri coacti sunt Christi exaltati ad dexteram Patris majestatem: maxime tamen implebitur in novissimo judicio, de quo intelligi debet id, quod sequitur; *& venientem in nubibus cœli*, ad judicandum vivos & mortuos, & inter illos etiam vos judices meos. Alludit ad duo Scripturæ loca, de Filio Dei pronuntiata, Psal. scilicet 109. versu 1. & Danielis 7. v. 13. August. Epist. 80. intelligit nubes mysticas, prædicatores scilicet Evangelii, quibus vectus Christus fuit statim ab ascensione per Judæam, totumque mundum, Judæis videntibus; sed sensus videtur mysticus.

65. *Tunc princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua*, ad testandam doloris sui magnitudinem de tanta scilicet blasphemia. Erat hoc & Gentibus, maxime tamen

Judæis, uſitatum ad declarandam rei alicujus indignitatem & acerbitatem, ſive luctus, ut fecit Jacob, viſa tunica cruenta filii, & Joſue, Num. 14. verſu 6. ſive blaſphemiæ, ut fecit Ezechias, auditis blaſphemiis Rabſacis, 4. Reg. cap. 19. verſu 1. & Paulus, & Barnabas, Act. 14. verſ. 13. Itaque neſciens, inquit Leo Serm. 6. de Paſſ. quid hæc ſignificaret infamia, ſacerdotali ſe honore privavit, id eſt, privandum ſignificavit, ut notarunt & Orig. & Hieron. erat enim vetitum ſummo ſacerdoti ſcindere veſtimenta ſua, Levit. 21. v. 10. Similis myſtica ſignificatio ſciſſæ veſtis portendit & Sauli ablationem regni, 1. Reg. 15. v. 28. & Salomoni 3. Reg. 11. v. 31.... *Dicens, blaſphemavit*, id eſt, Deo injuriam verbis irrogavit, ſibi divinitatem arrogando. *Ecce nunc*, hoc ipſo tempore & loco, coram tribunali, *audiſtis blaſphemiam*, quæ nulla ſcilicet tergiverſatione excuſari poteſt. Videntur eſſe verba exultantis, quod tandem voti compotes facti ſint.

66. *Quid vobis videtur?* non de crimine, quod perſpicuum eſſe volebant, ſed de pœna. *Dixerunt, Reus eſt mortis*, juxta Legem apertam, Levit. 24. v. 16. Lapidatio decreta erat blaſphemis per eamdem Legem: ſed videntur neceſſario ſupplicium crucis ei deſtinaſſe, ut patet ex tot acclamationibus cap. ſequenti. Itaque hic Chriſtus primus propter confeſſio-

ſeſſionem principalis articuli fidei, ſcilicet nominis Chriſti, condemnatur; qua de cauſa peculiariter vocatur *Caput Martyrum*.

67. *Tunc*, cum jam eſſet adjudicatus morti, & ſolutum conſilium, & indictum iterum in mane, *exſpuerunt in faciem eius*, ſcilicet viri, qui tenebant eum, ut Lucas: Marcus inſinuat etiam aliquos Sacerdotum hoc feciſſe, dum a miniſtris eos diſtinguit. Eſt hoc genus contumeliæ graviſſimum animo ingenuo, in ſummum contemptum, & deſtationem ejus: quaſi facies, pars honeſtiſſima, ſit digna ſordibus contemptoris excipiendis. *Et colaphis cæciderunt*, Græce (*ekolaphisan*) *colaphizarunt*. Theophyl. dicit hoc fieri digitis curvatis, & in pugnum contractis, quod idem ſignificat verbum Syriacum, & translatio Hebræa, & noſter textus hoc poſtulat. Diſtinguitur enim hic a palmis, ſeu alapis, ut Marc. unde & apud Comicum, *Colaphis tuber eſt totum caput*. Nam colaphi dantur non ſolum in faciem, ſed & in cervicem, & caput: ut non ſit dubium, hinc totam faciem lividam intumuiſſe. *Alii autem palmas in faciem ejus dederunt*: Græce *herrapisan*, quod Beza, & aliqui Catholici, fortaſſis eum imitati, volunt eſſe *bacillis cædere*: ſed male: non enim vulnera hic Chriſto, ſed magis ſummam ignominiam quærebant. Teſtatur & Suidas, *rhapizein*

eſſe

esse plena & explicata manu genas cædere, quasi dicas, *Expalmare* seu *Depalmare*. Unde & quidam hæretici fatentur eruditius verti non potuisse, quam noster hic vertit: & alius longe melius nostrum vertisse, quam Bezam. Cæterum, quia *rhapis*, teste Hesychio, etiam *soleam* seu *crepidam* significat, hinc *rhapizein*, cum de ludibriis agitur, etiam significat faciem solea percutere, quod Persius dixit, *objurgare solea*. Porro utrovis modo fiat, gravissima est ignominia, & servis tutis vilissimæ nota. Hinc est, quod insultationem addant acerbissimam.

68. *Prophetiza nobis, Christe*, id est, Ostende te jam Prophetam, cum nullus Christo major sit Propheta, qualem te jactasti; dicendo nobis: *Quis est qui te percussit?* hac scilicet vel ista alapa. Sarcasmus iste non habet locum, nisi ex Marco & Luca intelligamus, quod *velaverunt faciem ejus*, hoc est, oculos, ne percutientes videre posset. Itaque mordacissimis istis ludibriis significare volebant, falso sibi nomen Christi & Prophetæ arrogasse, ut qui nec percussores suos posset dignoscere. Alia multa fuisse verborum opprobria indicat Lucas generaliter dicendo, *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum*: similiter & factorum, Isaias, cum dicit, id quod siluerunt Evangelistæ, *Genas meas dedi vellentibus*, seu vellicantibus, barbam scilicet. Quæ

om-

omnia ſicuti fuerunt dictu & cogitatu horrenda in talem perſonam, ita & patientia ejus admirabilis, ut ea de cauſa dixerit ibidem ejns nomine Iſaias. *Ideo poſui faciem meam, ut petram duriſſimam*, hoc eſt, inquit Tertull. lib. de patientia, omni impatientiæ impenetrabilem.

69. *Petrus vero:* quamvis hæc narrentur poſt contumelias Domini uno tractu narratas, contigerunt tamen vel inter illas, vel fortaſſis etiam ante, durante examine. Itaque *Petrus ſedebat*, ad ignem cum miniſtris: ut calefaceret ſe, *foris in atrio*, id eſt, anteriori aut exteriori aula, quo ſignificatur, Chriſtum tunc fuiſſe in interiori, ſeu conclavi, quo non erat acceſſus miniſtris. Marcus addit *deorſum*, ut inſinuet Dominum fuiſſe ſurſum in ſuperioribus ædium. Utrumque optime notat Auguſt. 3. de conſenſu cap. 6.... *Et acceſſit ad eum una ancilla*, ſummi Sacerdotis, ut Marc. & quidem oſtiaria, quæ Petrum intromiſerat, ut indicat Joannes. *Dicens*, primo quidem circumſtantibus, *Et hic cum illo erat*, ut colligitur ex Luca; deinde audacior facta & ipſi Petro: *Et tu cum Jeſu Galilæo eras*, & conſequenter ejus diſcipulus es, ut indicat Joannes. Contemptus cauſa ſic vocabatur, & tunc & poſtea a Juliano Apoſtata, eo quod in Galilæa, maxima ex parte educatus eſſet, & plerique ejus diſcipuli eſſent Galilæi.

70.

70. *At ille negavit coram omnibus*, ut omnes ita purgationem, ſicut accuſationem ancillæ audire poſſent. Notat hanc circumſtantiam, velut gravantem crimen, *dicens*, *Neſcio quid dicis*, id eſt, neſcio, quid verbis iſtis ſignificatum velis. Habet enim hoc emphaſin ſecuræ negationis, quaſi incognitus ſibi eſſet, ut nec terminos intelligeret. Erat autem hoc non ſolum negare diſcipulatum Chriſti, ſed etiam ſe eſſe Chriſtianum, hoc eſt, ipſam fidem Chriſti, ut Auguſt, tract. 113. in Joan. nemo enim credit incognitis. Ecce columna firmiſſima, inquit ibidem, ad unius auræ impulſum tota contremuit. Ubi eſt illa promittentis audacia, & de ſe plurimum præſumentis? ſed quid mirum, ſi Deus vera prædixit, homo autem falſa præſumpſit?

71. *Exeunte autem illo*, eo quod timeret deprehendi: *Januam* ſcilicet aulæ, ut iret in veſtibulum, ante atrium, ut Marcus. Ubi cum foris jam eſſet, prima vice gallum cantantem audivit, ut ibidem notat, neque quidquam commotus ſuit. Colligunt itaque nonnulli hoc circa mediam noctem contigiſſe, quando gallus primo canere ſolet. *Vidit eum alia ancilla*, & *ait his*, *qui erant ibi*: muſſitans hoc forte circumſtantibus, ſic ut Petrus exiens audire poſſet. Reverſus eſt ergo, vel ne fugiſſe videretur, vel ut ſe purgaret, vel frigoris impatiens,

vel

vel curioſus, ut videret finem iſtius tragœdiæ. Nam ex Marco conſtat Petrum exiiſſe, & gallum audiviſſe cantantem; ex Joanne vero, quod ad focum ſtans ſecundo negaverit. Silet ergo Matthæus reditum ejus. Itaque poſt reditum alius quidam, ut Lucas notat, imo alii plures, ut Joan. objecerunt ei, ſtanti & calefacienti, idem, quod ancilla dixerat circumſtantibus, videlicet: *Et hic erat cum Jeſu Nazareno?* ita fere S. Auguſt. iſta conciliat, quæ alioqui minus perſpecta quosdam adegerunt, ut Petrum ſæpius quam ter negaſſe crederent.

72. *Et iterum negavit cum juramento;* ut vel ſic crederent, quod ſimpliciter neganti non crediderant. Ita mendacio adjecit perjurium, *quia non novi hominem;* tantum abeſt, ut ſim diſcipulus ejus. Manſit ergo ibi ſecurior, putans eis ſe plene feciſſe fidem tanta aſſeverandi pertinacia.

73. *Et poſt puſillum,* (Lucas ait, *Intervallo facto, quaſi unius horæ*) *acceſſerunt qui ſtabant.* Lucas unum tantum nominat, quem Joan. dicit fuiſſe cognatum ejus, cujus Petrus auriculam abſciderat, atque objeciſſe, quod eum vidiſſet in horto. Huic alii ſe junxerunt, *Et dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es,* qui iſti homini adhæſerunt: *nam & loquela tua manifeſtum te facit:* idioma ſcilicet Galilæum, quo loqueris, probat te eſſe Galilæum,

ut

ut dicitur apud Lucam, & consequenter te esse istius Galilæi discipulum. Nam quamvis omnes Syriace loquerentur, dialecto tamen discrepabant; cujusmodi discrepantiam ejusdem linguæ in omnibus nationibus videmus. Petrus autem videns crescere periculum ex cognato ejus, quem pene occiderat, & se tot argumentis premi, & pene convinci.

74. *Cœpit detestari*: Græce *katanathematisin*, id est, execrari, & diris se devovere, sibi mala imprecari: quamquam aliqui intelligant cœpisse detestari Jesum. *Et jurare*, seu cum jurejurando affirmare, scilicet tam imprecatorio, quam assertorio; *quia non noviſſet hominem*, quanto minus se esse discipulum ejus. *Et continuo* (Lucas, *adhuc eo loquente*) ut appareret, Christum vera prædixisse, *gallus cantavit* (Marcus, *iterum cantavit*:) quam iterationem ipse notat, quia solus narrat, Christum prædixisse, quod ter negaturus esset Petrus, antequam gallus cantaret bis.

75. *Et recordatus est Petrus*, partim exteriore cantus admonitu, partim interiore Christi suggestione: quæ si defuisset, non magis tunc quam primo cantu fuisset recordatus *verbi Jesu, quod dixerat*, &c. Unde Lucas ante recordationem istam, velut causam ejus, notat, quod *conversus Dominus*, non corporaliter, quia nihil profuisset; ut enim supra ex Augusti-

no-

notavimus, Petrus erat foris, id eſt, in aula exteriori ac deorſum. Chriſtus intus ac ſurſum: *Reſpexit Petrum*; divinæ ſcilicet miſerationis intuitu, quia latenter ſubvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore ſua gratia viſitavit Petrum, interioris hominis uſque ad exteriores lacrymas produxit affectum, ut loquitur hac de re Auguſt. de gratia Chriſti cap. 45. Quem internum divinitatis Chriſti reſpectum fuiſſe ſignificatum, docet etiam Ambroſ. lib. 18. in Lucam, & Leo Serm. 3. de Paſſ. Itaque Petrus non tam metu quam compunctione motus, & ideo conſortio, per quod lapſus erat, *egreſſus foras*; ſolitudo enim ad negotium flendi & pœnitendi aptior, ut Auguſt. 8. Confeſſ. cap. 11.... *flevit amare*, quia tam enorme peccatum non erat pœnitentia perfunctoria expiandum. Permiſſa ſunt hæc divinitus in Petro, ut elideretur ejus præſumptio, inquit Baſil. Reg. inter breviores 81. ut diſceret infirmis parcere, ubi ſuam noviſſet infirmitatem, ut idem ait Homil. 22. ut in Eccleſiæ principe etiam ab iteratis peccatis remedium pœnitentiæ conderetur, ut Leo Serm. 9. de Paſſ. denique ut idem ait, ut nemo auderet de ſua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec Petrus potuit evadere.

CAPUT XXVII.

Mane autem facto, (Lucas, *ubi factus est dies*) *concilium inierunt*: quod posset intelligi de simplici consultatione eorum; sed Lucas dicit, quod *convenerint*, & duxerint Jesum in concilium suum: quo indicatur, concilium nocturnum ante finitam noctem fuisse dissolutum, & mane iterum congregatum. Itaque *Concilium injerunt omnes principes sacerdotum*, ut nemo tantæ causæ deesset, *adversus Jesum*, *ut eum morti traderent*, id est, qua via mortis sententiam jam latam exequerentur, an, ut olim cogitaverant; an tumultuarie, ut fecerunt in Stephanum; an via juris, auctoritate Præsidis. Evangelistæ omnes notant hoc secundum concilium, quod Marcus dicit fuisse *universum*, ex omnibus videlicet septuaginta duobus constans judicibus. Solus Lucas notat eamdem quæstionem ibi fuisse iteratam, an esset Christus, eoque confitente, quod ipse esset, eos similiter respondisse, *Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audivimus ex ore ejus.* Ex qua rerum similitudine, & quod non videatur verisimile eos iterum examinasse id, quod jam confessus erat, ne forte, quod nollent, palinodiam caneret, vel otiosam responsionem iteraret, putant

tant quidam ea omnia contigiſſe in ſolo primo nocturno conventu, & Lucam non ſuo ordine narraſſe. Sed ſane ipſe contextus Lucæ ſic rem deſcribit, ut ſine violentia non poſſint omnia torqueri ad primum conventum. Dicit enim: *Ut factus eſt dies, convenerunt*, &c. *& duxerunt eum in concilium ſuum, dicentes: Si tu es Chriſtus;* & peracto illo examine, lataque ſententia addit, quod ſurrexerint & duxerint ad Pilatum. Alii putant omnes illas interrogationes, & teſtimonia contigiſſe mane in ſecundo concilio, Matthæum vero & Marcum ea per anticipationem narraſſe; ſed longe ſane improbabilius. Apertiſſime enim deſcribunt duo Evangeliſtæ illuſionem Chriſti, quaſi nocte factam, idque propter exiſtimatam blaſphemiam, quod ſe Chriſtum dixiſſet. Nam tota illuſio iſta erat perpetua quædam exprobratio iſtius confeſſionis, & ideo Matthæus dicit, *Tunc exſpuerunt*, &c. Itaque rectius & facilius accipiuntur, ut verba ſonant, quo etiam in hoc concilio, quia plenum erat ex omnibus judicibus, & quia alterum nocturnum fuerat, quod jure habetur illegitimum, & ut confidentius eum condemnarent omnium ſuffragio, ſi in eadem confeſſione perſiſteret, eamque confirmaret, eum interrogaverint, an eſſet Chriſtus, & ex ore ejus, & iterata confeſſione ipſum condemnaverint. Itaque

2. *Vinctum*, Græce (*thesantes auton*) *cum vinxissent eum*, unde solutus videtur adstitisse in concilio, ut confessio liberior, nec vi extorta videretur. Vinxerunt autem, quia moris erat, ut, quem adjudicassent morti, ligatum traderent, ut Hieron. notat, videlicet tanquam certo reum. *Adduxerunt* eum, nempe universum concilium simul, ut ex Luca patet, qui dicit: *Surgens omnis multitudo eorum duxerunt*, &c. Idque ut auctoritate sua cohiberent populum: tum ut Pilatus sine longiori examine morti traderet eum, qui omnium unanimi judicio esset mortis reus: denique ne quisquam eum auderet defendere. *Et tradiderunt Pontio Pilato*, ut esset executor sententiæ, non arbiter causæ, inquit Leo Serm. 8. de Pass. id est, ut non cognosceret causam, sed ut in damnatum adverteret. *Præsidi*, id est, Præfecto & Gubernatori totius Judææ a Tiberio constituto. Causa vero, cur non ipsi occiderent, datur apud Joan. cap. 18. v. 31. quod non liceret eis interficere quemquam; adempta scilicet eis per Romanos potestate capitalis supplicii statuendi, quamvis possent infligere leviorem pœnam, ut flagellationis, Act. 5. v. 40. Et hinc est, quod testatur Josephus 20. Antiquit. c. 8. Annanum Pontificem privatum fuisse pontificatu, eo quod Jacobum, fratrem Jesu Christi, & alios viros bonos,

coacta

coacto judicum concilio, velut impietatis reos curaſſet lapidandos, nempe abſque Romani Præſidis, vel certe Regis Agrippæ aſſenſu. Nam lapidatio Stephani videtur tumultuarie nullo juris ordine, vel ſententia contigiſſe. Potuerunt vero, & aliæ fuiſſe cauſæ tradendi eum Præſidi, ut ſcilicet invidiam declinando, culpam in Præſidem ethnicum derivarent: ut res tutius ſine ſeditionis periculo fieret, & ſine violatione feſti fieri videretur: quas cauſas conſiderant Chryſoſt. in hunc locum, & Aug. Tract. 114. in Joannem.

3. *Tunc videns Judas, quod damnatus eſſet*, id eſt, certæ morti adjudicatus, conclamata jam bis ſententia, ad cujus executionem per Pilatum properabant. Unde putant multi, non exiſtimaſſe Judam, quod eſſet interficiendus a Judæis, ſed quia non poterat eorum animum ignorare, quem jam ſæpe declaraverant, verius videtur, quod criminis atrocitas jam tandem ob oculos poſita una cum conſiderata Chriſti erga ſe ad ultimum uſque humanitate, *pœnitentia ductus* fuerit machinatæ proditionis; ſed inutili. Nam quamvis & peccatum horruerit, & confeſſus fuerit, & pecuniam abjiciendo quodammodo ſatisfecerit, multis tamen neceſſariis pœnitentia ejus caruit. Defuit enim fides Chriſti, ut Dei, ut redemptoris, ut juſtificatoris a peccato,

defuit ſpes veniæ, ſicut & Cain, defuit affectus amoris in offenſum Deum. Unde dolor fuit non erigens animum ad emendandum, ſed horrore quodam crucians & obruens conſcientiam ad deſperandum, eo fere modo, quo fit in inferno. *Retulit triginta argenteos*, ut pactum, quantum in ſe eſſet, reſcinderet, & ita mentium infidelitatem profeſſio vendentis argueret, ut Hilarius. *Principibus ſacerdotum*, ſive in domo Caiphæ, vel Pilati congregatis, ſive potius nonnullis in templo obeuntibus miniſteria. Principes enim ſacerdotum vocantur capita familiarum, quæ non neceſſe eſt omnia adfuiſſe.

4. *Dicens: Peccavi, tradens ſanguinem juſtum*, prodendo virum innoxium ad mortem; hoc enim ſignificatur per *ſanguinem*. Unde tacite multo gravius arguit principes proditionis, & mortis auctores, & ſimul abſtergit maculam, quæ Chriſto apud Judæos adhærere potuiſſet, quod eum diſcipulus propter ſibi magis nota crimina tradidiſſet. *At illi dixerunt: quid ad nos?* quod tu peccaveris: *tu videris*, an feceris, & quid feceris & quam rationem reddere poſſis. Itaque facinus in ſolo vendente ſtatuunt, cum vendentis teſtimonio ſcelus mentium argueretur.

5. *Et projectis argenteis in templo*: ſic enim ſacerdotibus eos ſibi videbatur reddere; *recessit*, non affectu pœnitentis, ſed furore

rore pereuntis, loca ſecreta quærens; *& abiens laqueo ſe ſuſpendit:* quaſi qui vellet proprio ſupplicio ſcelus ſuum expiari, inquiunt quidam; ſed rectius Hieron. in cap. 5. Amos, malis, quibus anxiabatur, finem imponere, reputans mortem ſibi malorum fore finem, ut deſperantes ſolent. Stimulos enim & flagella conſcientiæ non ſuſtinebat. Elegit autem ſuſpendium, quia, ut Auguſtinus 2. contra litteras Petiliani c. 49. duæ ſunt maxime viles & uſitatæ mortes eorum, qui ſeipſos interimunt, laqueus & præcipitium. De genere mortis ejus plura in caput 1. Actorum.

6. *Principes autem ſacerdotum dixerunt: non licet eos mittere in corbonam*, id eſt, gazophylacium, ſeu potius in theſaurum ſacrum, qui *Corban* dicebatur, ut Joſeph. lib. 3. de bello Judaico cap. 8. quamvis proprie ſignificet oblationem ſeu donum. *Quia pretium ſanguinis eſt*, quo ſcilicet ſanguis, ſeu homo ad ſanguinis effuſionem eſt venditus; ubique ſibi ſimiles, excolantes culicem & camelum glutientes; quaſi conſcientia ipſorum ſine noxa ſcelus caperet, cujus pretium theſaurus non reciperet. Non licere autem dicunt, non quod certa Dei lege eſſet prohibitum, ſed per analogiam ad legem Deuteron. 23. v. 18. vel propter certas eorum traditiones.

7. *Concilio autem inito*, in quem pium uſum pecunia poſſet expendi, cum velut polluta non poſſet converti in theſaurum vel uſum templi, *emerunt ex illis agrum figuli*, Græce (*ton agron tu kerphamenos*) *illum agrum figuli illius*, certum agrum deſignans, tunc, cum ſcriberet, celebrem. Situs erat ad auſtralem plagam urbis, poſt montem Sion, ut notat Hieron. lib. de locis Hebraicis. *In ſepulturam peregrinorum*, ut in mortuos & immundos expenderetur immundum hominis interfecti pretium. Peregrini enim, hoc eſt, non cives Jeroſolymitani, magno numero quotannis affluebant Jeroſolymam ad ſolemnitates, qui propriis carebant ſepulchris. Quanquam credibilius ſit, hic intelligi peregrinos gentiles, quales erant Romani milites, quos nefas putabant cum Judæis ſepeliri: & ita res iſta magis ſervit myſterio. Significatum enim fuit, morte Chriſti emendum eſſe mundum, velut agrum lutoſum & peccatis immundum, in ſepulturam peregrinorum: ut ſcilicet paretur vera requies iis, qui in hoc mundo velut advenæ & peregrini degunt, maxime Gentilibus.

8. *Propter hoc vocatus eſt ager ille*, nempe non a Principibus, ſed a vulgo, cum res innotuiſſet: (ſicut indicatur Act. 1. v. 15.) *Haceldama*: Vox eſt Syriaca, ſignificans *agrum ſanguinis, uſque in præſentem diem*,

diem, quo illa ſcribebat Evangeliſta. Divina hoc factum eſt providentia, ut, cum ſcelus obruere vellent, magis inclareſceret. Nam, ut Chryſoſt. ait, nomen loco inditum omni tuba clarius ſcelera tam eorum prodidit cædem, non præſentibus tantum, ſed & poſteris, ut quoties ager nominaretur, toties memoria ſceleris eorum reviviſceret.

9. *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam.* Prophetia, quæ hic citatur, apud Jeremiam non habetur, ſed apud Zachariam, magis tamen quantum ad ſenſum, quam ad verba. Unde difficultas iſta novem aut decem diverſas peperit opiniones. Alii putant deſumptum teſtimonium ex ſcriptis Jeremiæ, quæ perierunt, de quo 2. Machab. 2. v. 1. Alii ex apocryphis Jeremiæ libris, ſicut fecit Apoſtolus de Janne & Mambre 2. ad Timoth. 3. v. 8. Alii ex Jeremia noſtro eraſum eſſe. Alii errore librariorum poſitum Jeremiam pro Zacharia. Utrumque indicat Euſeb. lib. 10. de demonſtratione Evang. Alii traditionem ex Jeremia acceptam citari. Alii occurriſſe Matthæo nomen Jeremiæ pro Zacharia, & corrigere noluiſſe, eo quod ſciret tantam eſſe Prophetarum concordiam & unitatem, eodem per omnes loquente Spiritu, ut quod unus dixiſſet, alteri tribui poſſet. Ita Auguſt. 3. de conſenſu Evang. cap. 8. Duæ ſententiæ

videntur esse probabiliores: una, quod cum Zacharias de pretio mentionem faciat, nihil de agro empto, vel de eo, quod istud Dominus constituerit; Jeremias vero nihil de pretio appretiati, sed de agro empto, & quod hoc esset *verbum*, id est, voluntas & constitutio Domini: Matthæus utramque prophetiam in unam conjunxerit, & uni attribuerit eo modo, quo fecit & Marc. c. 1. v. 2. ubi tribuit Isaiæ, eadem arte contexendi Scripturas, prophetiam quandam Malachiæ, cui Isaiam subjungit. Hoc autem eo magis fecit Matthæus, eo quod præmisisset de agro empto in sepulturam peregrinorum, ad quod multo magis spectat prophetia Jeremiæ, quam Zachariæ: nam Jeremias sacerdos agrum illum emit ad significandum, quod Judæi reversuri essent e captivitate Babylonica, & habitaturi in agris Israel, quod sublimius præfigurabat, Judæos in fine mundi reversuros, velut peregrinos in Ecclesiam, tamquam agrum Christi occisi pretio peregrinis comparatum. Sensum istum subindicant & magis amplecti videntur S. August. loco citato & S. Anselmus in hunc locum. Altera est facilior, quamvis Augustino non videatur probari, nomen Jeremiæ irrepsisse in textum incuria vel temeritate librariorum; cujus rei indicium est, primo quod Matthæus non soleat nomina Prophetarum ex-

exprimere: ſecundo, quod nonnulli codices Latini, etiam tempore Auguſt. & Lirani eo caruerint, ut uterque teſtis eſt; unde & nunc non deſunt manuſcripta, tum Romæ, tum in Belgio, a quibus abeſt: tertio quod Syriacus textus non habeat nomen Jeremiæ. Hanc difficultatis iſtius ſolutionem ex antiquis innuit Hieron. & amplexus eſt Rupertus ac Liranus; ex recentioribus, Janſenius, Maldonatus, Baronius ad annum 34. numer. 19. Franc. Lucas in Notis ad Latin. textum, Suarez in 3. partem tom. 2. diſp. 34. ſect. 1.

Et acceperunt. Aliqui ſuppoſitum hujus verbi faciunt illud, *a filiis Iſrael*, ut ſubaudiatur, *quidam*: quaſi dicer. quidam ex filiis Iſrael acceperunt; qualis locutio eſt Act. 21. verſu 16. & hic ſupra c. 23. verſu 34. Sed clarum videtur, quod illud, *a filiis Iſrael*, reſpondeat verbis Zachariæ 11. verſu 12. *Appretiatus ſum ab eis.* Rectius itaque ſacerdotes acceperunt, *Triginta argenteos*, *pretium appretiati*, per appoſitionem, quaſi dicer. qui argentei fuerunt illud pretium Meſſiæ appretiati. *Quem appretiaverunt*, id eſt, tanti æſtimaverunt, & iſto pretio pacti ſunt, *a filiis Iſrael*, Juda ſcilicet proditore, qui erat ex illis, quod propheta ſtomachando dixerat, *decorum pretium, quo appretiatus ſum* ab eis.

10. *Et dederunt eos in agrum figuli*, i. e. ad emendum agrum figuli. Matthæus ne-

que

que verbis, neque verborum ordine cum Zacharia convenit, ut Hier. notat, ſed tantum ſenſu. Propheta enim perſonam Chriſti gerens petiit a Judæis ſibi dari mercedem ſuam, pro beneficiis, quibus eos docendo, ſanando, &c. affecerat; & principes, loco mercedis, *appenderunt*, inquit, *mercedem meam triginta argenteos*, eos appendendo Judæ proditori, ut morte mulctarer. Itaque dixit Dominus ei, *Proiice illos* argenteos *ad ſtatuarium*, Hebraice *figulum*, id eſt, ſic eos projice in templum, ut per ſacerdotes ad manus ſtatuarii ſeu figuli, vendentis agrum ſuum, perveniant, *decorum* ſcilicet & magnificum *pretium*, *quo appretiatus ſum ab eis*, pro tot laboribus & beneficiis: preſſius enim verba iſta cum irriſione & ſtomacho legenda ſunt, ut ibidem Hieron. notat. Itaque quos ibi argenteos projici jubet, eos projiciendos eſſe hoc ipſo prædicit, & quod Propheta ſe mox feciſſe dicit, hoc Matthæus narrat eſſe factum. Et illa cauſa eſt, cur ea, quæ Zacharias protulit in prima perſona, Matthæus narret in tertia, a qua tamen ſtatim tranſit ad primam dicendo, *Sicut conſtituit mihi Dominus*. Verba iſta non ſunt apud Prophetam, ſed res ipſa, quatenus dicit ſe, ſicut juſſus fuerat a Deo, tuliſſe & projeciſſe triginta argenteos in templum.

11. *Jesus autem stetit ante Præsidem* scilicet in Prætorio, Judæis remanentibus foris, ne contaminarentur. Multo enim plenius hanc historiam narrat Lucas initio capitis 23. & maxime Joan. cap. 18. versu 28. & seqq. Ex Joanne itaque constat, quod primo eum accusare noluerint, ut qui ejus judices fuissent, sed statim tamquam malefactorem plectendum esse contenderint. Quod cum Pilatus detrectaret, ex Luca constat, eos objeciisse, quod se dixisset esse Christum Regem, & tributa Cæsari dari vetuisset. Hoc crimen, neglectis cæteris, maxime examinandum duxit Pilatus, eo quod nemo in Romano imperio se Regem dicere posset sine læsa majestate, nisi Cæsar concessisset. Itaque interrogat eum Præses: *Tu es Rex Judæorum?* Græce (*ho basileus*) scilicet quem illi promissum exspectant & Christum vocant. Non caret autem emphasi illud, *Tu*, in tali scilicet habitu & apparatu, ut non sine contemptu & risu dictum videatur, ut notavit Origenes. *Dicit illi Jesus: Tu dicis.* Quæ verba non statim Pilato reddita sunt, sed multis interpositis, quæ narrat Joan. Ut enim Augustinus ait 3. De consensu cap. 8. multa dicta & multa responsa sunt: unde quisque eorum, quantum visum est, decerpsit, & in narratione sua posuit, quod satis esse judicavit.

12.

12. *Et cum accuſaretur a principibus*, &c. Rurſum ſcilicet poſtquam jam foras ad ipſos rediviſſet Pilatus, & Jeſum poſt examen de affectata Regis dignitate excuſaret. Accuſatio autem hæc ſecunda erat de ſubverſione gentis Judaicæ a Galilæa uſque huc, Lucæ 23. verſu 5. hoc eſt, quod eſſet ſeditioſus. *Nihil reſpondit*: Pilato enim jam reſponderat id quod ſatis erat; adverſariis noluit. propter cauſas, quas diximus cap. præced. v. 63. Unde Pilatus quamvis ſatis adverteret criminum inanitatem, aggravat tamen ea verbis.

13. *Non audis, quanta adverſum te dicunt teſtimonia?* ut ſcilicet reſponſum eliceret, quo ſeipſum aliquantulum defenderet, & ita facilius liberari poſſet. Indicat hoc clarius Marcus, dicendo: *Non reſpondes quidquam?* ſcilicet ut te tuearis: *vide in quantis te accuſant*, quaſi dicer. Defende teipſum; ſed Dominus

14. *Non reſpondit ei ad ullum verbum*, non contemptu Præſidis, ſed accuſationum. Unde nec præſes, cui jam faſſus erat alteram accuſationis partem, arbitratus eſt ſe ſilentio contemni, ſed miratus eſt *vehementer*, nimirum quod vir communi judicio ſapiens, eloquens, innoxius, judicem faventem habens, in periculo capitis conſtitutus, ad accuſationes inanes, & frigidas calumnias tan-

ta

ta manſuetudine & fortitudine animi & mortis contemptu prorſus obmuteſceret.

15. *Per diem autem ſolemnem*, Paſchatis. Omitit hic iterum Matth. miſſionem ejus ad Herodem: nam quæ hic ſequuntur, contigerunt, poſtquam ab Herode remiſſus eſſet, ut patet ex Luca. *Conſueverat Præſes populo dimittere unum vinctum*, ſeu captivum, *quem voluiſſent*, videlicet populus. Conſuetudo iſta videtur manaſſe ex memoria beneficii liberationis ex carcere Ægyptiaco, & a Romanis conſervata, cum Rempublicam invaſiſſent, in gratiam populi, qui privilegiis & conſuetudinibus iſtiusmodi maxime teneri ſolet.

16. *Habebat autem tunc vinctum inſignem*, ſceleribus. Crimina ejus indicantur a Luca, quod feciſſet in civitate ſeditionem & homicidium. Joan. addit fuiſſe latronem, quales ſcilicet publicas obſident vias.

17. *Congregatis ergo illis dixit Pilatus*, preveniens poſtulationem populi, qui occaſione, tum feſti, tum Jeſu traditi congregatus erat: *Quem vultis dimittam? Barabbam, an Jeſum, qui dicitur Chriſtus?* id eſt, qui vulgo a vobis habetur ille Meſſias, & Rex Judæorum, etſi non hujusmodi. Serio, non joco hoc eis refricat, ut hoc nomine, & hac inolita populo opinione eſſet Jeſus gratior. Pilatus enim, cum non potuiſſet eum apud

Prin-

Principes liberare, ut ex aliis Evangeliſtis patet, tentavit hanc viam, ut expeditiſſimam apud populum, innumeris ab eo affectum beneficiis. Unde etiam non permiſit eis liberam electionem, quemadmodum verſu præced. ſed reſtrinxit ad duos tantum; unum de induſtria ſelectum facinoroſiſſimum, ne ſubeſſet aliqua miſericordiæ cauſa; alterum innocentiſſimum, ut cogerentur ipſum eligere. Hic animus Pilati patet ex verſu ſequenti.

18. *Sciebat enim*, ex fama publica, *quod per invidiam tradidiſſent eum*, ſibi ſcilicet occidendum, Principes ſacerdotum. Cum autem invidia ſit odium fœlicitatis alienæ, ut Aug. 11. De Geneſi ad lit. c. 14. cauſa hujus invidiæ fuit claritas nominis ejus apud populum, & auctoritas in docendo major quam ſua, ut ſatis colligitur ex Joan. 11. verſu 48. & cap. 12. verſu 19.

19. *Sedente autem illo pro tribunali*, id eſt, in tribunali, more Judicis, ad cauſam examinandam, *miſit ad eum uxor ejus*, quod decorum non eſſet maritum per ſe in negotiis publicis interpellare: (Lucius Dexter in Chronico vocatam vult *Claudiam Proculam*:) *Dicens: Nihil tibi, & juſto illi*, id eſt, nihil tibi negotii ſit cum iſo juſto; quem ita vocat, quod excellenter juſtus eſſet, ita & nomine religionis deterret eum ab ejus condemnatio-

natione, ſicut metu malorum per id, quod ſequitur: *Multa enim paſſa ſum hodie per viſum*: (Græce, *kat onar, in ſomnis*) ut vertitur Matth. 1. verſu 20. non quod noctu contigerit, mane enim narraſſet marito, ſed quod dormienti poſt diſceſſum mariti. Quid paſſa fuerit, non conſtat: veriſimile eſt, fuiſſe minas pœnarum, impendentium Judæis & Pilato, ex perſecutione & damnatione juſti illius. S. Ignatius, Beda, & Anſelmus putant immiſſum fuiſſe ſomnum a diabolo, impedire volente fructum paſſionis, quem incipiebat perſentiſcere. Sed cur igitur Judæos non ceſſavit inſtigare ad ſcelus? Rectius proinde Ambroſ. lib. 10. in Luc. Hieron. Theophyl. & alii docent, fuiſſe a Deo immiſſum non Pilato Judici, ne ſuſpectus aut corruptus videretur, eique non crederetur: ſed uxori, ut innocentiæ teſtimonium haberet Chriſtus ab omnibus, a Judæis credentibus, a Judice, uxore ejus, centurione, militibus, latronibus, terra mota, ſole obſcurato, templo, petris, mortuis. Notatione vero dignum eſt, neminem in tota paſſione pro liberatione Domini locutum eſſe, niſi duos Gentiles, Pilatum & uxorem ejus.

20. *Principes autem ſacerdotum & ſeniores perſuaſerunt populis*, per emiſſarios ſuos, huc illuc dimiſſos; ſpatium enim aliquod deliberandi videtur fuiſſe interpoſitum.

Tacite autem indicatur, Pilatum non fuisse frustrandum spe sua, nisi Pontifices concitassent turbam sibi obnoxiam. *Ut peterent Barabbam, Jesum vero perderet*, id est, mortem ejus postularent. Hoc autem a Pilato non erat eis propositum, sed ex pura malitia Pontifices addiderunt. Præses itaque territus uxoris denuntiatione, cum fortius instaret pro liberatione, & rursum peteret, *quem vellent dimitti*,

21. *Illi dixerunt, Barabbam.* Quæ postulatio sicut erat injustissima, ita Domino ignominiosissima, postponi videlicet publico latroni, imo in gratiam latronis damnare innocentem, & in odium innocentis liberare latronem. Unde S. Petrus, Act. 3. versu 14. exprobrat eis istam injustitiam velut intolerabilem: & Athanas. de Pass. notat, idcirco apud Judæos horrendas illas seditiones & cædes paulo post increbuisse, quas narrat Josephus libris de bello Judaic. Unde & Pilatus attonitus petitionis impudentia, iterum instat:

22. *Quid igitur faciam de Jesu?* Dixit igitur hoc, volens dimittere Jesum, ut notat Luc. cap. 23. versu 20. Nam tacite & placide eis suggerit, ut simul petant etiam alterum sibi dimitti, & idcirco iterum refricat eis gratissimum Judæis titulum, *Qui dicitur Christus*, qui scilicet talis etiam recentissime a vobis habi-

habitus eſt: ſed pluſquam oportebat, Judicis auctoritatem vulgo ſubmiſit: non enim erat populi, pœnam alteri vinctorum decernere, ſed tantum libertatem petere. Unde cum populo gratificari decreviſſet, ad præcipitium ſummæ iniquitatis deductus eſt.

23. *Dicunt omnes*, & principes, & a principibus perſuaſus populus, arrepta e veſtigio poteſtate ſibi facta, *Crucifigatur*. Proxima crucis petendæ occaſio fuit petitio Pilati: nam quamvis præter mentem, tacite tamen ſuggerebat malevolis hominibus, ut, quia latro & ſeditioſus pro Jeſu liberabatur, ſupplicium quoque ipſius tranſiret in Jeſum, ut notat Baronius: idque maxime, quia accuſabatur ſeditionis & majeſtatis, Lucæ 23. v. 2. & 3. unde & titulus, *Rex Judæorum*. Supplicium autem crucis apud Romanos decernebatur ſeditioſis & majeſtatis reis, latronibus & præſertim perſonis viliſſimis, ut ſervis, ſicut probat Lipſius 1. de Cruce. Itaque tria videntur Pontifices in petendo illo ſupplicio ſpectaſſe: primo congruentiam ad prætexta crimina: ſecundo, ſummam atrocitatem, ut ita ſe vindicarent; fit enim quemadmodum in partibus nervoſiſſimis & a corde remotiſſimis, ita cum maximis & diuturnis doloribus: tertio, extremam ignominiam, ut nomen & memoria ejus eſſet Judæis & Gentibus exe-

crabilis, ut notat Chryſ. in Joanem. Divinitus quoque factum eſt, ut Salvator nullum ſibi mortis genus deligeret, ne aliud genus expaveſcere videretur, ut Athanaſ. de corporali adventu Verbi. *Ait illis Præſes: Quid enim mali fecit?* illud, *Enim*, implicatam facit hic & apud Marcum orationem, nihil enim habet, cui reſpondeat. Itaque, vel reſpondet menti potius quam verbis, quaſi dicer. non eſt æquum, ut crucifigatur, quid enim mali fecit? vel certe redundat. Itaque populum facit hic teſtem innocentiæ: illi autem cum in accuſando & probando palam deficerent, ad importunas ſe preces & vociferationes vertunt. Porro verbis iſtis ſubjicit Lucas, *Corripiam ergo illum & dimittam*, ex quo colligitur, poſt iſta verba fuiſſe flagellatum, ſpinis coronatum, indutum purpura, productum foras, & cum iterum clamarent, Pilatum ſediſſe pro tribunali, & laviſſe manus; ſicut narratio Joannis omnino poſtulare videtur.

24. *Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret*, neque remiſſione ad Herodem, neque beneficio liberationis ſolemnis, ſive loco Barabbæ, ſive cum Barabba, neque flagellatione & reliqua ignominioſa tractatione, neque toties iterata conteſtatione innocentiæ ejus. *Sed magis tumultus fieret*, ſeditio ſcilicet popularis ex eo, quod ſe tam difficilem præ-

beret,

beret. Quibus verbis non excuſatur Pilatus, qui ne declinaret a juſtitia, omnia perrumpere debuiſſet; ſed potius Chriſtus, quod nullo crimine, ſed metu ſeditionis damnatus ſit, imo a Judice abſolutus: nam *accepta aqua lavit manus:* ſequens in eo facto, vel naturalem ſignificationem lotionis corporis, ad indicandam animi ſui innocentiam; vel apud Judæos Judaicam adhibens cæremoniam, ut vult Orig. apud quos illa ad iſtum finem lege præſcripta erat, Deuter. 21. verſu 6.... *Coram populo*, ſpectante, ut impii facti invidiam a ſe in populum declinaret. Factum ſuum explicat his verbis: *Innocens ego ſum a ſanguine juſti hujus*, id eſt, a morte, ſeu effuſione ſanguinis, quam petitis. Sed ſi hic juſtus, quomodo tu damnando innocens? Itaque Jeſum damnando abſolvit, ſe purgando condemnat: nec ſufficit manuum lotio: nam ut Leo Serm. 8. de Paſſ. non purgant contaminatum animum manus lotæ, nec in aſperſis aqua digitis expiatur, quod famulante impia mente committitur. *Vos videritis*, in quorum caput culpa cædis iſtius execrandæ & vindicta redundabit. Hæc ergo cæremonia videtur adhuc eo ſpectaſſe, ut vel ſic Judæos revocaret: ſed per divinam providentiam eo directa eſt, ut teſtatiſſima redderetur morientis pro nobis innocentia, dum in ipſa ſententia juſtus pronuntiatur, ut obſervat

Auguſt. Serm. 118. de temp. & ita vincit, cum judicatur.

25. *Et reſpondens univerſus populus*, qui ex univerſa Judæa confluxerat in illo feſto: *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros*, id eſt, Nos totam culpam & pœnam criminis, ſi quæ fuerit, præſtabimus, & in nos & filios noſtros ſuſcepimus; tu ſis ſecurus. Phraſis eſt Hebraica, frequens in Scripturis, ut Levit. 20. verſu 9. 12. 16. Itaque his verbis & ſua & filiorum capita vindictæ obligarunt, quæ in hodiernum uſque diem durat. Maledictiones enim & benedictiones parentum ſuper filios, velut qui pars ipſorum ſint, miros effectus habere ſolent.

26. *Tunc*, ſuperatus tanta pervicacia, *dimiſit eis Barabbam: Jeſum autem flagellatum*, (Græce *Phragelloſas, cum flagellaſſet*) ante videlicet, non nunc, quod jam eſſet crucifigendus: Lucas enim dicit Pilatum dixiſſe, *emendatum dimittam*; & paulo poſt, *corripiam eum & dimittam*: quo flagellationem indicare voluit, & quidem conſilio, non ut in crucem ageretur, cui erat moris flagellationem præmittere, ſed ut eorum animos leviori caſtigatione, crucem præire ſolita, placaret, Jeſumque a cruce eriperet, ut ſentit Auguſt. Unde poſt flagellationem, & per ipſam flagellationis immanitatem adhuc conatus eſt Jeſum a cruce eripere, ut ex Joan. apertiſſimum eſt. Porro *Virgæ* a *Flagellis*

lis distinguuntur, ut patet etiam 2. ad Corinth. 11. versu 24. & 25. quia virgæ honestiores erant, flagra servorum: illæ lignis, hæc loris constabant: illæ mitiores erant, hæc asperrima; ita ut Horatius vocet libr. 1. Sat. 3. *horribile flagellum*, & Ulpianus L. 8. De pœnis, scripserit, ministrorum immanitate multos sub ejusmodi flagellis interiisse. Intexebantur eis subinde tali, aut officula, quæ vocabantur flagra talaria, seu taxillata, maxime horribilia. An hic ita factum fuerit, non constat, nisi quod verisimile sit, immanem fuisse flaggellationem, ut inimicos placare posset; ideoque & ab Isaia & a Christo prædicta fuit. More Judaiço, subinde etiam Romano, reus alligabatur columnæ & cædebatur, neque stans, neque sedens, sed inclinatus, ut expresse præscribitur in tradition. Thalmuldicis libri Marcoth. cap. 3. Unde Hieron. Epist. 27. Ostendebatur illi (Paulæ) inquit, columna, Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam dicitur vinctus & flagellatus. Cujus rei & Prudentius testis est, & hodie Romæ ostendi dicitur in templo S. Praxedis. Flagellatus est autem a Pilato, seu jussu ejus, ideoque non a Judæis, sed Romanis militibus; ut numerus quadraginta ictuum, uno minus, non fuerit in eo observatus, sed dirissima extiterit flagellatio. *Tra-*

didit eis, Judæis ſcilicet, non militibus; Lucas enim dicit, *Tradidit* eum *voluntati eorum*, videlicet *Ut crucifigeretur*, ſua quidem auctoritate, non tamen ſententia, quaſi cruce dignus. Non enim probari poteſt, Pilatum in eum tuliſſe ſententiam velut reum mortis: unde illa videtur ficta, quæ legitur apud Adrichomium. Ergo pro tribunali ſedit quidem, ſed *adjudicavit* tantum, *fieri petitionem eorum*, ut loquitur Lucas; ut ſcilicet ab ipſis damnatus traderetur eis crucifigendus, ſicut petebant.

27. *Tunc*, cum ſcilicet Jeſus eſſet flagellandus, non cum tradendus eſſet ad crucem; utrumque enim dixerat Matthæus. Nam non minus coronatio, totaque ſequens illuſio, quam flagellatio præceſſerunt traditionem ad crucem, ut Auguſtin. 3. de conſenſu cap. 9. & ex Joan. clarum eſt. Itaque Matth. & Marcus recapitulant id, quod ante narrari rerum ordo poſtulabat. Tunc ergo, cum eſſet flagellandus, & velut mitiori pœna quam mortis corripiendus, ut, vel ſic liberari poſſet, *milites Præſidis*, ideoque Romani, tamquam lictores, quatuor tantum videntur fuiſſe, Joan. 19. verſu 23. *& ſuſcipientes Jeſum in prætorium*, id eſt, accipientes eum, duxerunt intus in atrium prætorii, ut Marc. locum ſcilicet habitationis Prætoris Romani, ſeu Præſidis. Porro tam Matth.

quam

quam Marcus & Joan. aperte tribuunt flagellationem Pilato, id est, jussui ejus coronationem tamen & cætera solis militibus. Unde Tertullian. de corona milit. cap. 9. dicit eam fuisse Romanorum militum commentum: nam sicut, cum esset a Caipha condemnatus, licentia ministrorum exprobravit ei acerbissime quasi arrogatam prophetiam, ita flagellato licentia militaris arrogatam Regiam dignitatem, idque ludibriis crudelissimis, non jubente, sed permittente Pilato, ut Leo Serm. 8. de Pass. putans videlicet Judæorum animos mitigandos. Isti ergo quatuor milites *Congregaverunt ad eum universam cohortem*, suam scilicet, cujus ipsi erant, ut inaugurationi regis, quam meditabantur, nullius ingenium, industria, petulantia, improbitas deesset, sed immanes vires suas in commune conferrent. Itaque non videntur cæteri flagellationi interfuisse. Porro *Cohors* est peditum, decima scilicet pars legionis: unde facile est conjicere de numero, si constaret de numero legionis. Hoc constat, cohortem facile fuisse quingentorum militum: aliqui ad mille quinquaginta augent, putantes legionem constitisse duodecies mille quingentis militibus; nec testimonia apud antiquos, Tacitum & alios desunt.

28. *Et exuentes eum*, vestibus propriis, quibus eum a flagellatione iterum induerant, *chlamydem coccineam circumdederunt*

ei. detritam ſcilicet alicujus militis, ut eſſet inſtar alicujus paludamenti, quo Reges & Imperatores in caſtris utebantur. Joannes vocat *veſtem purpuream*, & Marcus *purpuram*, quæ Regibus & Principibus viris propria erat. Unde Ambroſ. & Hilar. putant eam fuiſſe diſtinctam a *chlamyde coccinea*, non ſolum colore, ſed & veſtis genere: Auguſtin. tamen 3. de conſenſu cap. 9. putat eamdem fuiſſe, eo quod purpura quædam ſit cocco ſimillima, vel quod eadem coccinea chlamys etiam in aliqua parte aliquid purpuræ habuerit. Hoc ergo quaſi paludamento Regali Regem adumbraverunt.

29. *Et plectentes coronam*, inſtar diadematis Regii, *de ſpinis*, ut ludibrium eſſet cum tormento conjunctum. Spinas iſtas rhamnum fuiſſe credunt, qui locis iſtis frequens: aliqui juncum marinum fuiſſe volunt; ſed hoc improbabile eſt, magiſque convenit figuræ arietis, hærentis cornibus inter vepres, ſi rhamnus fuerit. *Et poſuerunt ſuper caput eius*, non ut inſtar pilei caput tegeret, ſed ut tempora tamquam corona cingeret & pungeret. Nam ut Tertull. de corona milit. cap. 14. præter figuram contumelia in promptu eſt, & turpitudo, & dedecoratio, & his implexa ſævitia, quæ nunc Domini tempora & fœdaverunt, & lancinaverunt. *Et arundinem in dextera ejus*, ut eſſet loco ſceptri. *Et genu flexo*, ut

ſpe-

ſpeciem adorationis novi Regis præferrent, *illudebant ei*, velut ludicro Regi; & apprecantes omnia fauſta & felicia dicebant: *Ave Rex Judæorum*, quibus tacite ei exprobrabant affectationem regni.

30. *Et expuentes in eum;* hac contumelia magis interpretantes ludieram adorationem ſuam, *acceperunt arundinem*, ſceptrum ſcilicet e manibus ejus, & percutiebant caput ejus, ſimul, ut morionem, qui regnum affectabat, irridentes, ut S. Thomas notat: ſimul dolorem inferentes ex concuſſione ſpinarum. Addit Joan. etiam dediſſe eis alapas loco ſcilicet tributi, & munerum, quæ Regibus inauguratis offeruntur: ita ut iſta illuſio ad ſummum crudelitatis & contumeliarum omnium faſtigium pervenerit, ut loquitur Victor Antiochenus in Marcum. Videntur hoc feciſſe in gratiam Judæorum, ut Chryſoſtom. notat, ſi non eis incitantibus, a quibus mercedem nocturnæ comprehenſionis acceperant. Mirum eſt autem, quod Rex Judæorum Agrippa poſtea ſimili fere modo in perſona cujusdam morionis (Araba, ſi non forte Barraba) Alexandriæ illuſus fuit, in vindictam arbitror facti illius, ut narrat late Philo in Flaccum. Myſtice Ambroſ. lib. 10. in Lucam: Quamvis militibus defuerit boni operis affectus, Deo tamen ſuus non defuit honos, qui ſalutatur, ut Rex, coronatur ut victor, qua-

ſi Deus & Dominus adoratur. Arundo comprehenditur manu ejus, ut humana fragilitas jam non ſicut arundo moveatur a ventu, ſed operibus Chriſti corroborata firmetur: eadem caput ejus percutit, ut ſolidata divinitatis attactu noſtra conditio mutari poſſit. Hæc ille. Aliter Hieronimus in Matth. In chlamyde coccinea opera Gentium cruenta (id eſt, peccatum) Chriſtus ſuſtinet: in corona ſpinea maledictum ſolvit antiquum: in calamo venenata occidit animalia. Sed accuratius & latius S. Athanaſ. De paſſione & cruce Domini.

31. *Et poſtquam illuſerunt ei*, tot & tam acerbis ludibriis ad ſatietatem uſque, *exuerunt eum chlamyde*, coccinea. Multa hic intermittit Matthæus, quæ Joan. ſupplet cap. 19. verſu 4. uſque ad 16. Fuit enim in iſto habitu oſtenſus Judæis, ut placarentur, rurſum examinatus, tandem productus foras, a Pilato ſedente pro tribunali traditus voluntati eorum. Itaque redit hic Matthæus ad narrationem inchoatam verſu 26. Exuta igitur chlamyde, *induerunt eum*, milites illi quatuor lictores, *veſtimentis ejus*, ut ab hominibus cognoſci poſſet, & *duxerunt eum*, *ut crucifigerent*: Marcus & Joan. ajunt *eduxerunt*, ſcilicet extra civitatem. Tunc enim impletum eſt illud Matthæi, quod ejecerunt heredem extra vineam, tamquam indignum ſcilicet, quem civitas ſuſtine-

ret,

ret, ut extra portam, juxta Apoſtolum ad Heb. 13. pateretur, ſicut ibi hoſtia pro peccato cremabatur. Decebat enim eum extra civitatem in agro cum Abel pati, ut ceſſantibus veteribus victimis, nova hoſtia novo imponeretur altari, & Crux Chriſti non templi eſſet ara, ſed mundi, ut notat ſanctus Leo Serm. 8. de Paſſione Domini.

32. *Exeuntes autem*, in ipſo ſcilicet egreſſu portæ civitatis. Conſtat enim ex Joan. Chriſtum exiviſſe bajulantem ſibi crucem, ſicut Iſaac ligna ſui ſacrificii portaverat. Reo namque ex more imponebatur crux ferenda, vel tota, vel pars, ſicut ex ethnicis Scriptoribus conſtat. Fiebat autem & ad ludibrium & ad pœnam. Unde Auguſt. Tract. 117. in Joan. Grande ſpectaculum, ſed ſi ſpectet impietas, grande ludibrium: ſi ſpectet pietas, grande myſterium. Ludibrium erat in eo, ut Leo Serm. 8. cit. quia fiebat ad irriſionem regiæ dignitatis: myſterium, quia geſtabat virgam principatus ſui, qua percuſſurus erat diabolum, & triumphi ſui trophæum ſuper humeros, quod fixurus erat in frontibus Regum. Itaque exeuntes portam, *invenerunt hominem Cyrenæum*, ex Cyrene urbe, vel Cyrenaica regione, quæ eſt in Africa circa Libyam, ut patet non ſolum ex Plinio lib. 5. cap. 5. ſed & Act. 2. v. 10. Unde veteres plerique

au-

auctores, Ambroſ. Hilar. Leo, volunt, Gentilem fuiſſe, ad ſignificandum, Gentiles præ Judæis crucem Chriſti laturos. Quamquam: Simon, nomen ſit Judaicum: Judæus enim eſſe potuit, qui, vel cujus parentes habitationem e Cyræne Jeroſolymam tranſtuliſſent: erant namque diſperſi Judæi per totum orbem, ut patet loco Act. cit. *Hunc angariaverunt*, ſeu vi compulerunt, ut tolleret crucem ejus. Lucas, *impoſuerunt ei crucem*, nempe totam, ferendam uſque ad locum Calvariæ, ut ſentit Auguſt. 3. De conſenſu cap. 10. ſicut ante Jeſus totam tulerat. Cauſam fuiſſe debilitatem nimiam, & accelerationem, videtur veriſimile. Militaris autem inſolentia coëgit hominem extraneum, eo quod nemo ignominioſum lignum ferre dignaretur. Significatum autem fuit, crucem a plurimis non ſuſcipi niſi coactis, ſuſceptam tamen ferri voluntarie.

33. *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha*, ſcribendum fuiſſet *Golgoltha*, ſed, L, euphoniæ cauſa excidit, & Syriace ſignificat *Calvariam*, ſicut hic explicatur. Locus autem *Calvariæ* dictus eſt a calvariis & oſſibus facinoſorum hominum ibi diſperſis, eo quod eſſet locus ſuppliciis infamis, ut vult Hieron. Plurimi tamen veteres ita vocatum volunt, quod ibi primi hominis cranium, ſeu ipſe primus homo traditione quadam diceretur

ſepul-

ſepultus, ut Orig. in Matt. Ambr. lib. 1. in Luc. Athanaſ. de Paſſ. Epiph. late Hæreſi 46. ut videlicet ibi mortem ſuſciperet Chriſtus, ubi radix totius mortis requieſceret.

34. *Et dederunt ei vinum bibere:* Græcus habet (*oxos*) *acetum*, ſed fere omnes Latini veteres legunt *vinum*, (*oinos*) & ita Græce etiam legitur apud Marcum. Credibile eſt fuiſſe vinum evanidum & acetoſum, ut utroque nomine vocari potuerit, ſicut Theophyl. in Marc. notat. Ex compoſito hoc factum fuit, ad affligendum moriturum, cum damnatis ad mortem vinum præſtantiſſimum dari ſoleat, ne mortis horror terreat, vel dolor torqueat. *Cum felle mixtum*: Marcus vocat *vinum myrrhatum*. Vinum autem myrrhatum, ſeu myrrhinum duplicis generis erat: aliud ex poculis myrrheis, quibus vinum calidum infuſum fuerat, odorem, ſaporemque contrahebat jucundiſſimum: aliud myrrha, calamo aliisque aromatibus condiebatur. Utrumque pretioſiſſimum erat, ac vires addebat, prout conſtat partim ex Plinio lib. 14. c. 13. partim ex Atheneo, qui etiam dulce fuiſſe indicant. Conſtat autem traditionibus Judæorum, quæ adhuc in Thalmud extant, afficiendis ſupplicio myrrhatum vinum propinari ſolitum, nimirum juxta illud Proverb. ult. *Date ſiceram mœrentibus*, &c. Itaque juxta hæc valde veriſi-

mi-

militer dici potest, hoc vinum myrrhatum fuisse distinctum a vino felle mixto, ut sentit Euthym. & obscurius Theophyl. in Matth. Sed tamen & idem Theophyl. & alii plerique veteres, ut August. libr. 3. de consensu cap. 11. sive diversum fuerit vinum, sive idem, cui fel mixtum fuerit, hoc est, sola myrrha amarissima instar fellis, vel cui revera fel simul & myrrha commixta fuerint, sentiunt fuisse amarissimum, & ad illudendum affligendumque adhibitum specie refocillandi, quod sane moribus Judæorum videtur magis fuisse consentaneum. *Et cum gustasset*, cujusmodi esset, ne scilicet indignabundus contemnere videretur, tamen *noluit bibere*, id est, transmittere, quod Marcus dicit eodem sensu, *non accepit*, scilicet ut biberet, seu transmitteret, ne vel sibi malum accersere velle, ut desperabundi solent, vel barbaram eorum immanitatem probare videretur.

35. *Postquam autem crucifixerunt eum*, id est, cruci affixerunt, nempe clavis, non funibus, ut constat ex resurrectione, Lucæ 24. versu 29. & Joan. 20. versu 25. & 27. Affixus autem fuit tribus clavis, ut communior videtur habere opinio, uno videlicet duos pedes terebrante, sicut tradit Nonnus metaphrastes Evangelii secundum Joanem, & Nazianz. in Carm. de Christo a cruce depositio. Gregorius

gorius tamen Turonenſis tradit quatuor fuiſſe clavos, cui antiquiores imagines ſuffragantur. Suppedaneum ſubjiciunt quidam pedibus, ut facilius ſuffigi poſſint; ſed ſic ſtetiſſet in cruce Chriſtus, non ſuſpenſus pependiſſet, ſicut hoc agnoſcunt Scripturæ, Act. 5. verſu 30. & alibi. Facie verſum fuiſſe in occidentem, dorſo Jeroſolymam, docet Sedulius & Auctor Comment. in Marcum apud Hieronym. ut ſic duæ ſimul prophetiæ litteraliter implerentur: *Dorſum, non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum*, Jeremiæ 18. verſu 17. *Oculi ejus ſuper gentes reſpiciunt*, Pſal. 65. Cum corona ſpinea pependiſſe, expreſſe docet Tertull. lib. contra Judæos c. 13... *Diviſerunt veſtimenta ejus*, id eſt, partiti ſunt milites: damnatorum enim veſtes, ut Cyrillus 12. in Joan. c. 32. quaſi hereditatis lege ad ſe pertinentes ſibi vindicabant, ut nunc a lictoribus fieri ſolet. Ergo nudus crucifixus eſt: unde Pſal. 68. qui de paſſione loquitur: *Operuit confuſio faciem meam.* Veſtimenta fuiſſe plura, patet ex Joan. nam præter tunicam, ſcilicet interiorem, quæ manſit integra, in quatuor partes diviſerunt veſtimenta, quæ videtur fuiſſe tunica exterior, ſi non & pallium: quod tamen, quia magis honeſtatis, quam neceſſitatis cauſa geſtatur, vix credibile eſt paſſionis tempore geſtum fuiſſe. Hæc ergo veſtimenta diviſerunt in quatuor

partes, unicuique militi partem, ut Joanes. *Sortem mittentes*, nempe non ſolum ſuper tunicam inconſutilem, ſicut Joan. narrat, ſed etiam ſuper veſtes illas diviſas, quis quid tolleret, ut ex Marco clare conſtat. Factum eſt hoc, ſpectante Jeſu, ad ludibrium & acerbitatis augmentum, ut Theophyl. obſervat.

36. *Et ſedentes milites*, tum lictores, tum reliqui cuſtodes, cum centurione ſuo, de quo verſu 34.... *ſervabant eum*, ne quis videlicet amicorum de cruce vivum deponeret.

37. *Et impoſuerunt ſuper caput ejus* in ea crucis parte, quæ ſuper lignum transverſum eminebat, *cauſam ejus*, propter quam crucifixus eſſet, ſeu cauſam ſupplicii, *ſcriptam*, tribus videlicet linguis, ut Joanes. Fiebat ex more Romano, quo titulus ſupplicii ſcriptus vel præferrebatur, cum duceretur reus, vel affigebatur. Sic ergo Chriſtus quamvis in cruce pro nobis hominis infirmitate dolebat, ſuper crucem tamen Regis majeſtate fulgebat, ut Beda in Lucam. *Hic eſt Jeſus Rex Judæorum*, Marcus, *Rex Judæorum*, Lucas, *Hic eſt Rex Judæorum*, ſenſum expreſſerunt, non verba. Nam vera verba crucifixo affixa videntur a Joan. adferri, *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*; illa quippe cum titulo Romæ aſſervato dicuntur convenire, ut *Jeſus* ſit proprium nomen; *Nazarenus*, patria, qua vulgo

no-

notus erat: *Rex Judæorum*, cauſa ſupplicii, qua Pilatus ſimul etiam ſe purgaſſe voluit affectationem regni Judaici ei imponens, & ſe de pontificibus, ad innocentis necem adigentibus, ulciſci, quod eis ignominioſum eſſet, Regem eorum ipſis poſtulantibus in crucem ſuffigi. Nam propterea etiam titulum mutare noluit, quamvis altiore conſilio divinitus id ageretur, ne ſcilicet ſcriberet, quod affectaſſet regnum, ſed quod eſſet Rex; hoc non crimen, ſed gloria eſt.

38. *Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones;* conſilio tum humano, tum divino: humanum fuit, partim Pilati, ne ita inſontem plectere videretur, ut ſceleratis parceret; partim Pontificum, ut conſors ſupplicii latronum, conſors etiam criminum vulgo haberetur: & ideo ipſis, ut credibile eſt, inſtigantibus tamquam princeps facinoroſorum hominum in medio ſuſpenditur, quod ei fuit ſummæ ignominiæ, ſicut Iſaias & Chriſtus ipſe notavit Lucæ 22. verſu 27. Divinum conſilium fuit, ut vere pro ſceleratis paſſus, & eorum ad ſe converſorum princeps eſſe ſignificaretur; divinique judicii & diſcretionis ſpecimen exhiberet, dum judex in medio unum damnat, alterum ſalvat, Judæos rejicit, Gentes adſciſcit, ut ex parte notavit Auguſtin. Epiſtola 48.

39. *Prætereuntes autem*, ſive caſu via publica, quæ ibi erat; ut Euthym. & Victor. Antiochen. notant, ſive potius ſpectantes, qui de induſtria circumcurſabant crucem, curioſitatis & virulentiæ oſtendendæ cauſa, ut inſultarent morienti: *blaſphemabant eum*, verbis in ejus divinitatem contumelioſis convitiando, *moventes capita ſua*, propter irriſionem, ut notat Ambroſ. talis eſt enim motus capitis irridentium. Unde Iſaiæ 37. verſu 22. *Subſannavit te virgo, filia Sion, poſt te movit caput.* Et hanc irriſionis ſpeciem prædixerat de Chriſto David, Pſal. 21. verſu 8. & Pſal. 108. verſu 25. Eſt autem hoc genus contumeliæ, in ſummis ſcilicet malis aliquem tam acerbis appetere ludibriis & convitiis, acerbiſſimi animi ſignum, & toleratu graviſſimum.

40. *Dicentes*, id eſt, non ſolum geſtibus irridebant, ſed, ut S. Leo Sermon. 10. de Paſſione, fixuris clavorum addebant etiam tela linguarum: *Vah*; Interjectio eſt hoc loco contemnentis & exprobrantis, ſibilo oris pronuntianda, qualis eſt apud Flandros, *Phi. Qui deſtruis templum Dei & in triduo illud reædificas*: quaſi dicer. Qui te tantæ potentiæ venditaſti, pudeat te jam jactantiæ & arrogantiæ tuæ. *Salva temetipſum*, e cruce; quod longe facilius, quam vaſtam illam molem triduo erigere. *Si Filius Dei es*, ſicut coram Pontificibus profeſſus es,

deſ-

descende de cruce. Noluit autem, quia tempus non erat ostendendæ potentiæ, sed perfectæ patientiæ, ut August. in Psalm. 40. noluit, ne si ad eorum postulata descenderet, impatientiæ videretur cedere: denique noluit, ut majus divinitatis suæ præberet testimonium, videlicet tum tantam patientiam, quantam nemo hominum perpetraret, ut Tertull. lib. de patientia, tum glorioſam resurrectionem suam.

41. *Similiter & principes sacerdotum*, omnis decoris & gravitatis & dignitatis suæ obliti præ animi immanitate. Nec enim eos interesse decebat suppliciis, multo minus morientem scommatibus incessere. *Cum Scribis & senioribus*: unde ab omni genere hominum laceratus est, a tribus ordinibus primatum, a vulgo, a militibus, a supplicii sociis latronibus, ut ita, juxta Chrysostom. tamquam arrogans, impostor, in conspectu omnium vituperatus decederet.

42. *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Verba videntur esse non fatentium ejus miracula, ut vult Hieronym. sed potius tacite calumniantium: quasi dicerent, Seipsum non potest salvum facere, ergo signum est, quod nec alios salvos fecerit, sed tamquam impostor & magus oculis illuserit. Unde Chrysost. dicit priora miracula in dubium vocari; Theophyl. ea vellicari, ut

phantaſtica ; Euthymius, ut præſtigiis facta. Et quia ſe dixerat eſſe Meſſiam & Filium Dei, utrumque ſe putant apertæ falſitatis convincere. *Si Rex Iſrael eſt*, nempe ille promiſſus Meſſias, ut indicant Marcus & Lucas. *Deſcendat de cruce, & credimus*, Græce (*piſteusomen, credemus*) *ei*: non quaſi hoc ſerio ſentirent, aut promitterent, ſed propter conditionis, ut putabant, impoſſibilitatem, & evidentiam ad oculum, quod non eſſet Meſſias. Loquuntur animo illudendi crucifixum. Cur ergo non deſcendit, ut eis poteſtatem deſcendendo monſtraret? Reſpondet Leo Serm, 17. de Paſſ. quia non ſecundum preces blaſphemantium linguarum, humani generis redemptio debebat omitti : & Auguſtin. Tranctatu 37. in Joan. quia patientiam docebat, ideo potentiam differebat. Si enim quaſi commotus ad eorum verba deſcenderet, victus convitiorum dolore putaretur. Nam quid ei magnum fuit de cruce deſcendere, qui potuit de ſepulchro reſurgere? Et tamen reſurgenti non crediderunt, quanto minus deſcendenti?

43. *Confidit in Deo*, id eſt, jactavit ſe fiduciam in Deo Patre ſuo habere: *liberet nunc*, ſcilicet eum Deus, *ſi vult eum*, non ſi ipſe Deum, ſed ſi Deus ipſum vult, id eſt, diligit eum, & favet ei tamquam filio ſuo. *Dixit enim, Filius Dei ſum*, ei proinde maxime dilectus, & curæ.

Impoſ-

Impoſſibile eſt enim, ut filium ſuum negligat, qui neminem in ſe ſperantem derelinquit, ſicut hoc argumentum perficitur Sapient. 2. verſu 18. Cum ergo non liberaretur, invicte probatum putabant, eum non eſſe Filium Dei. Errabant in circumſtantia temporis. Sine dubio enim Deus Filium ſuum liberaturus erat de manibus contrariorum, non tamen a cruce liberando, ſed a mortuis reſuſcitando, omnibus ſuppliciis ad redemptionem humani generis, & ad exemplum perſeverantiſſimæ patientiæ conſummatis.

44. *Id ipſum autem*, (nempe, *Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, & nos*, ut exprimit Lucas) *latrones improperabant ei*: erat enim tacite dicere, non es talis, ſed impoſtor: unde Marcus dicit, quod *convitiabantur ei*. Uterque autem notat circumſtantiam, quod ſimul *crucifixi erant cum eo*. Ut inſinuet rei indignitatem, cum oporteret eos timere Deum, per cujus judicium in eamdem damnationem inciderant, ſicut hoc poſtea alter latronum alteri exprobravit; & de morte propria, non de convitiis alienis eſſe ſollicitos. Oritur autem difficultas, quomodo Matth. & Marcus dicant latrones improperaſſe Jeſu, cum nonniſi unus dixerit juxta Lucam. Græci ut Orig. Chryſ. cum ſuis, Cyrill. Catech. 13. valde veriſimiliter ſentiunt, utrumque

initio convitiatum fuisse; alterum deinde visis mirabilibus esse conversum. Quamvis August. 3. De cons. cap. 16. per tropum velit pluraliter dici id, quod unus tantum fecit, quod ipse pluribus exemplis Scripturæ probat esse familiare. Ambros. libr. 10. in Luc. & Hieron. hic utramque expositionem jungunt.

45. *A sexta autem Hora*, scilicet jam transacta, seu signo ejus dato, hoc est, ipso medio die, quo lumen Solis est maximum, *Tenebræ factæ sunt*: non ita densæ, ut Ægyptiacæ, sed quales esse solent serena nocte, cum astra lucent: astra enim esse visa, testis est Phlegon apud Euseb. in Chronico. Nam ex factis circa crucem Christi patet, quod se mutuo & omnia viderint circumstantia. Ambros. epist. 83. & aliis locis videtur putare, quod Sol revera occiderit in Occidente, ibique per tres horas manserit, juxta prophetiam Amos cap. 8. hac de re, *Occidit Sol in meridie.* Sed verius est, aliis duabus de causis tenebras esse factas: primo, quod Soli Luna se supposuerit: oculatus enim testis Dionysius Areopagita epist. ad Polycarpum asserit, Lunam ab ortu Solis media die, extra conjunctionis tempus, subingressam esse Solem, & rursum versus Orientem hora nona recessisse. Qua in re triplex erat miraculum: primum, quod esset plenilunium, quo non potest naturaliter

fieri

fieri eclypſis Solis: ſecundum, quod Luna ab Oriente Solem ſubintraret, cum ſemper hoc fieri debeat ab Occidente: tertium, quod eadem via rediret, relinquens primo retectam illam Solis partem, quam ultimam texerat, cum deberet oppoſitum fieri: quartum adde, quod Luna immota ſteterit ſub Sole per tres circiter horas, uſque ad nonam, cum eclypſis Solis breviſſima eſſe ſoleat. Sed etiam, omnibus iſtis poſitis, quia Luna eſt minor Sole, maximamque patitur parallaxin, non potuit efficere, ut fierent tenebræ, *ſuper univerſam terram*, ſicut teſtatur Evangelium eſſe factas. Nam quamvis Origen. ſolam Judæam intelligat, plerique tamen veteres, Chryſoſt. Theophyl. & alii verius univerſam terram intelligunt. Unde a Dionyſio & Apollophane viſa eſt hæc eclypſis in Ægypto; & Tertull. in Apologet. cap. 21. teſtis eſt, iſtum mundi caſum a Romanis in archiva relatum eſſe. Phlegon citatus refert defectionem inter omnes, quæ acciderant, fuiſſe maximam: Euſeb. loco allegato ſe in commentariis Ethnicorum reperiſſe conſignatum, quod tenebræ factæ fuerint ſuper univerſam terram. Itaque alteram cauſam tanti deliquii indicat Lucas, cum dicit: *Sol obſcuratus eſt*, hoc eſt, ut Hieron. in v. 9. cap. 8. Amos, retraxit radios ſuos pendentem in cruce Dominum ſpectare non auſus.

Sic igitur Creatori ſuo quodammodo creatura congemuit, &c. ut Leo ſerm. 6. de paſſ. crucis clavos omnia ſimul elementa ſenſerunt. Debebat enim hoc teſtimonium (divinitatis ſcilicet ejus) ſuo mundus auctori, ut in occaſu conditoris ſui vellent univerſa finiri. *Uſque ad horam nonam*, id eſt, tertiam noſtram pomeridianam, per tres ſcilicet horas continuas, ne putaretur naturaliter contigiſſe, unde videntur tenebræ duraſſe, quamdiu vivus pependit in cruce. Facta ſunt autem iſta, ut optime Auguſtinus de fide contra Manichæos cap. 26. ad humanam naturam docendam, non ad Chriſti naturam tuendam. Nam fuit graviſſimum teſtimonium divinitatis, in ſumma ejus infirmitate exhibitum, per quod ut Cyril. lib. 2. ad Reginas, Creatore contumelia affecto, creatura quodammodo iraſcebatur ſceleratis: ne aut pendentem videret Dominum ſuum, aut impii blaſphemantes, ut Hieron. luce ſua fruerentur: ut denique tenebras mundo Judaicæ cœcitatis oſtenderet, inquit Leo ſermone 10. de paſſione.

46. *Et circa horam nonam clamavit*: Marcus & Græcus *exclamavit*, (*aneboeſen*) quo augetur vehementia, ſicut & epitheto, *Voce magna*: nam adhibuit eam, ut oſtenderet pœnarum magnitudinem, & ſe mori non naturæ infirmitate, ſed ſua voluntate; morientes enim lenta morte

voce

voce deſtituuntur. *Dicens, Eli, eli lamma ſabacthani.* Tria priora vocabula ſunt initium Pſalm. 121. (ut ita declararet totum Pſalmum de ſe eſſe prophetatum) ſicut Hebraice legitur: nam illud, *reſpice in me*, quod Latine legimus, a LXX. inſertum eſt. (*Sabacthani*) eſt Syriacum a *Sabac* ſive *Sebac*, id eſt, *dereliquit*, quod idioma tempore Chriſti vulgare erat; nam Hebræi dicunt *Ghazabtani* ſeu *Azabtani*, quo modo & in quibusdam manuſcriptis Latinis legitur. Pro *Eli* Marcus habet *Eloi*, quod idem ſignificat. Eſt enim ſingulare ab *Elohim*. Servarunt Evangeliſtæ vocabula Hebraica, ut ita tacite daretur ratio, cur Eliam invocatum putarent. *Hoc eſt, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* ſecundum humanam ſcilicet naturam, exponendo eam omnium perſecutorum voluntari, omnium tormentorum acerbitati, ſine conſolatione. Querimoniam eſſe naturæ derelictæ multi volunt, ſicut illam, de qua ſupra, *Tranſeat a me calix iſte.* S. Leo Serm. 17. de Paſſ. & Cyprian. de Paſſione, eſſe verba inquirentis cauſam derelictionis, ut videlicet nobis occaſionem darent quærendi cauſam mortis Chriſti, & fructum ejus, videlicet peccatum hominum offendentium, & gratiam Dei offenſi: nam utrumque tam magnum eſt, ut ſoli Deo plene perſpectum ſit. Cyrill. lib. 2. ad Reginas,

per-

peropportune vult esse verba vocantis ad benevolentiam, sive exorantis Deum: quasi dicer. Ut quid, id est, memento, ut quid, seu in quem finem dereliqueris me, nimirum ut placatus maledictionem humano generi incumbentem solvas. Et ita essent verba Christi, tamquam sacerdotis, Patrem placantis, & fructum sacrificii exorantis pro humano genere. Nam vocem desperationis hic Christo elapsam esse, ut Calvinus docet, blasphemia est omnibus antiquis inaudita, quam ipse Christus refutat, non solum in eodem Psalmo, dicendo, *Spes mea ab uberibus matris meæ*, sed in ipsis illis verbis, *Deus meus*, &c. Deus quippe sicut non est mortuorum, ita nec desperantium. Non enim potest quisquam dicere, Deus meus, inquit Ambr. in Psal. 43. nisi qui Deo plenum defert pietatis affectum.

47. *Quidam autem*, &c. *audientes.* Hieron. arbitratur fuisse Romanos milites, sermonis Hebraici ignaros, qui *Eham*, pro *Eli* intellexerint. Favet multum, quod hic dicatur unus ex eis dedisse acetum, quem Lucas dicit fuisse militem. Forsan Judæi illudendi causa perverterunt sacra verba, quos postea milites imitati sint, ut dicerent: *Eliam vocat*, seu invocat in auxilium, ut se deponat, quia seipsum salvare non potest, *Iste*, cruciariu; spirat enim contemptum.

48.

48. *Et continuo*, ut clamaſſet, Eli, *currens unus ex eis*, miles, ut Lucas, acceptam ſpongiam implevit aceto, quia naturaliter liquorem imbibit, & acceptam reddit, *Et impoſuit arundini*, ut poſſet ori hominis, in alto pendentis, admoveri. Nam præter illud arundinis tectoriæ genus, quod vulgo eſt notum, eſt & aliud craſſum ac longum, inſtar mediocris haſtæ, in quibusdam partibus Galliæ, in Hiſpania & Italia notiſſimum, quod Græci vocant *kalamon charachian*, apud Theoph. *haſtam vallatoriam*, alii *ſativam*. Sed quid aceto & ſpongiæ cum iſto clamore Chriſti, Eli, Eli? Ex Joanne hoc intelligitur: nam Chriſtus eodem tempore clamavit, *Sitio*, ut extremam ſuam afflictionem indicaret. Cum ergo ab hominibus nullum ſolatium ſciret eſſe præmanibus, ad Deum videtur ſe convertiſſe, clamando, *Eli, Eli.* Et idcirco miles accurrens, ſpecie reſtinguendi ſitim, revera autem ad illudendum, ut ex Luca patet, admovit, ori ſitibundo ſpongiam cum aceto, quod magis exſiccat, & ſimul irriſit eum, dicens, ut narrat Lucas, *Si tu es Rex Judæorum, ſalvum te fac*: quaſi dicer. Quid clamas & invocas auxilium alienum Eliæ? ſalvum fac teipſum: & ut Marcus, *Sinite videamus, ſi veniat Elias ad deponendum eum;* quod Matth. hic narrat cæteros adſtantes dixiſſe: ſed utrique hoc dixerunt, & miles ad cæteros,

teros, & cæteri ad ipſum, quaſi dicerent, potetur aceto, ne ante adventum Eliæ moriatur. Ex quibus verbis videtur etiam colligi, cur illud acetum, ſpongia, & arundo parata ſteterint, videlicet ne animo deficerent crucifigendi vel crucifixi: unde & nunc contra deliquium animi adhiberi ſolet: vel etiam ne crucifixi ex fluxu ſanguinis, quem ſiſtit, citius morerentur. Itaque, præter irriſionem, etiam hac de cauſa acetum a milite oblatum fuit, ut eſſet ſpatium videndi, num Elias eſſet venturus. Diverſa igitur plane fuit hæc aceti oblatio ab ea, de qua verſu 34. Nam illa ante crucifixionem, hæc poſt facta eſt, quamvis male quidam confuderint. Utraque plena fuit barbarie: unde utramque diſtincte, velut ſummæ inhumanitatis, Pſaltes prophetavit, *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.*

50. *Jeſus autem iterum clamans voce magna*, in argumentum ſuperſtitis in eo roboris, ut videlicet teſtatum redderet, ſe non defectu virium mori, ut contingit iis, qui lenta morte moriuntur, ſed vitam & mortem eſſe in ſua plena & libera poteſtate, ſicut de ſe ipſo aſſeruerat, Joan. 10. verſu 18. quod Chryſoſt. Theophyl. & plerique veteres notaverunt. Vox ergo iſta teſtimonium fuit divinitatis ejus, quam ex ea, & vel ſola præcipue cognovit, & confeſſus eſt

Cen-

Centurio, Marci 15. verſu 39. Clamavit autem Chriſtus hæc verba: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*, ſicut ex Luca patet: ut indicaret ſe non ut facinoroſum, ſed per omnia bene ſibi conſcium, & Deo confidentem mori; & morientibus hujus pietatis exemplum relinqueret, *emiſit ſpiritum*, id eſt, ut Tertull. in Apol. c. 11. ſpiritum ſponte dimiſit, prævento carnificis officio: nam hoc verbo ſignificatur mors ſpontanea. Ut enim Ambr. in Luc. quod emittitur, voluntarium eſt; quod amittitur, neceſſarium, & ideo Joan. ait *ſpiritum tradidiſſe inclinato capite*, voluntate videlicet, non infirmitate. Emiſit autem, ſeu tradidit ſpiritum, *non clamando*, ſicut Latinus textus ſonat, ſed ut Græcus apud Luc. *cum clamaſſet*, (*kraxas*) & apud Joan. *cum inclinaſſet caput*, (*klinas.*)

51. *Et ecce.* Qua loquendi connexione, & modo recte obſervat Auguſt. 3. de conſenſu cap. 19. tunc eſſe ſciſſum velum, cum emiſiſſet ſpiritum, & ideo Lucam ordinem non obſervaſſe. *Velum templi.* Velum duplex fuit, non ſolum in veteri tabernaculo, ut patet ex Apoſt. ad Hebr. 9. verſu 2. & 3. Exodi 26. verſu 21. & 36. ſed etiam in templo, ſicut diſtincte narrat Joſeph. de bello Judaico c. 6. Hieron. Epiſt. 115. ad Hedibiam quæſt. 8. accipit hoc de velo exteriori, quod primis portis op-

pan-

pandebatur, & ante illum Orig. Sed alii plerique veteres, ut Leo Serm. 10. de Paſſ. Cyril. lib. 16. in Joan. cap. 37. Theophyl. & alii intelligunt de velo interiori, quod inſtar parietis ſeparabat Sanctum Sanctorum a Sancto. *Sciſſum eſt in duas partes a ſummo uſque deorſum.* Quas circumſtantias & Marcus diligenter annotat, ut liqueat latere myſterium. Orig. in Matth. Auguſt. 12. contra Fauſtum cap. 11. Cyril. loco cit. & Hieron. hic tradunt ſignificari omnia legis ſacramenta, quæ prius tegebantur, jam Chriſti morte eſſe pateſacta, nec amplius velo tegenda, juxta Apoſtolum 2. ad Corinth. 3. verſu 14. & 15. ubi dicit, *Velamen in electione veteris Teſtamenti manere non revelatum, niſi in Chriſto*, aptiſſime quoque ſignificatum fuit id, quod Apoſtolus inſinuat ad Hebr. 9. verſu 8. jam propalatam eſſe Sanctorum viam, hoc eſt, cum Chriſtus jam per ſuum ſanguinem ingreſſus eſſet in cælum, jam viam ad Sancta Sanctorum, id eſt, in cælum per ea ſignificatum, eſſe manifeſtatam: quæ via eſt gratia Chriſti jam palam cognita & prædicata. Porro præter velum deſcriptum, addit Ephræm Serm. 1. de Paſſ. columbam e templo egredi viſam. *Et terra mota eſt*: quaſi crucifixum Dominum ſuum ferre non ſuſtinens. Teſtis eſt Phlegon, ſcriptor Ethnicus apud Euſeb. hoc terræ motu Bythiniam,

&

& in ea Nicæam præcipue concuſſam eſſe. *Et petræ ſciſſæ ſunt*: ex terræ motu, quod montem Golgotha uſque ad ſua tempora monſtrare teſtatur Cyrillus Catecheſi 13. Fiebant hæc omnia ad teſtandam ſceleris atrocitatem, iram Dei, dignitatem crucifixi, duritiem prodigioſam crucifigentium ſaxis duriorem, ut Ambr. lib. 10. in Lucam.

52. *Et monumenta aperta ſunt*, eo conſilio, quo & monumentum Chriſti; ut ſcilicet appareret ea revera corporibus deſtitui. Factum eſt hoc prodigium, ut declararetur, crucifixum eſſe dominum vivorum & mortuorum, eſſe mortis & inferni domitorem, denique in ſignum futuræ, vi crucifixi, reſurrectionis omnium, ut Hieron. Epiſt. 105, Quæſt. 8. & Ambroſ. in Lucam. *Et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*: a morte ad immortalitatem, ut ſentit Hilar. in Matth. & Epiphan. Hæreſi 75, quamvis Auguſt. Epiſt. 99. putet contrarium, propter Apoſtolum, qui dicit ad Hebr. 11. Sanctos veteres non ſine nobis fuiſſe conſummandos. Sed locus ille non videtur cogere, eo quod loquatur de generali omnium beataque reſurrectionis conſummatione, cui non officit paucorum privilegium.

53. *Exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus*: unde etiam tunc tantum cum Chriſto reſurrexerunt. Chriſtus e-

nim primitiæ dormientium: qua de causa Tertull. lib. de anima c. 53. vocat Patriarchas & Prophetas appendices dominicæ resurrectionis. Itaque illud, *Post resurrectionem ejus*, videtur referendum ad omnia præcedentia, *exeuntes, surrexerunt, aperta sunt.* Ratio enim sicut vetabat, ne exirent de monumentis ante Christi resurrectionem, ita etiam, ne ante resurgerent, vel ante monumenta aperirentur: quamquam hoc postremum sit incertius. *Venerunt in sanctam civitatem*, Jerusalem, quia monumenta erant extra civitatem. Quamvis autem recenter polluta sanguine Domini, tamen *sancta* dicitur, non solum propter templum, & cultum unius Dei, adhuc tum durantem, & ab Apostolis usurpatum, ut Hier. Quæst. citata: sed maxime, quia in ea tum steterant pedes Domini, ibi humanæ redemptionis mysteria peracta sunt, & inde Evangelium in universum mundum corruscavit, ut latius Hier. Epist. 17. *Et apparuerunt multis*, iis qui cernere merebantur, inquit Hieron. hoc est, fidelibus, & a Jesu non alienis. Apparuerunt autem, ut essent socii resurrectionis Christi, ac testes ejus, ne phantastica putaretur, si solus resurgeret: denique ut essent præcones potestatis ejus, & pignus futuræ resurrectionis omnium.

54. *Centurio autem, & qui cum eo erant.* Apud Metaphrastem dicitur vocatus *Longi-*

ginus, & martyrio coronatus, quod & apud Chryſoſt. refertur. *Viſo terræ motu, & his quæ fiebant*, ſciſſione ſcilicet petrarum, patientia admirabili, & præcipue magno illo clamore morientis, ut notat Marcus; quia judicabat eum habere vitam & mortem in poteſtate: nam tenebræ ſolæ nihil moverant. *Timuerunt valde*, de ſui facinoris atrocitate, ne vindicta ſceleratæ necis, cujus miniſtri fuerant, eos apprehenderet. *Dicentes*: *Vere Filius Dei erat iſte*, qui proinde necem ejus inultam eſſe non ſineret. Audiverant hoc a Judæis accuſantibus, & in cruce etiam exprobrantibus. Illius ergo recordati ſunt, & inſolitis prodigiis verum eſſe confeſſi. Per illud autem, *Vere filius Dei*, videntur veram divinitatem ejus agnoviſſe, ut ſentit Cyrill. libr. 12. Theſauri cap. 14. & Baſil. in Gordianum Mart. Unde quod Lucas Centurionem dixiſſe narrat, *Vere hic homo juſtus erat*, diſtincta fuit confeſſio a præcedente: quamvis Auguſt. 3. de conſenſu cap. 20. dicat eſſe poſſe interpretationem Matthæi; quo ſenſu faſſus eſſet Filium Dei omnimodo, quaſi Deo dilectum, quia veracem & juſtum. Hic primus erat fructus orationis pro transgreſſoribus in cruce fuſæ.

55. *Erant autem ibi multæ mulieres a longe*: non a longe venientes, ſed a longe ſpectantes, *apo makrothen theorousai*,

ut addit Græcus: idque propter turbam, ſive potius metum: affectum tamen earum hic celebratum Evangeliſta voluit, quod nec morientem prorſus deſeruerint, ut ante diſcipuli. Fuiſſe tamen inter illas etiam viros indicat Lucas, cum dicit, *Stabant omnes noti ejus a longe & mulieres*, notos diſtinguens a mulieribus: *quæ ſecutæ erant Jeſum a Galilæa, miniſtrantes ei.* Itaque tribus in rebus hic commendatur earum ſtudium; primo, quod ad mortem uſque ſequerentur: nam valde prope, imo juxta crucem, ſaltem aliquo tempore & aliquas adſtitiſſe, teſtis eſt Joannes c. 19. verſu 25. ſecundo, quod patriam remotam ejus amore deſeruiſſent: tertio, quod miniſtrarent ei, nempe de facultatibus neceſſaria ſuppeditando, ut Luc. c. 8. verſu 3. quod fuiſſe conſuetudinis Judaicæ, ut fœminæ præceptoribus victum & veſtitum miniſtrarent, tradit Hieron.

56. *Inter quas erat Maria Magdalene*, præcipuas tantum & celebriores nominari notat Orig. Theophyl. & Euthym. *Et Maria Jacobi*, ſcilicet minoris, juxta Marc. ut diſtinguatur a Jacobo Zebedæi, fratre Joannis. *Et Joſeph mater*, Græcus & Syrus vocat non *Joſeph*, ſed *Joſes*, ſicut & ſupra c. 13. verſu 53. Hanc *Mariam* Joan. c. 19. verſu 25. vocat *Mariam Cleophæ*, ſupple, vel filiam, vel potius uxorem. *Cleophas* enim videtur

fuiſſe

fuiſſe cognominatus *Alphæus*, & maritus fuiſſe iſtius Mariæ. *Et mater filiorum Zebedæi*, Jacobi & Joannis: vocatam eſſe *Salomen* notat Orig. ex Marco, & communiter poſt ipſum alii.

57. *Cum autem ſero factum eſſet*, hoc eſt, dies inclinata ad occaſum, non tamen finita, ut poſſet ſufficere ad ſepulturam; quia poſt occaſum Solis incipiebat otium & obſervatio ſabbati: unde Marcus notat adhuc duraſſe paraſceven ante ſabbatum. *Venit homo quidam dives*: quod notat, non propter jactantiam, ſed duabus de cauſis neceſſariis: primo, ut conſtaret ratio, cur ad Pilatum accedere, & ab eo corpus impetrare potuerit, ut obſervat Hieron. Unde Marc. addit, fuiſſe nobilem & decurionem, id eſt, ſenatorem, ut eſt Græce, ſcilicet urbis Jeruſalem. Hic ergo fiducia divitiarum & dignitatis, ut Auguſt. 2. de conſ. c. 22. intravit audacter ad Pilatum. Secundo, ut declararetur magnitudo affectus ejus; horrent enim divites ac nobiles corpus pauperis e patibulo deponere ad ſepulturam. *Ab Arimathæa*, ſcilicet civitate oriundus: nam alioqui civem fuiſſe Jeroſolymitanum, probat ſepulcrum ibi exciſum. *Arimathæam* hanc Hier. de locis Hebraicis ſcribit eſſe patriam Samuelis, 1. Reg. 1. dictam *Ramathaim*, quæ primo *Ramah* vel *Ramatha* dicta fuit, quia in loco excelſo, inde

cum *He* demonſtrativo *Haramah*, ſeu *Haramatha*, *Haramathim*, quaſi pluraliter, inde corrupte *Arimathæa*. *Qui & ipſe diſcipulus erat Jeſu*; ſed hactenus occultus, ut Joan. propter metum Judæorum. Unde & hinc emicare incipit virtus Dominicæ paſſionis, quod ita ſubito in alium virum mutatus ſit. *Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu.* Nam legibus civilibus Romanorum, quod etiamnum ſervatur, vetitum eſt damnatorum corpora ſine Judicis facultate deponere aut ſepelire.

58. *Tunc Pilatus juſſit reddi corpus*, cum ſcilicet ante intellexiſſet ex accerſito centurione, vere eſſe mortuum, juxta Marcum. Hanc enim Deus informationem ab ipſo Judice permitti voluit, ne qua calumnia de reſurrectione oborir etur.

59. *Joſeph involvit illud*: centum ſcilicet libris aromatum conditum, & quaſi tectum, ut narrat Joanes. *In ſindone munda*, quia nova, ut Marcus. Eſt autem *Sindon* pannus lineus ſubtiliſſimus, quo non ſolum involvit corpus ipſe cum Nicodemo, ſed etiam illigavit inſtitis, faciem tegendo ſudario, ut Joan. 19. verſu 40. junctо cum verſu 6. & 7. cap. 20. ut ſatis liqueat, eadem forma involutum fuiſſe, qua fuit Lazarus, Joan. 11. verſu 14.

60. *Et poſuit illud in monumento ſuo*: nam ſicut propria domo præ paupertate caruit vivus,

vivus, ita & ſepulchro proprio mortuus: *Novo*, in quo ſcilicet nemo poſitus ante fuerat. Divinitus hoc actum eſt, tum quod ita deceret perſonæ dignitatem & ſanctitatem: tum maxime, ne alius ſuſcitatus a perfidis crederetur, ut Ambr. in Luc. & Hieron. hic. *Quod exciderat in petra*, inſtar cubiculi, intus fere quadrati, ut ſcribunt diverſi, qui viderunt. Pertinet & hoc partim ad honorem Domini; talia enim ſepulchra non ſolent plebeis, ſed viris magnis parari: partim ad fidem reſurrectionis, ne quis corpus vel ſuffoſſis fundamentis, vel dirutis, & repoſitis iterum lapidibus raptum a diſcipulis fingeret: denique ut eſſet perpetuum reſurrectionis Dominicæ monumentum poſteris. *Et advolvit ſaxum magnum*, ut ſine auxilio plurimorum reſerari non poſſet monumentum, inquit Hieron. nam & hoc Deus adverſus calumnias reſurrectionis egit.

61. *Erat autem ibi Maria Magdalene & altera Maria*, ſcilicet Jacobi & Joſeph mater, ut Marcus. Plures alias indicat adfuiſſe Lucas cap. 23. v. 55. ſi jungatur cum cap. 24. v. 1. & 10. . . . *Sedentes contra ſepulchrum*: ut obſervarent, ubi & quomodo a viris ſepeliretur, ut & ipſæ poſtea eodem fungi poſſent officio, ſicut utrumque ex Luca conſtat. Loci enim anguſtia non ſinebat eas ſimul intrare,

nec decentia honoris illis viris se interponere.

62. *Altera autem die, quæ est post parasceven*, hoc est, ipsa die sabbati: quo tacite taxantur rigidi illi observatores sabbati Pharisæi, qui toties de violatione Christo calumniati, nullam illius nunc rationem habent in petendis armatis, ducendis ad sepulchrum, in signando, & consequenter ante aperiendo, postea claudendo laborioſe monumento, ut notarunt Chrysost. & Theophyl. Porro *Parasceve*, videtur feria illa sexta, qua crucifixus est, quasi dicer. *Præparatio*, quia illo die parabantur ad vivendum omnia necessaria sequenti die, ne otium sabbati violare cogerentur, qua de re vide Exodi 16. v. 23. & 26. Marcus clarius vocavit *Parasceven, quod est ante sabbatum*, Græce *Prosabbaton*.

Convenerunt, &c. *ad Pilatum*: unde credibilius, hoc esse factum non eadem nocte, qua incipiebat sabbatum, sed mane.

63. *Domine, recordati sumus*. Unde recordati, cum hoc Christus non prædixisset nisi Apostolis? Nam sermones illos parabolicos vel obscuros, quos hac de re habuit ad Judæos, Matth. 10. v. 4. & Joan. 2. v. 19. verisimile est ab eis non intellectos. Itaque videtur illa fama publice fuisse sparsa; nam & mulieres, Lucæ 24. v. 8. dicuntur recordatæ verborum ejus de prædicta resurrectione.

ne. *Quia seductor ille dixit*: Græce (*ekneinos ho planos*) *ille planus*, id est, impostor, prout legit & exponit August. homil. 36. quo verbo & doctrinæ velut seductoris, & miraculis velut præstigiatoris calumniantur, ad solatium servorum ejus, inquit idem August. si illo nomine appellentur. *Post tres dies resurgam.* Ita & apud Marc. cap. 8. v. 81. Christus legitur dixisse: sed utrumque exponendum est per alium locum Matthæi, ut *post tres dies*, sit tertio post die, vel post tres, saltem inchoatos dies. Hic Pharisæorum sensus eo patet, quod v. sequenti petunt custodiri sepulchrum tantum usque in diem tertium: nam alioqui custodiri debuisset multis diebus post diem tertium.

64. *Jube ergo custodiri usque in diem tertium*, transactum scilicet: neque enim umquam Christus prædixerat, qua diei tertiæ parte resurrecturus esset. *Ne forte veniant discipuli ejus*, quos magno numero esse, constabat: Græce additur (*nuktos*) *noctu*, scilicet clam. *Et furentur eum, & dicant plebi*, hominibus scilicet imperitis, non nobis, qui hujusmodi fabulis non credimus. Prætexunt ergo cautioni suæ fraudem discipulorum, sed revera metuebant resurrectionem ejus, territi tum propria scientia, tum prodigiis illis mirandis, tum contestatione divinitatis ejus a militibus & vulgo redeunte: qua enim spe hominem cum in-

famia mortuum, a quo decepti essent, rudes, ignobiles & nullius auctoritatis viri, nullo argumento rei tam incredibilis muniti resurrexisse fingerent? Itaque videntur revera conati vel impedire vel obscurare resurrectionem, si forte fieret. *Et erit noviſſimus error*, Græce, *(hi heschate plane) noviſſima impoſtura*, scilicet de resurrectione, si eam plebi persuadeant, *pejor priore*, qua se Filium Dei & Christum dixit, quia scilicet priore probabilior, & eam in se continens confirmabit: denique quia invidia Christi occisi in te & nos redundabit apud plebem, & seditionis erit seminarium.

65. *Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam*, turbam custodum, scilicet illam, quæ vobis servivit ad crucem, præsto habetis; *ite, cuſtodite, ſicut ſcitis*, id est, utimini ea pro vestra prudentia: significat enim se invitum rebus ipsorum ulterius immiscere.

66. *Illi autem abeuntes munierunt ſepulchrum*: Græce *hesphalisanto*, quod verbum supra versu 63. & 65. vertitur per *cuſtodire*: proprie autem significat tutum reddere contra pericula, & munire, sicut hic vertitur. Munierunt autem duobus modis: primo, *ſignantes lapidem*, Græce *sphagisantes ton lithon*, sigillato, seu obsignato lapide, quo claudebatur ostium sepulchri: sigillo videlicet publico, contra omnem fraudem, sive corruptorum

custo-

cuſtodum, ſive diſcipulorum, ſicut fecit Darius, Danielis 6. verſu 17. ne quid fieret contra Danielem. Nicephorus vero libr. 1. cap. 32. ſcribit traditione acceptum a majoribus, quod lapis ille vinculo ferreo ingenti fuerit alligatus ſepulchro, ut avelli non poſſet: cujus rei veſtigia ſuis temporibus monſtraſſe lapidem teſtis eſt Beda libro de locis ſanctis. Deinde munierunt ſepulchrum, *cum cuſtodibus*, id eſt, adhibita militum cuſtodia (nam jungendum eſt cum verbo *munierunt*) ſcilicet ne quis poſſet ſepulchrum ingredi, vel aggredi vel accedere. Quam diligentiam inimicorum divina providentia permiſit, ut fides reſurrectionis eſſet certior, & gloria major, & plebis animus paratior ad credendum.

CAPUT XXVIII.

Vespere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati. Locus hic difficillimus eſt, in quo omnes Evangeliſtæ ſibi invicem videntur contradicere, & aliqui ſibi ipſis. Nam Matth. narrat mulieres veniſſe *veſpere* & quidem luceſcente die; Joanes, *mane*, cum adhuc tenebræ eſſent: Lucas, *valde diluculo*: Marcus, *orto jam ſole*: ubi quatuor diverſa tempora ſignificari videntur. Itaque nonnulli quatuor diſtin-

ſtinctos adventus mulierum ſive earumdem ſive, ut alii, diverſarum poſuerunt: ſed improbabiliter: omnes enim de eodem adventu loquuntur, uno exprimente, quod alter tacuit. *Veſpere ſabbati*: S. Auguſt. 3. de conſenſu cap. 24. per *Veſperam* intelligit, totam noctem, quæ ſequebatur ſabbatum, ſignificari a prima parte noctis, quæ eſt veſpera: a quo non diſſentit Dionyſ. epiſt. ad Baſilidem & Hieron. epiſt. 150. quæſt. 4. Tantum difficultatem facit, cur vocetur *Veſpera ſabbati*, cum non pertineret ad ſabbatum nox illa, ſed ad Dominicam. Hieronym. ibidem & melius ac clarius Greg. Nyſſen. Orat. 2. de reſurrect. Chriſti obſervant, Græce eſſe, *opſe*, quod & *Veſpere* ſignificat, & proprie, *Sero*, ideoque ſenſum eſſe, quod ſero ſabbati, id eſt, tarde poſt tranſactum ſabbatum, vel ut Græce (*opſe ſabbaton*) *ſero ſabbatorum*, id eſt, poſt dies ſeptimanæ totius tranſactos. Ut autem intelligeremus, non veſpere preſſius accepto, nec incipiente nocte, ſed pœne tranſacta, mulieres veniſſe, ſubjicit quaſi ſeipſum interpretando, *quæ lucescit*, ſubaudiendum eſt, *in die*, quæ luceſcit: Græcum enim *tu epiphoskyse*, indicat nullo modo referri poſſe ad, *veſpere*, quaſi dicer. dudum, vel ſero poſt ſabbatum in die illuceſcente. *In prima ſabbati*, Græce (*eis mian ſabbaton*) *in unam ſabbatorum*, uſurpando *unam pro primam*, Phra-

ſi

ſi Hebraica, quæ habetur Geneſ. 1. v. 5. Itaque *prima ſabbati*, eſt dies Dominicus, ut Auguſt. tract. 120. in Joan. ſabbatum accipiendo, vel pro ſeptimana, ut ſit Lucæ 18. v. 12. *jejuno bis in ſabbato*, vel proprie pro ſabbato jam tranſacto, quaſi dicer. Prima die a ſabbato jam præterito. Senſus ergo plenus eſt, quod ſero ſabbati, ſeu dudum poſt tranſactum ſabbatum, appropinquante jam luce ſequentis diei Dominicæ, venerint, prout Auguſtin. Hieron. & Greg. citati optime declarant. Unde ſimili plane ſenſu dixit Lucas 23. v. 54. quod Chriſto jam crucifixo *ſabbatum illuceſcebat*, id eſt, apparebat ſeu incipiebat. Ordo itaque rei geſtæ hic fuit, ut mulieres emerint aromata, ſtatim cum tranſiſſet ſabbatum: ſicut Marc. 16. v. 1. hoc eſt, adhuc illo veſpere ſabbati, poſt occaſum Solis: deinde cum ſero eſſet ſabbati, id eſt, jam diu tranſiſſet, interjecta ſcilicet nocte, ſummo mane egreſſæ ſunt, & venerunt ad monumentum, illuceſcente *prima ſabbati*, ſeu die Dominica, ut Matthæus. Quod cæteri diſtinctius & clarius interpetantur; Lucas quidem *valde diluculo*, Græce *horthru batheos*, ſummo diluculo; Joan. autem, *cum adhuc tenebræ eſſent*, non ſpiſſæ, ſed quales eſſe ſolent cœlo albeſcere incipiente; Marcus vero *valde mane, orto jam Sole*, hoc eſt, ut Auguſt. 3. de conſenſu c. 24. cum cœ-

lum

lum jam albeſceret, quod non ſit niſi Solis orientis vicinitate; ipſe enim videtur legiſſe, *oriente jam Sole*. Neque videtur intelligi poſſe, ortum jam fuiſſe Solem, quaſi jam elevatus fuiſſet ſupra horizontem; ſic enim ſibi ipſi Marcus contradiceret, dum ſimul dicit fuiſſe valde mane. Niſi forte voluerimus illa duo ad diverſa tempora referre, ut dicantur veniſſe valde mane, quia tunc venire cœperint: orto autem jam Sole, quia tunc ad ſepulchrum pervenerint, ut voluit Dionyſ. Alexandrinus. *Venit Maria Magdalene & altera Maria*, de quibus C. præced. verſu 61. Hæ duces erant cæterarum, ſtudio ferventiores: nam plures adfuiſſe patet Lucæ 24. verſu 10. Marci 16. verſu 1. Unde nulla eſt in Evangeliſtis contrarietas, dum Joan. ſolam Magdalenam, Matth. duas, Marcus tres, Lucas plures exprimit. *Videre ſepulchrum*, an ſcilicet ingredi poſſent, amoto lapide: nam de hoc fuiſſe ſollicitas, patet ex earum diſcurſu apud Marcum. Principalis autem ſcopus erat, ut corpus ungerent. Satis vero perſpicue colligitur, eis nihil de militum cuſtodia, nihil de ſigillatione ſepulchri innotuiſſe; nec enim ante Solis ortum inter milites ſe conjeciſſent, nec publica ſigilla frangere cogitaſſent. Videntur autem omnes Evangeliſtæ tam accurata temporis deſcriptione inſinuare voluiſſe tem-

pus

pus resurrectionis Dominicæ; contigisse scilicet eam summo diluculo, sole ad exortum properante, ante adventum mulierum, qnod Marcus videtur dicere versu 9. *surgens mane prima sabbati.* Quamvis enim Hieronym. nemini constare dicat tempus resurrectionis, communior tamen sensus habet, quod dixi. Unde noctu natus est, vespere mortuus, mane surrexit, meridie ascendit, ut August. apud Prosperum Sententia 203.

2. *Et ecce terræ motus factus est magnus*, non mulieribus jam prope sepulchrum positis, ut patet, quia cum venissent, viderunt revolutum lapidem; sed cum essent in itinere. Factus est ille terræ motus partim ad declarandam potestatem descendentis, partim ut custodes excitati & attenti fierent ad Angeli descendentis præsentiam, ut testes rei gestæ esse cogerentur, sicut notat Chrysostom. cum Theophyl. *Angelus enim Domini descendit de cælo.* Conjunctio *enim* causam terræ motus efficientem reddit; finem vero descensus indicat, cum subjicit: *Et accedens revolvit lapidem*, ut mulieribus aditum ad ingressum sepulchri patefaceret, ut viderent eum resurrexisse, & hoc ipsum eis, alioquin nullo modo resurrexisse, sed sublatum esse, crediturus, testaretur. Non ergo sepulchrum aperuit, ut Christus resurgere posset, sicut aliqui hæretici putant, sed ut surrexisse osten-

oſtenderet & nuntiaret. Nam, ut veteres docent Auguſt. Serm. 138. De temp. Hieron. Epiſt. 150. quæſt. 6. ad Hedibiam, Chryſoſt. Hom. 84. in Joan. & alii paſſim, ſurrexit Chriſtus ſepulchro clauſo, ſigillo inviolato, ſicut ex utero Virginis natus fuit. *Et ſedebat ſuper eum*, extra ſupra ſepulchrum videlicet; ut pateret, non caſu revolutum lapidem, ſed ſe revolutionis eſſe auctorem, ſe defenſorem & cuſtodem ſepulchri Dominici. Itaque quaſi exſpectat mulieres, quibus reſurrectionis gaudium nuntiaret.

3. *Erat autem aſpectus*, ſeu vultus, *ejus ſicut fulgur*, corruſcans ſcilicet inſtar fulguris, *& veſtimentum ejus ſicut nix*. Græce & Syriace, *album ut nix*. Fulgur ergo cœleſtem Angeli originem, candor puritatem & innocentiam denotabat; illud ad terrendos milites, hic ad demulcendas mulieres. Nam, ut Gregor. Homil. 21. in Evang. in fulgure terror timoris, in nive blandimentum candoris. Utrumque ſerviebat ad illuſtrandum in tenebris ſepulchri omnia, & ad teſtandum ſimul Angeli & reſurrectionis gloriam.

4. *Præ timore autem ejus exterriti ſunt cuſtodes*, terrore videlicet non humano, de corpore per negligentiam ſublato, vel de pœna imminente. Non enim erat terror per diſcurſum accerſitus, ſed hujusmodi, qualis ex tam terribili & tam ſubito aſpectu Angelicæ formæ naſci

ſci ſolet, maxime impiis hominibus. Unde & Daniel juſtus cap. 10. v. 1. dicit, ſe viſo Angelo emarcuiſſe, nec habuiſſe quidquam virium. *Et facti velut mortui*, id eſt, animi ſtupore & timore, & vultus pallore ſemianimes; ſicut in ſubitaneo & magno timore, maxime viſu ſpectrorum multis contigiſſe notum eſt.

5. *Reſpondens autem Angelus*, id eſt, loqui incipiens, de qua phraſi diximus alibi, *Dixit mulieribus.* Ea, quæ dixit, conveniunt plane cum iis, quæ narrat Marcus cap. 14. verſu 6. & 7. ut clarum videatur eumdem eſſe Angelum, & eamdem viſionem, de qua hic ſermo. Sed illud difficultatem facit, quod Marcus dicat, mulieres eum vidiſſe, cum introiiſſent in monumentum, videlicet ſedentem a dextris in monumento; Matthæus autem indicet extra, ſuper lapidem ſediſſe, & invitaſſe, ut intrarent. Solvit hanc difficultatem Auguſtin. 3. De conſenſu cap. 24. quod Marc. monumentum, in quod ingreſſæ ſint mulieres, vocet aliquod ſpatium, quod eſſet aliqua maceria communitum, ut deinde in ſaxeum ſepulchri locum intrari poſſet. Vera ſolutio pendet a forma monumenti. Conſtat autem ex deſcriptione Brocardi, & ea, quam nuperrime fecit Legatus Regis Franciæ, ſepulchrum eſſe velut cubiculum fere quadratum, ex petra exciſum, ſeptem plus minus pedum longitudine & latitudine. Oſtium habet

valde demiſſum ad Orientem: ad dexteram, id eſt, ad latus Boreale habet loculum inſtar menſæ valde demiſſum, cui corpus impoſitum fuit. Porro antequam ſpeluncam, ſeu cubiculum iſtud ingrediaris, occurrit alia crypta ejusdem figuræ & magnitudinis, ſolo pariete ab illa altera ſeparata, in quo pariete fuit oſtium illud parvum, de quo dictum eſt. Sic ergo facile intelligitur, lapidem ab oſtio revolutum fuiſſe ab Angelo, ita quidem, ut eſſet extra monumentum, in quo fuerat corpus Domini, intra tamen, prout complectitur etiam illam anteriorem cryptam. Et in illo lapide ad dexteram revoluto ſedit Angelus, quaſi ſepulchri interioris cuſtos, invitans mulieres ad ingreſſum. Ut vero cæterarum apparitionum ordo, & conſonantia Evangeliſtarum breviter intelligatur, ſciendum, quod, cum ingreſſæ eſſent mulieres, & corpore non invento, adhuc non crederent, ſed mente conſternatæ exirent, invenerunt duos illos Angelos, de quibus Luc. cap. 24. verſu 4. qui eas paulo durius alloquuntur. Nuntiant illæ rem totam Apoſtolis, maxime urgentes, non eſſe corpus inventum, ut patet Joan. 20. verſu 2. Petrus igitur & Joannes ad ſepulchrum currunt, & non invento corpore, illud revera, ſicut & mulieres, ſublatum crediderunt. Interim Magdalena & mulieres, quæ Apoſtolos rurſum ad ſepulchrum ſecutæ fuerant, viris redeunti-

bus

bus manſerunt ibi. Cum vero Maria corpus adhuc quærendo fleret, & inclinaret ſe, ut per demiſſum oſtium in monumentum proſpiceret, vidit in illo loco, ubi poſitus fuerat Dominus, alios duos Angelos, unum ad caput, alterum ad pedes: & mox ploranti apparet ipſe Dominus, Joan. 20. verſu 12. & 14. qui cum ab ea recéſſiſſet, ipſa cum cæteris mulieribus redit domum, & in hoc ſecundo itinere omnibus ſimul apparet Dominus, ut narrat Matthæus infra verſu 9. ut omnes oculatæ teſtes eſſe poſſent. Hac rerum ſerie ob oculos poſita, facile omnes Evangeliſtæ intelligentur. ItaqueAngelus ille ſuper lapidem ante oſtium ſepulchri, in crypta tamen prima monumenti, ſedens ad latus oſtii dexterum

Dixit mulieribus, non ſolum ſcilicet aliis mulieribus, ſed etiam ipſi Mariæ Magdalenæ: quod quamvis quidam negent, patet tamen ex Lucæ 24. v. 22. & ſeqq. junctо cum Joan. 20. v. 2. & 3.... *Nolite timere vos*; ſed illi timeant, qui crucifixerunt, qui reſurrectioni ejus adverſantur. Hanc enim emphaſin notat Greg. in hoc Evang. & Hier. & explicat ſequens ratio: *Scio enim, quod Jeſum quæritis*, nempe ut religioſum ei præſtetis officium, ſicut & ego: quaſi dic. Scio enim, quo animo veniatis, honorandi, non nocendi; unde non eſt quod timeatis.

6. *Non eſt hic*, non tamen ſublatus eſt

mortuus in alium locum: *surrexit enim*, idque, *sicut dixit*, id est, sicut ipsemet & mortem suam, & resurrectionem prædixit. Hoc enim maxime juvabat, ad adstruendam resurrectionis fidem: quasi dicer. inquit Chrisost. Si mihi diffiditis, verborum illius memineritis. *Venite & videte locum, ubi positus erat Dominus*, corpore scilicet jam vacuum, solas habentem ejus exuvias rite positas. Itaque invitat eas, ut ingrediendo peragant iter suum, ut si nec suis, nec Christi verbis crederent, saltem oculari experientiæ suæ vacuo crederent sepulchro, ut expendit Hieron.

7. *Et cito euntes*, ut scilicet luctum de morte Domini aliis quam citissime levetis, *dicite discipulis*, apud Marcum additur nominatim, *& Petro*, ne propter trinam negationem præceptoris, loco discipuli excidisse, vel ab illo beneficio se excluſum putaret. *Quia surrexit*, Hebraismus est, id est, eum surrexisse: *Et ecce*, in argumentum & fructum resurrectionis ejus, *præcedet vos in Galilæam*, id est, præcedet, & jam omno præcedit. Significatur autem, quod quantumcumque festinaverint, eos ipse prævenit; ita tacite eos incitans ad maturandum discessum suum ex Judæa in Galilæam, ut eum ibi videant redivivum. Sed cur in Galilæa, non in Judæa eis apparere voluit? Primo, ut securo animo ab eis ac tute videri posset, ubi Judæorum metus fidem non perturbaret, ut Chrysost.

ſoſt: Secundo, quia maxima ibi erat diſcipulorum multitudo: Ac denique propter myſterium, ad ſignificandum videlicet Chriſtum a Gentibus, per Galilæam Gentium figuratis maxime videndum eſſe fide, Judæis in incredulitate remanentibus. Quod ergo Chriſtus eodem adhuc die apparuit Apoſtolis, non evertit promiſſionis hujus fidem, ſed ſuperat. Neque ſic apparuit in Judæa, ſicut poſtea in Galilæa: nam ibi, ut bene notat Hieronym. Epiſt. 150. quæſt. 7. tantum pro conſolatione timentium, & breviter apparebat, rurſumque ex oculis tollebatur: hic tanta familiaritas erat & perſeverantia, ut cum ipſis pariter converſaretur. Unde & quingentis ſimul apparuit, teſte Apoſtol. 1. ad Corinth. 15. verſu 6.... *Ecce prædixi vobis*, ut videlicet cum factum fuerit, credatis non eſſe phantaſma, ſed ipſum Dominum: eo enim ſpectant hæc verba, ſicut ſimilia Chriſti, Joan. 14. v. 29.

8. *Et exierunt*: quo ſignificatur ingreſſas fuiſſe monumentum, Angelo videlicet præeunte & fulgore illuſtrante locum, ut notat Hieron. Epiſt. cit. quæſt. 6. Nam & tenebræ adhuc erant, & ipſa ſpelunca omni feneſtra caret. *Cito de monumento*, alas eis addente tum juſſu Angeli, tum *gaudio magno*, tum maxime *timore*, ut perſpicue ex Marco patet. Uterque affectus etiam hic notatur: nam illud, *magno*, ad utrumque referendum eſt. Gaudium erat

ex amore resurgentis; timor ex periculi magnitudine, & Angelicæ visionis insolentia, & ex suspicione, ne spectra essent, & corpus vere sublatum: nam eas non credidisse Angelo, clare constat ex Joan. 20. versu 11. usque ad 16.... *Currentes nuntiare discipulis ejus*, undecim Apostolis, & cæteris omnibus, ut Lucas. Nuntiabant autem, Angelos apparuisse, & corpus Domini esse sublatum, ut patet Joan 20. versu 2. Visa sunt autem illis deliramenta anilia, ut Lucas notat, videlicet illa, quæ de resurrectione simul nuntiabant.

9. *Et ecce Jesus occurrit illis.* Magna hic rerum gestarum lacuna est: non enim potuit hæc apparitio contigisse in primo regressu mulierum, quia nihil de Domini apparitione sibi facta narraverunt discipulis, ut constat tam Joan. 20. versu 2. quam Lucæ 24. versu 9. & seqq. & maxime versu 23. & 24. Itaque ordo historiæ est iste: primo, Maria Magdalena & cæteræ mulieres narraverunt, sepulchrum esse vacuum, & sibi Angelos apparuisse, ut patet ex locis proxime citatis. Petrus & Joannes hoc audito cucurrerunt ad monumentum, & crediderunt ita esse: sicut mulieres narraverant. Quæ cum rursum illos duos Apostolos ad sepulchrum essent insecutæ, viris in civitatem regressis, Dominus soli apparet Magdalenæ prope sepulchrum stanti, ut narrat Joan. capite 20. Illa cum rediret, & cæteras mulieres

jam

jam quoque redeuntes in itinere eſſet aſſecuta, ut hanc apparitionem ſibi ſoli factam diſcipulis nuntiaret, habuerunt omnes obvium Dominum, ſicut hic narrat Matthæus. *Dicens*, *Avete*: Syrus, *Pax vobis*, quæ forma ſalutandi Hebræis eſt familiaris: unde & Syriace ſic legitur Judas ſalutaſſe Dominum, Matth. 27. verſu 49. *Pax Rabbi*, ubi nos, *Ave Rabbi*; eſt enim apprecatio omnis proſperitatis, & boni, nomine *Pacis* ſignificati. Unde & Auguſt. lib. 19. de Civit. cap. 11. & ſeqq. longo & eruditiſſimo diſcurſu, docet omnium bonorum & appetituum finem eſſe pacem. Notant porro plerique veteres reſurrectionem primo mulieribus nuntiatam, ipſumque Dominum illis primo apparuiſſe, ut quia a ſexu iſto cœpta mors eſſet, ipſi primum gloriæ reſurrectionis & viſus, & fructus, & nuntius, redderetur, ut loquitur Hilarius. *Illæ autem acceſſerunt*, cum ex facie, voce, geſtu certum haberent, eſſe Dominum, *& tenuerunt pedes ejus*: hoc eſt non ſolita familiaritate, ſed humi pedibus tantæ majeſtatis advolutæ ſunt, ſimul teſtantes & affectum & dignam reverentiam. *Et adoraverunt eum*, non ſolum animo, ſed iſta etiam corporis proſtratione. Ex hoc autem facto, & alio Luc. 7. verſu 38. & Joan. 12. verſu 32. & 4. Reg. 4. v. 27. videtur iſte adorationis ritus fuiſſe mulieribus familiaris apud Judæos.

10. *Tunc ait illis*: *Nolite timere*. Ex quo con-

conſtat, etiam hic eas timuiſſe: naturalis eſt enim infirmitas iſta noſtra, ut ad alterius vitæ viſiones, ſive bonas, ſive malas, quaſi naturam noſtram ſuperantes, timore concutiamur: quem abſtergit Dominus, ut mente pacata poſſent, quæ dicerentur, percipi, inquit Hieronym. & ad fidem animus parari. *Ite, nuntiate fratribus meis*, diſcipulis. Hanc eſſe ſummæ dignationis vocem expendit Apoſtolus, ad Hebr. 2. verſu 11. quod videlicet tanto ſe humanius cum iis gereret, quanto eum illi ignavius deſeruerant, & ipſe factus erat glorioſior.

11. *Quæ cum abiiſſent*, Græce (*poreuomenon e auton*) *quibus abeuntibus*, hoc ſcilicet ſecundo itinere verſus civitatem: unde videntur huc uſque milites apud monumentum perſtitiſſe, ſive latitando & a longe ſpectando, ſive timore ſtupefacti. Hinc dicuntur mox narraſſe *omnia*, *quæ facta fuerant*, deſcenſum videlicet Angeli terribilem, lapidis amotionem, mulierum & poſtea virorum ingreſſum, & quod neque corpus in ſepulchro inveniſſent, neque quidquam inde aſportaſſent. Nec dubium, illos ipſos quoque luſtraſſe ſepulchrum, ſi timor permitteret. *Ecce quidam de cuſtodibus venerunt in civitatem*: omnium videlicet nomine, ut officii ſui rationem redderent, ne pœnas ejus deſerti luerent. Illuſtre fuit hoc teſtimonium veritatis, & ab inimicis datum, quod ut Principibus erat irrefragabile, ita pervicacia inexcuſabilis. Itaque

12. *Congregati Principes ſacerdotum cum ſenioribus*, hoc eſt, cum univerſo concilio, *pecuniam copioſam dederunt militibus*, ad opprimendam & pervertendam veritatem evidentiſſimam. Niſi enim fuiſſet talis, potius milites accuſando, quam veritatem occultando, perſecuti fuiſſent. Cauſa fuit, ne tam horribile ſcelus in Filium Dei hominibus perpetraſſe viderentur.

13. *Dicite, quia diſcipuli ejus nocte furati ſint eum vobis dormientibus*: hoc eſt, Sitis teſtes rerum, quæ contigerunt vobis dormientibus. Sed ſi dormiebant, quid videre potuerunt? ſi nihil viderunt, quomodo teſtes ſunt, ut ponderat Auguſt. in verſ. 7. Pſalmi 63. Ita infœlix aſtutia tanti ſynedrii ſive concilii ſe ipſam jugulavit. Adde rem eſſe per ſe incredibilem tot milites uno lethargo ita oppreſſos, ut nec accedentium ſtrepitu, nec lapidis ingentis ferrique religati amotione, neque corporis ablatione, quisquam excitatus fuerit.

14. *Et ſi hoc*, ſeu ejus rei fama, *auditum fuerit a Præſide, nos ſuadebimus ei*, ſcilicet ut placatus ſit; Græcum enim *peiſomen* ſignificat etiam oratione flectere: *& ſecuros vos faciemus*, a pœnæ periculo: nam ſive verum eſſet, quod milites dicerent, ſive falſum, erant ſupplicio obnoxii, ſive propter defertum officium excubandi, ſive propter prævaricationem. Rem tamen totam a Præſide, ut erat, intellectam eſſe, non eſt dubium: ſed facile ei erat ignoſce-

rè militibus, resurrectionem ejus tegentibus, cujus mortis & ipse reus erat.

15. *Et divulgatum est verbum istud*, id est, res ista, mendacium istud, non de militibus pecunia corruptis, ut perperam aliqui, sed de Christo furtim sublato per discipulos, ut Chrysost. & alii plerique exponunt, *apud Judæos*, videlicet incredulos, quorum erat longe maxima pars: *Usque in hodiernum diem*, quo ista scribebat Matth. imo ad nostram usque ætatem, sibi in hoc stulto mendacio Judæi blandiuntur.

16. *Undecim autem discipuli*, &c. *abierunt in montem*, ut libere & sine arbitris cum illis Christus loqueretur: *ubi constituerat illis Jesus.* Hæc constitutio non est scripta, unde etiam incertum est, quis mons iste fuerit, quamvis plerique probabiliter putent fuisse Thabor. Valde autem verisimile est, esse istam apparitionem, de qua loquitur Paulus 1. ad Corinth. 15. versu 6. ubi dicit eum visum esse plusquam quingentis fratribus simul. Videtur enim hæc, quæ toties prædicta est, fuisse valde solemnis apparitio, omnibus facta simul, qui in Judæa & majori numero in Galilæa crediderant, & moniti confluxerant. Contigit autem, ut minimum post octo a resurrectione dies, sicut satis colligitur ex Joan. 20. versu 28. & notat August. 3. De consensu cap. 25.

17. *Et videntes eum, adoraverunt*, tamquam Filium Dei, verumque Deum jam resur-

resurrectione glorioſa declaratum, ad Rom. 1. verſu 4.... *Quidam autem dubitaverunt.* Difficile videtur, quomodo dubitaverit quiſpiam ex undecim, cum Thomas maxime incredulus jam ante credidiſſet. Itaque intelligi poteſt, quod dubitaverint non jam de reſurrectione Jeſu, ſed utrum ille revera eſſet, qui Jeroſolymis ſibi toties apparuerat, ſicut Apoſtoli de Chriſto ſuper mare ambulante dubitaverunt, an phantaſma eſſet. Et ad hoc dubium exhibendum apte ſequitur, quod *Accedens loquutus ſit.* Vel certe, *dubitaverunt*, ſumitur pro, *dubitaverant*, per enallagen temporum, quæ in Aoriſtis Græcis ſubinde fit: quaſi dic. Sine cunctatione proſtrati adoraverunt eum, tametſi de eo quidam ante multum dubitaverant: quem ſenſum Theophyl. probat.

18. *Et accedens Jeſus:* ut propius & familiarius cerneretur & audiretur, *dixit: Data eſt mihi omnis poteſtas*, id eſt, auctoritas regendi, quam imperium dicimus; non enim agitur de omnipotentia. Traditam autem ſibi dicit non tamquam Deo, quia eam ab æterno habuit, neque tamquam homini, ratione incarnationis, ſed tamquam victori mortis & inferni, & hominum redemptori. Significatur enim hic præmium paſſionis ejus, de quo Apoſt. ad Philipp. 2. verſu 10. & Pſalm. 2. verſu 8. Data eſt igitur iſta auctoritas, primo, quantum ad ſtatum glorioſum omnium

Do-

Domino proprium; secundo, quantum ad usum, quia illa per universum orbem jam usurus erat, Ecclesiam colligendo: denique quantum ad notitiam, quia tunc res fieri dicitur, cum innotescit. *In cœlo & in terra*, id est, super universam creaturam quasi dicer. Ego constitutus ac declaratus sum cœli ac terræ, totiusque creaturæ, maxime rationalis, Dominus, in cujus nomine jam omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, ac infernorum. Præmittit hoc, ut intelligerent, se non temere eis dare potestatem Apostolicam, & jubere id, quod sequitur.

19. *Euntes ergo*, scilicet in mundum universum, ut Marcus, & non in solam Judæam: id est, Hac igitur mea auctoritate suprema velut fundamento functionis vestræ nixi, *Docete omnes gentes*, totius orbis: nam hic revocat præceptum illud suum, quo dixerat olim: In viam gentium ne abieritis. Quid autem docerent, & quas gentes, Marcus exprimit clarius, *Prædicate Evangelium*, scilicet regni (sub quo tota summa credendorum, & in primis pœnitentia comprehenditur) *omni creaturæ*, id est, non solum gentibus, sed & Judæis: nam omnes gentes hic etiam Judæos comprehendunt, ut sic eosdem hic regni sui, id est, Ecclesiæ, quos totius orbis terminos statuat. *Baptizantes eos*, qui scilicet doctrinam receperint, lavantes aqua; hoc enim proprie est *Baptizare*. Materiam

teriam hanc Sacramenti magis expreſſit Chriſtus apud Joan. c. 3. verſu 3. Itaque tacite hic aſſignatur materia Sacramenti, quam Eccleſia tum ipſo verbo baptizandi, tum aliis Scripturæ locis, tum perpetua traditione edocta naturalem aquam eſſe tenuit. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Multi nude exponunt, *In nomine*, in virtute, auctoritate, vel efficacia Patris, &c. quæ una eſt trium perſonarum. Sed quantumcumque baptizaret aliquis in auctoritate vel unius, vel trium perſonarum, non ſubſiſteret baptiſmus, niſi exprimeret nomen Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Unde multorum hæreticorum Baptiſmus, ut Marcioniſtarum apud Iren. libr. 1. cap. 13. Paulianiſtarum in Concilio Nicæno, & aliorum rejectus eſt, quod iſta forma non uterentur. Ex quo patet, ſenſum iſtorum verborum ex Eccleſiæ traditione ſic aſſignandum eſſe, ut non minus expreſſo & invocato nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, quam in eorum auctoritate & virtute baptizetur. Nam ex iſtis verbis, accedente Apoſtolorum uſu, forma baptiſmi ſumpta eſt, ſine quibus (ut Auguſt. loquitur lib. 6. De baptiſmo, c. 25.) baptiſmus Chriſti conſecrari non poteſt. Porro veteres, ut Baſil. Hom. contra Sabellianos, & lib. 3. contra Eunomium, late Ambroſ. lib. 1. De Spiritu ſancto cap. 14. & alii obſervant, non dici, *In nominibus*, ſed,

In

In nomine, quia unum eſt nomen trium, una ſcilicet Deitas, poteſtas, virtus, auctoritas. Unde Hieron. hic: Nomen Trinitatis, unus Deus eſt. Breviſſime igitur exprimitur unitas Deitatis in Trinitate perſonarum: ut omnes Chriſtiani in ipſo limine Eccleſiæ fidem Dei unius ac trini profiterentur, nec hominum baptizantium, ſed auctoritate ejusdem Dei ſe regeneratos intelligerent, qua creatos.

20. *Docentes eos ſervare.* Fidem ante baptiſmum, mores poſt baptiſmum jubentur docere. Quem pulchrum ordinem hic obſervat Hieron. Nam neque fides, neque baptiſma ſatis ad ſalutem ſunt, niſi digna Deo acceſſerit converſatio. Docentes ergo eos ſervare non hæc, non illa, ſed *omnia*, ut ponderat Baſil. procœmio in Reg. fuſius diſputatis, *Quæcumque mandavi vobis*, non ſolum ſcripta, ſed & non ſcripta; nihil enim tunc ſcriptum erat, ſed omnia viva voce mandata. Reſpicit namque in primis ad ea quoque, quæ cum illis communicaverat, per quadraginta dies apparens eis, & loquens de regno Dei. Inter cætera vero mandavit etiam ſuperiores homines audire, quando dixit: *Qui vos audit, me audit:* & proinde dicendo, *Quæcumque mandavi vobis*, non excludit legitima mandata Præpoſitorum, ſed includit. *Et ecce*: Attentos reddit hoc verbo

bo, velut rem magnam dicturus, & simul occurrit cogitationibus eorum. Merito enim trepidare poterant homines imperiti, nullius auctoritatis, ad suscipiendam tanti negotii molem: quasi diceret, Igitur, nolite timere, neque respicere, quid vos viribus vestris possitis, *ecce ego*, qui vici mundum, cui omnem potestatem jam datam audivistis in cœlo & in terra, *vobiscum sum*, auctoritate, favore, virtute, spiritu. Non enim loquitur de præsentia visibili, nec etiam, qua præsens est per sanctissimum Sacramentum, sed de illa præsentia spirituali, qua adest Pastoribus Ecclesiam ejus nomine & potestate gubernantibus, omnesque prædicationis & gubernationis tempestates sustinentibus. Ne autem diffiderent posteri Apostolorum successores, cum dixisset, *vobiscum*, qui brevi morituri erant, addit ad aliorum consolationem, *omnibus diebus usque in consummationem sæculi*. Tacite enim duo verbis istis promittit: primum, ipsos usque ad consummationem sæculi omnibus diebus permansuros, ut hic notat Hieronymus, hoc est, victuros, in succedente sibi usque in finem mundi Pastorum seu Doctorum serie; sive officium prædicandi, docendi, baptizandi, gubernandi, cujus ipsos bases constituerat, semper mansurum: secundum, se semper eis in docenda veritate, & gubernanda Ecclesia adfuturum.

rum. Per quorum primum promittit, nunquam vel reipſe interituram Eccleſiam ſuam, vel viſibilem officiorum iſtorum œconomiam in inviſibiles latebras, ut hæretici fingunt, eſſe condendam. Per ſecundum vero promittit, eosdem Apoſtolos, ſeu Apoſtolorum ſucceſſores ſimul omnes non receſſuros a veritate, quam docendam jusſerat. Hoc enim ſi fieret, profecto tam inanis eſſet promiſſio, quam ſi revera officia Paſtorum ab eo inſtituta, & conſequenter iſta Eccleſia ſubverteretur.

FINIS.